


Novembri 1863.

CORPUS
FLORARUM PROVINCIALIUM
SUECIÆ.

I.

FLORAM SCANICAM

SCRIPSIT

ELIAS FRIES

PROF. UPSALIENSIS,

ANTE HAC BOTAN. DEMONSTRATOR AD ACAD. LUNDENSEM.

UPSALIÆ,

Typis Palmblad, Sebell & C.

1835.

RATIO OPERIS.

Diu a Botanicis Sueciae desiderata fuit Flora Scanica nec a Danis et Germanis contemtam fore fingimus enumeraticnem stirpium in proxima trans Öresund et mare balticum provincia nascentium. In specie vero Botanophilis Lundensibus gratum et utilem censemus indicem tum stirpium in Scania obviarum, quum locorum singularium. Hinc jam pridem, ante quinque lustra, Florae Scanicae conscribendi cepimus consilium, tum vero nescii tantis premi difficultatibus, quantis vix enumeratio plantarum totius regni, si fini suo primario, pleniori et accuratae locorum indicationi, responderet. Primo enim nullus aderat vel catalogus stirpium in Scania lectarum, sed dispersarum copia symbolarum, quae novum in natura examen et criticam comparationem requirebant. Dein omnis traditio locorum maxime specialium, in quibus rariores erant lectae, amissa erat et ob faciem totius provinciae per ultima decennia mutatam haec iterum indagare (vulgo longe aliis locis ac prima vice fuerunt lectae) difficilius erat, quam nova detegere. Porro multæ plantæ ex analogia tantum in floris Patriæ universalibus Scaniæ adscriptæ sunt, nec leve erat officium hæc vel ex *observatione* confirmare vel sine *temeritate* expungere. Tandem ipsius vegetationis tanta varietas, in centralibus regni provinciis ignota, ut ejus divitias vel diligentissimus et oculatissimus per paucos annos haud exhauriret. Per viginti licet, et quot excurrunt, annos et a nobis et a plurimis commilitonibus, qui inventa sua candide communicarunt, per omnem Scaniam quotidianæ fere institutæ sint excursiones, ultimis tamen quotannis reportata sunt spolia, immo plantæ antiquitus lectæ v. c. *Verbena officinalis*, *Aristolochia Clematites*, *Asplenium Adianthum nigrum* e. s.

p., suis locis iteratis vicibus frustra quæsitæ, abundantes tandem iterum repertæ. Variæ insuper in hac provincia subinde observantur plantæ, quas perigrinator omnino indigenas; aliæ, quas idem casu dispersas, licet vera ratio sit contraria, facile crederet, has vero sine plurium annorum observationibus et multa cum vegetatione Scanica consuetudine discernere haud licet.

Phanerogamas enumeratas, 5—6 speciebus exceptis, omnes ipsi intra Scaniam legimus et in locis natalibus descripsimus, sed cum res herbaria graphicis, ut ajunt, descriptionibus jam prematur, has omisimus, studentes ut catalogus maxime synopticus evaderet. Ne vero omnes characteres desiderentur, addidimus definitiones, quibus species in Scania obviæ sub excursionibus discerni possunt, nulla vero ratione habita ad species extorres, cum nullus sane extra Scaniam ad hanc synopsin plantas suas determinet. Præsens opusculum tantum dicatum est excursionibus intra Scaniam; domum reversus plantas suas cum amplioribus libris, quibus carere nequit, comparet tiro. Cryptogamas plene enumerare simul in animo erat, *Muscos* elaboravit oculatiss. AHNFELT; libellus triplo auctior evasisset, additis *Fungis*, hinc horum systematicum conspectum tantum adjecimus.

Fuit nempe insuper finis hujus opusculi *tironibus tradere conspectum familiarum plantarum**), qualis in Suecia prorsus desideratur. Familiarum igitur plantarum cognitione, *sine qua neque scientificum neque applicatum rei herbariae studium nostro aevo accommodum rite existere potest*, Botanophilos plerosque carere, quotidie fere in his examinandis occupatus, expertus sum. Facile patet Botanices studium neglectis generibus esse frustraneum, multo magis vero neglectis familiis s. generibus altioris ordinis, quando nempe Botanicen alia sistere censemus quam solam nomenclaturam. Sine Flora pleniorem harum cognitionem tirones sibi comparare nequeunt. Præcipuum sane est ut jam sub studiorum suorum initio in verum sci-

---

*) Has plenius in peculiari opere idiomate vernaculo conscripto exponere in animo est, quam primum publica negotia otium concesserint.

entiæ tramitem ducantur. (Cfr. diss. nostr. *De Hist. Natural. Studio controversiae*). Fingunt quidam ad methodum naturalem ob multos typos desideratos Floram specialem haud conscribi posse; huic vero assertioni multiplex inest error. Si veri quid eaedem inesset, numquam conscribantur *Faunae* singularum regionum, cum omnes animalium dispositiones ad methodum naturalem factæ. Etiam si naturæ systema absolutum *in libro* quodam exponi posset, quod equidem ob rationes infra indicandas nego, tiro sane a singularibus ad universalia adscendens, hoc numquam caperet, sed in Systemate universali ob familiarum copiam magis turbaretur, easdem ob caussas ac genera sibi obvia facilius e Flora regionis suæ, quam e systemate universali determinat. Familias ipsas necesse noscat, priusquam earum nexum capere possit. Quam mihi nemini magis persuasum esse possit de vi et excel lentia Systematis sexualis ad plantarum examen tironibus facillimum reddendum; perennabit sane hoc quamdiu necesse erit plantas prius agnoscere, quam cognoscere — nullum inter hoc et methodum naturalem certamen et contentionem intelligere possum — *sed omnia commoda, quae e systemate sexuali sequuntur, Indice generum ad hoc ordinato plene compensantur.* Tiro, qui omnia ex usu addiscit, hoc modo nescius ad familiarum cognitionem ducitur. Plantas ad systema sexuale disponere et clavem generum secum methodum naturalem addere, meo sensu, est ratio inversa.

Familiis plantarum ad morphologiam, qualem nos excepimus, *empirice* ordinatis, periclitatus sum addere clavem systematicam, qualem omnis sane dispositio, quam definita principia et claræ ideæ animant, admittit. Hanc semper artificialem apparere, nec, ut ipsarum familiarum cognitionem esse, primarium, per se manifestum fingimus. Ante omne judicium explicatio præmissa est perlegenda et intelligenda, quantum præjudicia sinunt. Tum neminis in mentem venire crederem, omnes familias haud paris esse dignitatis; vel numeros et litteras adpositas aliud indicare, quam v. c. in singula classe primum citari Familias Syncarpicas, a. monostigmaticas; dein b. polystigmaticas; porro shizocarpicas tandemque ho-

locarpicas. Sub singula recipiantur una l. plures familiae, praecipue additis familiis exoticis. Ne iis quorum usui dicatum sit, nimias imponerem familias, easdem paulo magis contraxi, quam a plerisque peritis forsan approbabitur. In hodierno vero rei herbariae statu familiarum dilaceratio valde arbitraria facta est, et cum tiro omnes propositas uno gradu addiscere nequeat, primarias primum agnoscere maxime necessarium videtur; his cognitis facile est easdem ulterius dissolvere. Ceterum fateor, me genera recedentia appendicis instar proxime affinibus subjuncta malle, quam e singulo novam familiam separatam. Rationes, quas in familiis ordinandis secuti sumus, aliis locis exposuimus. In speciebus recipiendis duo extrema, quae bucconum fastidioso dicendi genere facile dignoscuntur, evitare studuimus et peritiorum mere empiricam viam sequi. Illustr. *Kochium*, auctoritatem plurimorum sane consensu optimam, me in singulis fere habere consentientem non sine voluptate video.

Ad pleniorem Botanicam Patriae cognitionem duo praecipue opera, ut Florae Suecicae fontes, necessaria mihi visa sunt. Alterum est *Herbarium normale plantarum rariorum et criticarum*, cujus 24 Decades jam editae l. paratae sunt; Scanicas in herb. Suecorum prae ceteris desideratas collegit Cl. Cand. Ringius; alterum *Corpus Florarum provincialium*, in quo agmen ducat Scaniae ditissima Flora. Mox sequentur provinciarum adjacentium; et varii amici aliarum elaborationem in se susceperunt, ut opus, unius vires superans, absolutum fore haud desperemus.

His indicatis eorum celebrare merita, qui Floram Scanicam ante nos illustrarunt, religioni omnino duximus, ne omnia nobis ipsis tacite referre videamur.

De plantis Scanicis Scriptores.

Primus, qui de plantis Scanicis disseruit, fuit G. FUIREN (✝ 1628) in *Plantarum itineris Blekingensis enumeratione*, recepta in *Barthol Cista Medica Hafniensi*, Hafn. 1662. (Recusa in Aspegren Blekings Flora). Inter 46 ab ipso enumeratas plantas melior pars in Scania lecta, inter quas *Dianthus arenarius* (Caryophyllus flore albo admodum odorato, foliis parvis angustisante *Fuiren*) omnino nova erat planta et multae rariores, nempe *Trientalis europaea* (Alsinanthemum Thalii *Fuir.*) *Bryonia alba*, *Scorzonera humilis*, *Nardus stricta* (Gramen junceum *Fuir.*) *Ranunculus arvensis* (R. echinatus *Fuir.*) *Genista pilosa* (G. humilis *Fuir.*) *Geranium palustre*? (G. pulchrum *Fuir.*) *Convallaria Polygonatum* (Sigillum Salomonis pumilum *Fuir.*) *Cineraria campestris* (Jacobaea rotundifolia *Fuir.*) *Cynanchum Vincetoxicum*, *Androsace septentrionalis*, *Rubus Chamaemorus*, *Teesdalia nudicaulis* (Thlaspi siliquis oblongis minimum *Fuir.*) *Convallaria verticillata* (Polygonatum tenuifolium alterum *Fuir.*) *Thalictrum*, ut videtur e loco, *aquilegifolium*, *Lepidium campestre* (Thlaspi foliis serratis copiosis et in summum fastigiatis Fuir). E Blekingia tantum indicantur *Allium schoenoprasum*, *Isatis tinctoria*, *Erysimum hieracifolium* (Thlaspi quoddam Cheiri floribus luteis *Fuir.*) *Cochlearia officinalis* et *danica*, *Selinum Carvifolia* (Sesili aethiopicum *Fuiren*) e. s. p.

Instaurata Universitate Lundensi varia exstant documenta rem herbariam simul haud neglectam fuisse, licet notitiae magis singulares ad nostra tempora haud pervenerint. Quanto ardore et soliditate omnem historiam naturalem coluit *Archiater* STOBAEUS, Linnaei praeceptor et fautor, sat constat, sed herbarium ejus periit. Dolet praecipue *Retzius* in Vet. Ac. Handl. 1769 periisse Diarium Itineris anno 1729 ab *M. Benzelstjerna*, *F. Fjellström* et *N. Retzio* historiae naturalis Scaniae illustrandae gratia suscepti. Plantae rariores in planitie Lundensi tum observatae indicantur in *Linnaei*

Horto Cliffortiano, v. gr. *Valeriana dioica, Sherardia arvensis, Evonymus europaeus, Cornus sanguinea, Anagallis arvensis. Datura Stramonium, Lonicera Periclymenum* (*Convolvolus Soldanella*, nullibi ceterum a Linnaeo Scaniae adscriptus, vetus enim erat traditio hanc plantam olim in Scania viguisse) *Gentiana Pneumonanthe* [Chenopodium ambrosioides "circa Lundinum ubique in stercoratis vulgaris", sed vereor ne lapsu memoriae pro *Vulvaria* sit indicatum) *Salsola Kali, Oenanthe fistulosa, Bupleurum rotundifolium* (etiam nostro tempore observatum, sed vix certo loco persistens. Jam Linnæus dicit in *Scania* "aliquando") *Daphne Mezerum, Adoxa moschatellina, Reseda Luteola, Anemone Ranunculoides, Teesdalia nudicaulis, Alyssum incanum, Lunaria rediviva, Cardamine hirsuta, Sinapis nigra, Malva silvestris, Ononis arvensis* s. hircina. *Astragalus glyciphyllus, Melilotus, Tussilago alba, Achillea Ptarmica, Chrysanthemum segetum, Bellis perennis, Xanthium strumarium, Amaranthus Blitum* (alium hujus plantæ locum natalem nescit) *Mercurialis perennis*, aliæque magis vulgatae. Quo anno in Fl. Suec. I. citatos *Cucubalum viscosum, Inulam dysentericam?* etc. ad Kulla-Gunnarstorp legisset Linnaeus, forsan ab exteris terris rediens, ignoratur.

JOHANNES LECHE, Med. Doctor demumque Professor Aboënsis, primus facile fuit Botanicorum Scaniae, qui hujus provinciæ vegetationem plenius cognovit. Edidit 1744 *Primitias Floræ Scanicæ*, quarum caput primum plantas alibi tum temporis in patria haud observatas enumerans in *K. Vetenskaps Academiens Handlingar* eodem anno p. 261—283 simul inseritur sub titulo: *Förteckning öfver de raraste Växter i Skåne.* Sunt servato ordine, ut index sequens commentario inserviat, quare repetuntur multæ jam ab aliis repertæ, *Veronica triphyllos, Verbena officinalis, Fedia olitoria, Hordeum murinum, Sherardia, Plantago maritima* var. *gentilis* et *serpentina* (n. 7), *Pl. Coronopus, Centunculus minimus, Symphytum officinale, Echium vulgare, Primula elatior, Lysimach. Numularia, Lonicera Periclymenum, Datura Stramonium, Chenopodium murale, Ch.*

Vulvaria, Erythræa pulchella, Selinum Oreoselinum, Oenanthe fistulosa, Sium angustifolium (sub falso Oen. crocatae synonymo, unde hæc in Floris Suecanis recepta) *Pastinaca sativa, Apium graveolens, Tulipa silvestris, Asparagus officinalis, Rumex maritimus, Epilobium hirsutum, Fagopyrum esculentum, Dianthus arenarius, Scleranthus perennis, Cerastium arvense, C. semidecandrum, Sedum annuum, Asarum Europæum, Pyrus communis. Papaver Argemone; Aquilegia vulgaris, Anemone Ranunculoides, Thalictrum simplex, Ballota ruderalis, Galeobdolon luteum, Betonica officinalis, Stachys arvensis, Orobanche major* L., *Lepidium latifolium, Nasturtium Armoracia, Alyssum incanum, Lunaria rediviva, Cardamine amara, C. hirsuta, Sinapis nigra, Geranium columbinum, G. molle, Corydalis cava, Spartium scoparium, Genista tinctoria* (incerta quoad locum), *Genista pilosa* (ex Hallandia tantum) *Ononis spinosa, Vicia dumetorum, Trifolium striatum, Astragalus glyciphyllus, Picris Hieracioides, Hyoseris minima, Filago germanica, Filago montana* (hanc, quae originem dedit *F. arvensi* L., omnino esse eandem cum *F. montana* Upsaliensi *expressis verbis* testatur Leche in Vet. Ac. Handl. l. c.; Scanica modo major et paniculata), *Tussilago Petasites, T. alba, Senecio paludosus, Cineraria palustris, Pulicaria vulgaris, Viola odorata, Orchis Morio, Coeloglossum albidum, Xanthium strumarium, Amaranthus Blitum, Carpinus Betulus, Bryonia alba, Salix viminalis. Viscum album, Populus nigra. Halimus pedunculatus, Atriplex litoralis, A. hastata v. calotheca, Osmunda regalis, Struthiopteris, Blechnum Spicant, Asplenium Scolopondrium.* In altero capite enumerantur plantae Scaniae rariores, in adjacentibus provinciis lectae; in tertio plantae officinales Scaniae et inter has multas quoque invenimus stirpes rariores Scaniae.

Eodem tempore etiam EBERH. ROSEN, Med. Doct. et Profess. Lundensis, in praxi medica occupatissimus, summo studio rem herbariam simul coluit, sed oculatissimi antecessores leviorem messem reliquerant. Edidit anno 1749 *Observationes Botanicas circa plantas quasdam Scaniæ non ubivis obvias,* quarum commentarium addere

eo magis necessarium ducimus, cum hoc opus a Linnæo rarius citetur, multaeque ejus plantae negligantur. [Existebat quidam inter Linnæum et Auctorem, qui Hallerum extollere studebat, antagonismus]. Sunt Veronica *scutellata*, *V. scutellata* var. villosa, Scabiosa ad *S. sylvaticam* utique proxime accedens, *Galium verum* var. fructu villoso, *Lithospermum arvense* var. flore coeruleo (ex insula Pomeranica Hedensea), Campanula Trachelium *urticaefolia*. *Verbascum Lychnitis*, *Erythræa pulchella*, *Daucus Carota* var. tenuifolia, *Sium angustifolium*, *Helosciadium inundatum*, *Allium oleraceum*, *A. carinatum*, *A. scorodoprasum*, *Anthericum ramosum*, *Vaccinium Oxycoccus*, *Dianthus deltoides* var., *Saponaria officinalis*, *Saxifraga Hirculus*, *Alsine marina*, *Ranunculus arvensis*, *Pedicularis silvatica*, *Nasturtium silvestre*, *Cakile maritima*, *Lathyrus silvestris* var. foliolis elliptico-lanceolatis, *Vicia cassubica*, *Lotus uliginosus*, *Apargia hispida*, *Hypochœris radicata*, *Hieracium paludosum*, *Crepis biennis*, *Picris Hieracioides*, *Carduus acaulis* caulescens, *Bidens cernua*, *Gnaphalium arenarium* aurantiacum, *Senecio paludosus*, *S. erucæfolius*, *Inula Britannica*, *Achillea Ptarmica* var., *Ach. nobilis*, *Bidens cernua* radiata, *Sonchus oleraceus*, *Orchis mascula*, *O maculata* monstrosa, *Coeloglossum albidum*, *Serapias ensifolia*, *S. palustris*, *Fissidens taxifolius*, *Mnium roseum*, *Cladonia squamosa*, *Sphaerophoron coralloides!* — *Veronica præcox*, *Myosotis versicolor*, *Primula farinosa* albiflora, *Anchusa officinalis* albiflora, *Saxifraga tridactylites*, *Dianthus deltoides* glaucus, *D. arenarius*, *D. superbus*, *Stachys palustris* var. *Antirrhinum Orontium* et in præfaminis fine additur *Acer campestre*. Multæ ex his nondum in Suecia lectæ erant, aliæ hoc loco sub genuinis synonymis prima vice citantur.

Eodem anno (1749) iter Scanicum ipse suscepit Botanicorum Princeps multasque detexit plantas in Flora Suecica haud receptas; plurimas antecessorum confirmavit, multaque addidit loca natalia insignia. LINNÆI *Skånska Resa* Stockh. 1751 hoc modo adhuc est opus de plantis Scanicis primarium. Hujus symbolas hoc loco sigillatim enumerare superfluum duco, cum ab ipso in

Flora Suecica, a nobis in sequente Florula ad singulam plantam citentur. In Suecia antea haud lectæ erant *Scirpus setaceus*, *Aira præcox*, *Bromus giganteus*, *Hordeum secalinum*, *Allium arenarium*, *Anthericum Liliago*, *Malachium aquaticum* (Stellaria nemorum var. p. 269) *Astragalus arenarius*, *Carduus Acanthoides* (idem vero ac C. nutans Fl. Suec.) *Typha latifolia*, *Salix purpurea*, *Atriplex hortensis*, *Riccia natans*, *Pilularia globulifera*, *Rivularia adnata*. — Hoc lustrum (1744—1749) studiis *Lechei*, *Rosenii* et *Linnæi* pro Flora Scanica classicum fuit; sequitur intervallum, sub quo nil Flora Scanica profecisse videtur.

Viginti annis præterlapsis celeberr. quondam A. J. RETZIUS, Hist. Natur. Profess., Floram Scanicam symbolis illustrare cepit et per 40 annos (1769—1809) continuavit. Duæ vero in his distinguendæ epochæ, prior sub qua describuntur plantæ ab ipso ex maxima parte lectæ, ad quam pertinent *Anmårkningar vid Skånes Örthistoria* in Vet. Ac. Handl. 1769. p. 243—255, *Observationes Botanicæ*. successive editæ, *Strödda anmårkningar vid Skånes Naturalhistoria gjorde under en Resa till Torekow* in Phys. Sällsk. Handl. I. p. 310. His locis memoratae plantae ubique summa fide dignæ, indicatis ubique locis natalibus certis. Determinantur in his variae eximiæ novæ species, ut *Melica uniflora*, *Festuca adscendens* (Glyceria loliacea) *Bromus asper* (Br. montanus Retz.) *Ononis arvensis*, *Cineraria campestris*, *Tussilago spuria*, nec solum pro Flora Suecica multæ novitates ut *Avena strigosa*, *Bromus sterilis*, *Ornithogalum nutans*, *O. umbellatum*, *Luzula pilosa congesta* (Retz. Obs. I. 56), *Epilobium roseum*, *Spergula subulata* (Sp. saginoides in Phys. Sällsk. Handl.), *Euphorbia exigua*, *Ranunculus hederaceus*, *Geranium phæum*, *G. palustre*, *Vicia Lathyroides*, *Matricaria Parthenium*, *Asplenium Adianthum nigrum*, cum larga Cryptogamarum messe. Ad alteram epocham referenda *Prodromus Floræ Scandinaviæ* bis ejusque *Supplementa*, Lundæ 1805 et 1809 edita, in quibus recensentur plerumque plantae *aliorum fide* l. per analogiam regionum confinium receptæ, sæpe absque locis natalibus, ut cautius citandæ. In Scania omnes mi-

nime lectæ sunt, ut ipse ingenuus Auctor de *Lysimachia nemorum* etc. in *Flora Oeconomica Sueciæ* Lund 1805 observat. Magnus tamen his locis prima vice in Flora Suecica inseritur specierum numerus ut *Salicornia radicans* (S. fruticosa Retz.) *Circæa intermedia*, *Cyperus fuscus*, *Panicum verticillatum*, *Koeleria cristata*, *Heleochloa maritima* (Poa arenaria *Retz.*) *Silaus pratensis*, *Sium Falcaria*, *Pimpinella magna*, *Ornithogalum spathaceum*, *Alisma natans* vera (denuo haud reperta) *Polygonum dumetorum*, *Euphorbia Cyparissias*, *Cratægus monogyna*, *Ranunculus Philonotis*, *Trifolium alpestre*, *Hypochæris glabra*, *Equisetum umbrosum* (E. amphibolum Retz.), quæ locis natalibus confirmatis jam nullis dubiis premuntur Aliorum nulla adhuc innotuerunt loca *v. c.* *Festucae Bromoidis*, *Iunci Tenagejæ* vel specimina ipsa obscura ut *Anthemidis maritimae.*

Cum hoc ævo omnia ad Retzium delata fuerint, pauca per alios modo sunt publicata v. c. *Triticum junceum* ab A. LIEDBECK in Vet. Ac. Handl. 1795. p. 197 *Antirrhinum Elatine* nec non *Stellaria crassifolia* ib. 1807 per Nobil. ENNES et

Rever. C. A. AGARDH, Retzii in re herbaria successor, Carices Scanicas (30 spec.), tum temporis parum cognitas, in *Caricographia Scanensi* Lund 1807 extricavit, *Arundinem balticam* Flügg. *) sub nomine *Arund. maritimae* in Flora oder Bot. Zeit. 1824 p. 561 descripsit et *Algas aquaticas* in plurimis suis de his operibus solus illustravit.

Tot in Scania vigentibus Botanicis eximiis jure quæritur, quibus rationibus fieri potuit, ut plantæ Scanicæ Botanicis Patriæ magis magisque obscuræ factæ sint, ut multæ pervulgatæ intra provinciam exstirpatæ l. exstinctæ censerentur, ut permultæ sane dubiis premerentur. Longe melius cognitæ videbantur stirpes desertæ Lapponiæ, quam hospitæ Scaniæ. Variæ fuere caussæ, primaria forsan nullum fere iis temporibus viguisse in-

*) Hanc, ut distinctam speciem, et *Anthemidem tinctoriam* sub itinere anni 1822 Floræ Scanicæ primus vindicavit Ill. *Wahlenberg*.

ter Botanicos Scaniæ et Sueciæ mediæ commercium, ut exemplaria Scanica ad nostum tempus in omnibus herbariis desiderarentur; nec levior omnes de plantis Scanicis notitias prodiisse dispersas et quidem ab uno alterove a tirone lecto specimine sæpe haustas. Species porro pro Flora Suecica novæ hinc inde obviæ publicabantur, sed antiquitus lectæ, si haud negligerentur, certe in specie non inquirebantur. Hinc plurium rariorum loca natalia, planta priscis locis exstincta vel sæpe modo per multa decennia haud lecta, amissa erant, quando Floræ Scanicæ conscribendi cepi consilium. Aliæ plantæ recentiori modo accuratius examinandæ, cum nomina tantum satis ambigua exstarent indicata. Cardo in eo verti mihi videbatur, ut omnes plantæ denuo examinarentur (eadem passim sub diversis nominibus publicata erat), ut singulæ plantæ loca natalia denuo confirmarentur vel, si priscis deesset, nova substituerentur. [Temerarium omnino fuisset concludere plantam, eadem loco indicato una alterave visa frustra quæsita, in Scania haud nasci]. Hoc quoque studium supra omnem exspectationem successit; sed multæ species antiquitus Scaniæ adscriptæ per viginti annos quærebantur, priusquam locus definitus innotuit. Hac ratione omnem Scaniam, excepta Gothungia summa parte, iteratis vicibus et diversis temporibus proprio semper sumtu perscrutatus sum, ut fidam, si non completam, naturam enim nemo exhauriet, *vegetationis hodiernae* in Scania adumbrationem me exhibiturum speraverim. Bene novi aliis placuisse hanc plantam exclusam, illam additam, in his suo utantur judicio; equidem vero non aliorum commentis, sed meae experientiæ indulgere debui. Eas dico *plantas indigenas*, quæ per longam annorum seriem sine omni cultura intra provinciam copiose et definito loco propullarunt et quotannis sunt multiplicatæ; exclusis igitur omnibus una alterave vice tantum obviis, suis locis haud persistentibus vel casu ex hortis dispersis; parum vero curans utrum planta ceterum, autoctona vel primitus introducta videatur; *ad hanc classem ubique longe plures pertinent quam vulgo fingitur et plerumque de hac re certum quoddam statuere impossibile est.* [Ridiculum sane videtur v. c. e Flora

Upsaliensi excludere *Buniam orientalem*, licet ante 60 l. 50 annos sit introducta, cum nostro aevo vix alia planta vulgatior infestiorve. Res eadem est ac si in Geographia v. c. Britanniæ non recentiores florentes urbes, sed sic dicta "putrida" oppidula tantum recipere velles. Ubique inter Geographiam et Historiam distinguendum. Ex altera parte constans fuisset reliquias vegetationis tropicæ in cote ad Höör etc. recipere et hodiernam vegetationem excludere.]

Ab anno 1814 successive in *Novitiis Florae Suecicae* aliisque locis publicavimus stirpes a nobis lectas, in Floris vero Suecanis desideratas; magna harum pars ad Floram Scanicam pertinet: specimina insuper tam antiquitus lectarum restitutarum quam intra Scaniæ fines antea haud observatarum cum Floristis Patriæ communicavimus. *De vegetatione Scaniae* Lundæ 1820 egregie disseruit *J. Forsander*, qui omnes suas schedulas mihi tradidit. *Florulam Regionis Cimbritshamniensis J. Areschoug* Lund. 1830 et *Regionis Landskronensis* Lund. 1835 L. Baro *Düben* inceperunt. Regionem trans Helgeå in specie diligenter observavit Cel. Prof. *J. Åkerman*, qui multas rarissimas stirpes largitus est. Regionem montis Kullaberg nob. Lib. Baro *Gyllenstjerna*, Onsjöensem *N. O. Ahnfelt* Theol. Docens. variasque plagas Scaniæ orientalis *J. Ljungstedt*, Med. Doctor diligenter disquisiverunt, ut etiam *A. E. Lindblom*, qui varia per provinciam suscepit itinera Botanica. Idem laudatus *Ahnfelt*, qui Muscos Scaniæ solus accuratius examinavit eosque in hoc opusculo enumeravit, *Lundae* 1835 edidit *Dispositionem Muscorum Hypnoideorum Scaniae* multosque eximios fungos primus observavit. In his vero investigandis Cl. Studiosus *N. Angelin* nemini secundus et Lichenes plurimos rariores debemus pie defuncto Med. Doct. *Ljungstedt*. — Ut omnibus denique pateret et magis objectiva fidaque foret cognitio vegetationis Scaniæ rariores hujus provinciæ stirpes exsiccatas in *Herbario normali plant. rar. et crit. Succiae*, divulgare cepit oculatiss. plantarum investigator Candid. *H. H. Ringius*, qua de caussa maxima ei debent omnes, quibus cognitio vegetationis Patriæ cara sit. — *Facile est inventis addere.*

CLAVIS
IN DISPOSITIONEM FAMILIARUM.

Sua cuique aevo commenta; nostri videtur, disciplinas naturae si spectaveris, omnia in formam systematicam redigendi studium. Quid boni, quid vani huic insit, nos sub saeculi labaro militantes non dijudicabimus. Id vero singulare nobis videtur et characteristicum, vitae ipsius evolutiones et functiones, quas Physiologia s. Biologia tradit, in systemata strictissima cogi; objectorum vero ipsorum dispositionem, *in usum perceptionis humanae excogitatam*, ab omnibus facile vinculis, etiam Logices, solvi. Hac libertate, quam, suae gratia, naturae dicunt, conspectum objectorum, quod systematis finis, non sublevant; 'libertas naturae", ut dici solet, non ad hoc caput sed ad singularium observationem pertinet. Mallem equidem libertatem naturae in operando servatam, licentiam et arbitrium systematicorum proscripta.

Ante omnia systematica pericula duae praecipue notiones, primo *systematis*, dein ipsius *objecti*, perceptae esse debent. Illud formam tantum, hoc materiem respicit. Haec ex accurata et passiva observatione tantum hauriri potest; systema vero non est quoddam mere empiricum, nec subjectivo affinitatis sensu tantum conditur *); frustra quaeritur, ubi principia sunt vel disjecta membra vel tenere nulla. Neglectis differentiis observationis et constructionis habemus empiriam ad principia praecepta emendatam et accomodatam, systemata

*) Ceterum ingenue fatear me haud credere systematis perfectionem ex observationum mole vel extensione objectorum cognitionis pendere; potius ex observationibus paucioribus puris et plenis, et typis rite exceptis.

ex observationibus, disparatis saepe, tantum accumulatis. Suum cuique.

Praecipuum est, bene observante Ill. Wahlenbergio, discernere, quousque naturam tantum ducem sequi liceat, quando ars subveniat. Illud in singularibus, ut speciebus limitandis exclusive, in generibus et familiis i. e. generibus superioribus limitandis ex maxima parte fieri debet. Optandum sane esset in reliquis etiam vestigia naturae nos sequi posse, sed in his, de plantis loquor, quae, Linnaeo jam teste, undique affinitatem monstrant, affinitas tam multiplex, tam varia, tantum a subjectivo sensu pendens, ut *sine artis cynosura familiarum ordo et locus definitus numquam determinari possit. Ars* enim s. *systematica principia* affinitates novas contra naturam non statuant, sed *inter multifarias singulae familiae affinitates; quae primariae sint, dijudicent.* Hinc *emperia* ad systema construendum haud sufficit. Frustra sperant, e novis inventis naturae seriem fore illustratam, limites nunc deficientes fore perspicuos; omnis experientia docet, illis tantum seriem magis intricari, limites pro tempore evidentes formis mediis obliterari. Et quidem hoc e vera notione naturae sequitur; haec, ut alio loco exposuimus, *strictas systematicas sectiones non agnoscit; integra enim est, qualem cum excipere non valeamus, in nostrum usum laceramus et iterum dein qualitercumque resarcimus.*

Hinc omne systema, naturale etiam, quoad formam artificiale simul sit. *Systema* illud *naturae* ipsius absolutum (quod mera empiria captant!) mens humana capere non potest; est quoddam supranaturale; cujus clavem, manibus l. ingenio humano non prensandam, summus tantum tenet naturae Auctor. Affinitates plantarum cum myriadibus stellarum potissimum comparem; familiae illarum horum constellationibus respondent, sed quis spondeat, *ea per se esse proxima, quae nostris oculis ita videntur*, quis astra in seriem vicinitatis simplicem ordinare periclitaretur? Ut meam praefiscini dicam sententiam, benevolo studio *naturae ipsius systema* empirico

condendi et sic coelum versus adscendendi, turrim exstruunt Babylonicam; nec jam desunt moles et linguarum perturbatio.

Quod judicium, ne asperum nimis et injustum videatur, ita temperemus, ut summam tribuamus laudem studio plantarum affinitatem apparentem, absolutam modo non fingamus, extricandi, familias limitandi e. s. p. — Haec quoque praecipua sunt, haec omnis systematis fundamenta, hic est sedulae empiriae campus, cujus vis omnis constructionis longe antepollet. Non ideo vero haec spernenda, non (quod praecipue est tenendum) cum observatione confundenda, nec, ut saepe fit, empiriae substituenda. Familias vero naturales, practicum usum si respexeris, sine clave, in qua dira regnat principiorum necessitas, Linnaeus "*campanam sine pistillo*" dixit. Earum dilaceratio, bene observante *Reichenbach*, sine illo regimine in infinitum perduci potest. Sed familias ceterum, ut genera superiora indeque ex maxima parte naturae consideratas, ab artis s. systematis vinculo liberas esse oportet. Hinc *ordines* superiores artis a *familiis* naturae distinguimus; sub singulo ordine unam l. plures complectimur familias s. genera. [Me ad haec numerum quondam definitum * extendere velle, et contra diserta mea verba et contra omnem meam expositionem falso perhibitum vidimus.]

Ratio, cur familiarum naturalium studium, nucleus licet scientiae, inter omnes gentes germanicae stirpis et eruditionis tamdiu neglectum, saepe parvi aestimatum fuerit, quaerenda est in defectu omnis formae objectivae. Bene sciunt, formam tantum esse externum quoddam, aucta experientia perpetuo temperandum **; at simul sine hac ut exotericam disciplinam non apte pro-

* De his infra disputandum est.

** Duo hoc loco notandi errores, alter eorum, qui systema quoddam vel ut absolutum amplectuntur, alter eorum, qui in systematibus v. c. philosophicis nil veri vident, cum continue in evolutione versentur.

poni posse, nam ista "libertas", nullis principiis religata, ad scientiae dissolutionem (pro tempore magni nominis auctoritas illam tueri potest) aeque certe ducit, ac in rebus politicis ad reipublicae. Hinc *Linnaeus*, cujus familiae naturales omni jure Scholae gallicae illius temporis pares saltim censeantur, easdem selectis discipulis privatissime tantum proposuit, praemonens sine clavi esotericam tantum scientiae partem constituere. Hinc, postquam studium familiarum naturalium in Germania florere coepit, vidimus omnes autonomos Auctores ad formam objectivam variis modis tendere. Perpetuo vero scholae gallicae sit honor observatione passiva, a gentibus germanicae stirpis saepe aliena, et summa diligentia familias naturales extricasse et sic nostro sensu praecipua praestitisse. Familiarum cognitio hoc modo tantam perfectionem, tantam in practicam vitam nacta est vim, ut nemo, nostro aevo Botanicus salutandus, pleniori earum cognitione carere possit. At nisi clavi systematica easdem pro tempore * continere mihi successisse fingerem, certe non primus in Suecia Florulam secundum ordines naturales conscripsissem.

His obiter, calamo in temporis et verborum angustie titubante, indicatis, ad clavis subjunctae explicationem transeo. Qua ratione natura sit observanda, quo ordine in ejus studio et systemate progrediamur, qualis sit affinitatis in natura nexus, qualis hinc systematica constructio, quae perfectionem inter plantas indicent et quae plantae hinc perfectissimae, nempe in Scandia VI, variis aliis locis nostrum et ab antecessoribus vulgo recedens judicium exposuimus — nec hoc loco, ne capitulatim quidem, repetere licet. Multa quoque ex his ab

---

* Communis est error, systema quoddam frustaneanum censere, quod uno ictu non omnia singularia, quale nullum exsistet, absoluta praestet. Melius sane est, ut contineat ulterioris evolutionis semina; haud leve est, si unam alteramve ideam novam et veram exponeret. "Emendent, qui possunt, desistant qui impares sunt."

omnibus tam recepta vidimus, ut interpretem nescire videantur invehentes in unum, numeros constantes *, quod mea forsan culpa, licet verba nobis ipsis clara videantur, haud rite perceperint.

Systema, quod uno organo tantum nititur, reliqua negligens, ad dispositionem artificialem necesse ducit. Naturale enim eo ipso nomen suum tuetur, quod omnia

---

* Ratio simplicissima est manibus facile prensanda. Experientia purissima clare demonstravit intra pares et affines classes et ordines naturam eandem sequi evolutionis seriem. Quando nunc ex eodem principio, ut intra eandem sectionem in systemate necesse est, subdividuntur, totidem oriuntur evolutionis gradus, et hinc totidem subdivisiones. Nescio an quid magis naturale, magis constans sit. Ex eo, quod quattuor in plantis Homonemeis assumsimus evolutionis gradus, quos facile salvo nostro principio in plures solvere licet, nulla ratione habita subdivisionis fundamenta, ab ignorantia l. levitate primo expositum est, me nil aliud moliri, quam omnia quaternatim disponere. Tam ridiculum hoc effatum mihi videbatur, ut refellere opere dignum haud censerem, praecipue cum disertis verbis praemonui. Syst. Orb. Veg. 21. "Alii viri alios et *certos* laudant numeros fundamentales, sed hoc per se perinde est modo simul sumtus affinitatis complexum (evolutionis gradus) explicet. Cavendum, ne numerum quendam ut cabbalisticum amplectamur vel qualitatem occultam ei tribuamus, in superioribus sphaeris ob organa plura (evolutionis gradus) major admittendus, quam in inferioribus e. s. p." Sed temporis mos est, non a fonte ipso, sed e rivulis spuriis notiones suas haurire, et sic intellexi, credulos revera fingere nos quaternarium colere. Qui non intelligunt agi de paribus evolutionis gradibus pariter excipiendis, pigri nobis videntur ingenii; qui me quaternarium tantum numerum vel alium numerum certum ut universalem colere perhibent, *mendaces* dicimus.

respiciat. Verum quidem est, existere partem, quae reliqua in nuce complecti videatur, quamque ideo, embryonem dico, summi viri amplectuntur. Atque rem a priori considerans hujus vim quis negaret? Ea vero est theoriarum ratio, ut oppositae sententiae pari successu et pari fragilitate defendantur. Sic ex altera parte haud leviori veritatis specie objiciatur, hanc partem non esse simplicem, sed reliquas in potestate sistere, nec ea in umbra l. caligine potius esse quaerenda, quae planta ipsa sunt plenius explicata et declarata. Ex utroque horum igitur argumentandi generum res in ambiguo manet. Naturam vero ipsam consulentes embryonis differentias semper obscuras *), saepe fallaces, in affinibus varias vidimus, ut minor practicus usus haud bene compensetur majori in dispositionis fundamento conformitate. Est vero haec apparens tantum; ad singularia idem principium pertendere non licet, nec sine saltu ad reliqua transscendere. Cardo in eo vertitur, ut organorum differentiae essentiales eorumque nexus, e successiva totius plantae evolutione et mutuo recussu explicati, in unum combinentur. Hac ratione cum singulo novo metamorphoseos gradu nova emergunt systematis membra.

Metamorphoseos gradus **) eo ordine essentiales nobis videntur, quo (ratione existentiae) primarii, quo totius plantae fabricam maxime mutant. Hac lege observata characterum gradatio et facilis videtur et definito principio niti. In antecedentibus gradibus ii tantum essentiales, qui antagonismo plures differentias sequentium secum trahunt — Primi ordinis igitur sunt germinationis, secundi vegetationis, tertii ordinis floris, quarti et infimi fructus, qui ultima est metamorphosis et hinc in nullam sequentem, excluso semine, a fructus indole ceterum haud pendente, agens. Fructus ejusdem

---

* Quot et quanti dissensus inter analyticos summos. Multa ad praeceptam theoriam explicanda. Sed Botanice descriptiva non est scientia theoretica.

** Quot metamorphoses plantae sint typicae et qua ratione a vitae vegetabilis idea deriventur, expositum est in *Syst. Orb. Veg.* 1, *p.* 29.

indolis in diversissimis plantis redit, numquam vero germinatio e. s. p. In prioribus metamorphoseos gradibus differentiae typicae paucae, in sequentibus plurimae, hinc illae ad summas sectiones, hae ad inferiores quoque aptissimae. Aliam characterum gradationem naturalem, quam hanc naturae ipsius evolutionem sequentem, non video.

Germinationis principium est semen. In hujus indole duplex observatur discrimen omnium maxime universale, *Seminum* nempe et *Sporarum*. Nullum sane tantum in omnes sequentes evolutionis gradus excercet recussum. Semina intra integumenta cotyledones fovent, hinc plantae e seminibus germinantes dicuntur COTYLEDONEAE; e sporis nudis germinando in fila elongatis nascuntur NEMEAE, quae duae sectiones, ut regni l. potius orbis vegetabilis *hemisphaerae* considerari possunt [Seminis indole hae numquam non facile discernuntur, sed Cotyledones inter Cotyledoneas, fila inter Nemeas subinde obliterantur, ut *deficere* videantur, tum Acotyledoneae et Anemeae a nobis dicuntur. Cfr. *Syst. Orb. Veg.* 1. p. 51., sed Nemeae numquam cotyledones, Cotyledoneae filum simplicem numquam edunt.]

Sub *vegetatione*, praeter differentias a praecedentis germinationis jam pendentes, emergunt novae eadem ratione in sequentibus recurrentes. Ex his alterum subdivisionis membrum. Cotyledoneae jam per germinationem enituntur unam l. duo cotyledones, quae differentiae in herba: trunco exogeneo l. endogeneo, foliis venoso-reticulatis l. simpliciter nervosis subvaginantibus e. s. p. manifestiores, hinc in Exogeneas (*Dicotyledoneas*) l. Endogeneas (*Monocotyledoneas*) subdivisae. Nemeae vel nova primum metamorphosi peracta vel immediate simplici metamorphosi fructum edunt, i. e. germinatio et vegetatio non sunt segregatae; illae *Heteronemeae*, haec *Homonomeae*. Haec sunt quattuor regni vegetabilis *provinciae*. *) Quae cum his rationibus, ut fabrica, non connexa v. c. externa forma, e. s. p., sunt accidentalia.

---

* Sequimur Systema Zoologicum Cüverianum in notionibus *provinciae, Classium* et *Ordinum* definiendis.

Sub tertio metamorphoseos gradu; qui ut vitae vegetabilis *flos* saepe duplicatus l. triplicatus videtur, sed ob antagonismum partium et coaetaneam evolutionem in plures primarios haud est resolvendus, plurimae obviam veniunt differentiae utique essentiales, sed *nulla* antecedentes e germinatione et vegetatione vincit. Easdem vero fructus antepollere non theoria tantum clare indicat, sed experientia ubique demonstrat, quanta enim affinitas inter Rosaceas Auct., fructu licet maxime diverso? quanta differeniia inter Alismaceas, Spiraeas, Ranunculaceas ceterasque quoad fructum analogas? E flore igitur tertium subdivisionis sumetur membrum, *Classes* offerens. Observandum vero inter Nemeas, integrum hunc metamorphoseos gradum a natura ipsa esse neglectum, quare major regnare apparet conformitas, dispositio nulla e flore existere potest, locum vero ejus tenet totius fructificationis ratio ad systema vegetativum. Ex altera parte in summis ex hoc gradu duplicato, immo triplicato, altiores series simul admittendae. Hinc paucae modo Nemearum, plurimae Dicotyledonearum Classes, licet, re ipsa hae specierum numero Nemeis inferiores. — Classes a nobis pro tempore saltim receptae in *Flora Scanica* expositae sunt. Pendent e situ *epigyno*, *amphigyno* (non perigyni synonymo) et *hypogyno*. Hunc infimum esse, *epigynum* summum jam et theoretice et empirice primo obtutu manifestum fingerem, ut etiam corollam monopetalam altiorem esse evolutionis gradum quam polypetalam: hanc nec illam, ab Apetalis, si naturam consulas, adscendere videbis. Haec plenius exposita in dissertatione nostra in Scand. VI.: »*Quae plantae perfectissimae*?» inscripta. Corollas irregulares omnes ad typum regularem reducimus.

Fructus denique differentiae maxime variant: intra singulam classem summi sunt quidem ponderis, sed ceterum in singula facile classe plantarnm Cotyledonearum redeunt vel, quod idem, omnia fructus genera primaria cum singulo floris typo conjuncta occurrunt. Hinc *ordines* tantum, seu quartum demum subdivisionis membrum, offerunt fructus. Sed in tanta horum varietate necesse videtur, eos ad certos reducere typos. Nec hoc neque aliud quoddam utile, effici credam novo pro singula

paene familia termino. Infimus gradus videtur 1) *fructus simplex* s. holocarpus, s. ex ovario unico, centrali (excentricus alios abortivos l. concretos, indicat) enatus non l. apice dehiscens, *placenta centrali!* Utplurimum unilocularis est, sed a placenta subinde formantur dissepimenta spuria v. c. in *Plantagine, Caryophylleis* quibusdam e. s. p. [Alii ut *Bartling* omnes valvatos e pluribus connatos quoque censent, nos vero hos etiam pro simplicibus ob unicam placentae basin *) censemus, verticillo foliorum in valvulas mutato enatos; **) Medius est 2) *fructus multiplex* s schizocarpus Reichenb. ovariis pluribus discretis in singulo flore, placenta sublaterali. Quando sunt capsulares, utplurimum folliculares, introrsum dehiscunt. Probe vero notandum in familiis fructu calyce adnato tecto carpella libera haud primitus apparere posse v. c. in Umbelliferis, sed matura secedunt, (sutura introrsum versa) et a calyce liberata mox emergunt discreta v. c. in genere Saxifragae. terior hujus evolutionis gradus, eadem ratione ac Corollae gamopetalae pleiopetalae (vide Suea l. c.), est 3) *fructus compositus* s. syncarpus, qui reliquas omnes et quidem plurimas fructus species complectitur, quibus plura ovaria in unum fructum coalita, placentis totidem excentricis; si findantur, extrorsum dehiscunt. Haec vero carpellorum unio per omnes modificationes variat; unione laxiori fructus multilocularis evidenter compositus, arctiori unilocularis fit, placentis vero pluribus distinctis v. c. in Viola; summa tantum monospermus (quartus facile s. *idiocarporum* gradus) placenta haud centrali, semine inverso e, s. p. ab holocarpis facile discernendus Ulterius igitur hic gradus subdividendus est, cujus indicia subodoro, sed nunc clare exponere non valeo. Ad-

* Tot typica ovaria numeramus. quot placentae vel simplices vel ramosae.

** Non dubito fore plerosque, qui fingant fructum syncarpum mediam esse rationem; at quando plura ovaria adsint, ut petala emergunt primo discreta; magis magisque concrescendo surgunt ad fructum compositum. Me in fructus classificatione Cel. *Reichenbach* in multis secutum esse manifestum puto.

misimus hoc loco duas sectiones, alteram stigmate unico, alteram stigmatibus plus minus discretis. [Stigmatum numerus stylorum, jam ob horum frequentem defectum, utique praeferendus.] Cum hae fructus et stigmatum differentiae in singula facile classe Cotyledonearum redeant prorsus analogae, *redeunt etiam iidem ordines*, quod probe tenendum. Videas *Mappam adnexam, in qua* 1. *a. indicat fructum syncarpum monostigmaticum*: 1. b. *syncarpum di-oo-stigmaticum; 2 fructum schizocarpum; 3 fructum holocarpum.* * (In summis *vero classibus spurie holocarpus videtur*).

Haec sunt systematis constructi prima lineamenta. Clavi adnexa series familiarum Scanicarum illustratur. Utrum hanc dispositionem artificialem an naturalem dicere malles, mihi perinde erit. Quoad materiem esse naturalem, quoad formam valde utique artificiosam fingerem. Sed hoc, meo sensu, veri systematis genius. Suis locis familiae exoticae facile inseruntur. In singulo ordine una l. plures familiae recipiuntur, has enim ut altiora genera consideratas ab arte, quantum fieri licet, liberas vellem. Numquam vidi manifeste et omnium consensu aperte affinia ad hanc clavem disposita divelli [exceptiones rarae suis locis ceterum facile indicari possent], in rebus ambiguis ipsa fuit cynosura. Sic variis affinitatis et analogiae gradibus omnes fere aliorum consociationes indicantur v. c. Decandollei *Succulentarum*, *Umbelliferarum* et *Rubiacearum* ut pares evolutiones in eadem serie longitudinali, Bartlingii *Portulacearum*, *Paronychearum* et *Chenopodiacearum* ut infima puncta contermina analogarum classium. Multa utique exponenda restant, quae temporis angusties vetat. At quae una die currente calamo sunt conscripta, ea saltim per octodecim annos permeditata et sic bis saltim modo hoc sufficiat, observatum aureum illud Horatianum:

«*Nonum prematur in annum.*»

---

* Neminem fingerem esse tam rudem, ut intelligere non possit, me numerum ternarium inter has vel binarium l. quaternarium inter Nemeses neutiquam ut cabbalisticum vel symbolicum quoddam colere! Mallem sane, ut plures fructuum classes separentur, quo facto numerus v. c. quinarius l. senarius aptior i. e. tot ordines quot fructus evolutionis gradus separantur

e vegetatione, fructificatione obscuriori, dispos
perioribus fructificatione antepollent, v. c.
ticae Bryaceis, Bryaceae Lycopodieis. Sic eti
cetes infimis perfectissimi asci et sporidia e. s.
eto, inter Cryptogamas maxime nudo.

A. HETERON

Fila germinantia in frondem ca
saltim; saepius quarta vel quinta inter Co
discreta. Imperfecte vasculares, evidentius

a. *solitaria*, simplicia, in frondem dila

XVII. *FILICES*, l. c. p. 214.

(Monocotyledoneae cryptogamae s. *Mononem*
endogeneae. Vegetatione, foliis Muscis p
fructificatio inferior).

(*Cycadeae*).

1. Capsulae gyratae in frondis superficie agg
Polypodiaceae, l. c.
2. . . . . . semibivalves in spicis discretis ped
Ophioglosseae, l.

3. . . . . . in receptac. ad basin foliorum Am
ceae, p. 219.
*. Blastospora: *Isoetis.* Aquatica.

B. HOMON

Fila germinantia cum systemate
milaria. Fructus prima metamorphosis. M

a. *praesentia.* Color vegetabilis.

XIX. *ALGAE*, l. c.

«His radix, caulis, folia in unum.» Li
Veg
1. Exogeneae, stratis thalli discretis: *Lichen*

C l a v i s

in familias plantarum indigenas secundum affinitatem et analogiam.

Plantae germinant vel seminibus cotyledones [illegible]ventibus = COTYLEDONEAE s. Phanerogamae: vel sporis in fila extensis = NEMEAE s. C[illegible]ptogamae. Illae vel DICOTYLEDONEAE, exogeneae, foliis venoso-reticulatis, vel MONOCOTYLEDONEAE, endogeneae, foliis longitudinaliter nervosis.

I. DICOTYLEDONEAE

† perianthio genuino, COMPLETAE, toro p[illegible] petalis incrassato, staminifero:

Stamina inser[illegible]:

A. *Corollae*, I. COROLLIFLORAE Stirp. Scan. p. 1[illegible]

a. *epigynae:*	b. *amphigynae:*	c. *hypogynae:*
I. *SEMINIFLORAE* l. c. p. 1.	II. *ANNULIFLORAE* l. c. p. 20.	III. *TUBIFLORAE.* l. c. p. 32.
1. a. Synantherae (*anth.* 5) *l. c.*	1. a. Campanulaceae (*ant[illegible] 5.*) *l. c.*	1. a. Solanaceae. (*anth.* 5.) *p.* 32.
Dipsaceae (*anth.* 4) *l. c. p.* 15.	(b. Gesnerieae. *anth[illegible] 4.*)	Personatae (*anth.* 4.) *p.* 34.
b. Valerianeae. *l. c. p.* 17.	b. Polemon. Convolvul[illegible]eae. *p.* 22.	b. Gentianeae. *p.* 41.
2. Rubiaceae. *l. c. p.* 18.	2. Boragineae. (*anth.* [illegible]) *p.* 23.	2. Asclepiadeae. *p.* 43.
(Et pentandr. et tetrandr.)	Labiatae. (*anth.* 4.) [illegible] 25.	3. Primulaceae. p. 43.
3. Caprifoliaceae. *l. c. p.* 19.	(3. Hydroleaceae).	*recedentes:* Plumbagineae
		Plantagineae. *p.* 46.

B. *Receptaculo*, II. THALAMIFLORAE, Stirp. Scan. p. 48.

a. *epigyna l. in disco:*	b. *amphigyna.*	c. *hypogyna* (nec disco inserta.)
IV. *DISCIFLORAE* l. c. p. 49	V. *BASIFLORAE* [illegible] c. p. 59.	VI. *COLUMNIFLORAE* l. c.
1. a. Corneae. *l. c.*	1. a. Berberideae. *l. c*	1. a. Cistineae. *p.* 76.
b. Celastrineae (*disco adnato*) *p.* 50.	b. Cruciferae (*Calyc.* 4 *p[illegible]yll.*) *p.* 60.	b. Tiliaceae (*Styl.* 1.) *p.* 80.
Malphigiaceae (*disco liber.*) *l. c.*	Papaveraceae (*C.* 2 *p[illegible]yll.*) *p.* 68.	Hypericineae (*Styl. plur.*) *p.* 79.
2. a. Araliaceae (*baccatae.*) *p.* 51.	2. a. Nymphaeaceae. (*ova[illegible] inclus.*)	2. a. Gruinales (*ovar. concret.*) *p.* 82.
b. Umbelliferae. (*fruct. sicci*) *p.* 52.	b. Ranunculaceae. (*ova[illegible] liber.*)	b. Malvaceae (*ovar. discr.*) *p.* 81.
3. Lorantheae *l. c. p.* 58.	3. Balsamineae. *l. c. p.* 75.	3. Caryophylleae. *p.* 84.
		Alsinaceae.

C. *Calyci*, III. CALYCIFLORAE, Sti[illegible]p. Scan. p. 91., *adnato toro*

a. *epi-perigyno:*	b. *amphigyno:*	c. *hypogyno:*
[illegible] 92. (stipul. o).	[illegible] 99. ([illegible])	[illegible] p. 118.
1. a. Calycanthemae (*Capsul.*) *p.* 93.	1. a. Leguminosae (*Legum[illegible]*) *l. c. p.* 100.	1. a. Ericinae *l. c. p.* 119.
b. Rhamneae (*Drupae*) *l. c. p.* 95.	Drupaceae (*Drupa*) *l. c. p.* 109.	b. Empetreae (*Drup.*) *p.* 122.
Ribesiae (*Pepo*) *l. c.*	b. Pomaceae (*Pomum*) *l. c. p.* 110.	(Aquifoliac.)
2. Succulentae. *l. c. p.* 96.	2. Senticosae. *l. c. p.* 1[illegible]2.	2. Euphorbiaceae *l. c. p.* 123.
3. Portulacaceae *l. c. p.* 98.	3. Paronychieae *l. c. p.* 118.	3. Polygoneae *l. c. p.* 124. (*vaginat.*)
		Chenopodiae *l. c. p.* 130. (*evagin.*)

†† Apetalae IV. INCOMPLETAE, toro hau[illegible] incrassato l. staminifero:

Perianthio

a. *gamosepalo-concentrato:*	b. *squamaceo-imbri[illegible]to:*	c. *nullo l. ambiguo:*
X. *BRACTEIFLORAE* St. Sc. p. 137.	XI. *JULIFLORAE* [illegible]irp. Sc. p. 141.	XII. *NUDIFLORAE* Stirp. Sc. p. 154.
1. a. Vepreculae l. c.	1. a. Fraxineae. *l. c. p.* 1[illegible]	1. a. (Chlorantheae)
b. Aristolochieae (*hermaph.*) *p.* 138.	b. (Juglandineae)	b. (Piperaceae)
Cucurbitaceae. (*diclin.*) p. 139.	Amentaceae *l. c. p.* [illegible]13.	2. (Saurureae)
2. (Artocarpeae)	2. Salicineae. *l. c. p.* [illegible]	Callitrichineae. *l. c. p.* 155.
3. Urticeae *l. c. p.* 140.	3. Myriceae (*distigmat.*) *l. c. p.* 150.	3. Nayadeae } *p.* 156.
(Balanophoreae)	Coniferae (*monostign[illegible]*) *l. c. p.* 151.	Ceratophylleae } *p.* 156.
? *Lycopodiaceae* p. 222.	*Equisetum* (*astigmat.*) p. 153.	*Chara* (Cryptogama) *p.* 158.

II. MONOCOTYLEDONEAE

Perianthio

† completo biseriali.		†† incompleto l. nullo.
a. *Stamina epigyna:*	b. *Stamin. amphi[illegible]na:*	c. *Stamina hypogyna:*
XIII. *FRUCTIFLORAE* St. Scan. p. 161.	XIV. *LILIIFLORAE* St. Sc. p. 168.	XV. *SPADICIFLORAE* St. Scan. p. 178.
1. a. Orchideae *l. c. p.* 162.	1. a. Liliaceae *l. c. p.* 16[illegible]	1. a. Callaceae *l. c. p.* 179.
b. Irideae (triandr.) *l. c. p.* 166.	b. Melanthaceae *l. c. p.* 175.	b. Orontiaceae. *l. c. p.* 180.
Narcisseae (hexandr.) *l. c. p.* 167	*Helonieae.*	*Sparganium.*
2. Hydrocharideae. *l. c. p.* 168.	2. Alismaceae *l. c. p.* [illegible]	2. Potamogetoneae *l. c. p.* 180.
3. (Valisneria)	3. Juncaceae *l. c. p.* [illegible]	3. Cyperaceae *l. c. p.* 184.
	Typha vid. Callac.	††† bracteaceo, valvato:
		XVI. *GLUMIFLORAE* p. 193.
		Gramineae. *l. c. p.* 194.
Series fructu praepollens, epigyna, regressiva.	Series flore praepollens, [illegible]tralis, amphigyna.	Series vegetatione praepollens, progressiva, hypogyna.

e vegetatione, fructificatione obscuriori, disposi[illegible]e. Inde oriuntur plures rationes inversae. Sic inferiores superioribus fructificatione antepollent, v. c. Marsileaceae Ophioglosseis, Ophioglosseae Polypodiaceis, Hepaticae Bryaceis, Bryaceae Lycopodieis. Sic etiam Musci Filicibus, Fungi Algis. Inter Lichenosas et Ascomycetes infimis perfectissimi asci et sporidia e. s. [illegible] Cum inter Phanerogamas agmen ducunt familiae fructu tecto, inter Cryptogamas maxime nudo.

A. HETERONEMEAE. *Stirp. Scan.* p. 213.

Fila germinantia in frondem caulemque heterogeneum abeunt, hinc fructus secunda (tertia saltim; saepius quarta vel quinta inter Cotyledoneas) metamorphosis. Folia a trunco [illegible] discreta. Imperfecte vasculares, evidentius series vegetativa.

Fila germinantia

a. *solitaria*, simplicia, in frondem dilatantur.

XVII. *FILICES*, l. c. p. 214.

(Monocotyledoneae cryptogamae s. *Mononemeae* endogeneae. Vegetatione, foliis Muscis perfectior; fructificatio inferior).

(*Cycadeae*).

1. Capsulae gyratae in frondis superficie aggregatae: *Polypodiaceae*, l. c. p. 215.
2. . . . . . semibivalves in spicis discretis pedunculat: *Ophioglosseae*, l. c. p. 218.

3. . . . . . in receptac. ad basin foliorum: *Marsileaceae*, p. 219. Amphibiae.
4. Blastospora: *Isoetis.* Aquatica.

b. *plura* ramificantia in caulem thallumve coalescunt.

XVIII. *MUSCI*, l. c. p. [illegible].

(Dicotyledoneae [illegible] Bryaceae [illegible] ceae *Mnium*, Hyp[illegible]

(*Equisetum, Chara et Dicotyledones*).

1. Capsulae in axi foliorum [illegible] *Lycopodieae* [illegible] l. c. p. 222.
2. . . . . . seta pedunculati, calyptra et operculo clausae: *Bryaceae*, l. c. p. 225.

3. . . . . . valvatae, exoperculatae: *Hepaticae*. l. c. p. 240. Amphibiae.
4. Blastospora *Riccia*. Aquatica.

B. HOMONEMEAE. *Stirp. Scan.* p. 253.

Fila germinantia cum systemate vegetativo homogeneo (absque ullis partibus discretis) similaria. Fructus prima metamorphosis. Mere cellulares.

Gonidia

a. *praesentia.* Color vegetabilis.

XIX. *ALGAE*, l. c.

»Iis radix, caulis, folia in unum.« Lin.

Vegetativae.

1. Exogeneae, stratis thalli discretis: *Lichenes*. l. c. Aëreae.
2. [illegible]
   a) [illegible] *Byssaceae* [illegible]
   b) elementares, anocarpae: *Byssaceae spuriae* l. c. p. 296.

3. Endogeneae, angiocarpae: *Fucaceae* l. c. p. 299. Marinae.
4. Homogeneae, subfilamentosae, gonidiis ipsis multiplicatae s. Blastosporae: *Ulvaceae* l. c. p. 318. Aquaticae.

Appendix: Fructificatione nulla, thalli in granula (cymbellas Ag.) l. frustula divisione multiplicatae: *Diatomaceae* l. c. p. 331. (Phytozoa, crystallina.)

(Series vegetativa, progressiva)

b. *nulla.* Color metallicus.

XX. *FUNGI*, l. c. p. 337.

»Neque folia, neque ullae eis analogae partes virides.« Raj.

Fructificativae.

1. Exothalamii, sporidiis secedentibus: *Hymenomycetes* l. c. p. 337. Centrifugae.
2. Heterothalamii, prima nucleiferi. Centripetae:
   a) [illegible] jectis: *Discomycetes* l. c. p. 341.
   b) nucleo incluso, cum sporidiis diffluente: *Pyrenomycetes* l. c. p. 344.

3. Endospori, angiocarpi: *Gasteromycetes* l. c. p. 349.
4. Homospori, sporidiis conidiis similibus e filis discretes enati s. Blastospori: *Hyphomycetes* l. c. p. 353.

Appendix: Vegetatione propria nulla, e gonidiis l. chlorophyllo matris enati: *Coniomycetes* l. c. p. . (Entophytae. Exanthemata.)

(Series fructu praepollens, regressiva.)

...OGAMAE – ...

...c. ... plures rationes ... sub-
...rsil... Ophioglosseis, Ophio... ; Hepa-
... Fungi Algae ... et Ascomy-
... Phanerogamas ... fructu te-

...MEAE. *Stirp. Scan.* p. 213.

...heterogeneum abeunt, hinc fructus secunda (tertia
...edo...) metamorphosis. Folia a trunco radiceque unitis
...seri... vegetativa.

...la *germinantia*

...itur. b. ... in caulem thallumvo coalescunt.

... MUSCI, l. c. p. 221.

...sub... (... *...neae*, subexo-
...ectior; ... Bry-
... Hepaticae ..., Riccia *Lemnam*.

(*...*, *Chara* ... Dicotyledon).

...gatae: 1 ... in aliis foliorum sessiles nudae: *Lycopodiaceae*, l. c. 222.
... 215.
...culat: 2 ... seta pedunculati, calyptra et operculo clausae: *Bryaceae*, l. c. p. 225.
... 218.

...rsilea... 3. ... valvulae, exoperculatae: *Hepaticae*. l. c. p. 240. Amphibiae.
...hibiae.

... Blastospora ... Aquatica.

...MEAE, *Stirp.* ... p. 253.

...egetativo homogeneo (absque ullis partibus discretis) si-
...ro cellulares.

Gonidia

b. *nulla*. Color metallicus.

XX. *FUNGI*, l. c. p. 337.

...n. Neque folia, neque ullae eis analogae partes virides.
...itivae. ... Fructificativae.

...s. l. c. 1. Exothalamii, sporidiis secedentibus: *Hymenomycetes* l. c. p. 337. Centrifugae.
...Aëreae.

... 2. Heterothalamii, primo nucleiferi. Centripetae:

STIRPES SCANICAE SECUNDUM ORDINES NATURALES.

DICOTYLEDONEAE s. Exogeneae.

SERIES I. *Corolliflorae.*

Perianthium duplex discretum, interius corollinum gamopetalum (= monopetalum), a toro oriundum. Stamina uniserialia, definita, 5 l. infra (rarissime 7), cum corolla coalita et inserta. Stylus simplex vel raro plures conjuncti.

Classes e situ corollæ epigyno (*Seminiflorae*), amphigyno (*Annuliflorae*), hypogyno (*Tubiflorae*.)

Classis 1. SEMINIFLORAE.

Stamina inserta corollae epigynae. Fructus calyce apice coarctato tectus et inclusus. *Inflorescentia aggregata. Antherae 2-loculares, rima longitudin.*

Fructus vel *unilocularis* (inflorescentia capitato-involucrata), antheris nunc 5 coalitis — I. SYNANTHERAE, nunc 4 liberis — II. DIPSACEAE vel *loculosus* (inflorescentia nostris dissoluta), stigmatibus tribus — III. VALERIANEAE, duobus — IV. RUBIACEAE, simplici — V. CAPRIFOLIACEAE.

Fam. I. SYNANTHERAE. Rich. Less.

(Vulgo *Compositae*)

Char. Flores capitati, receptaculo communi inserti, calyci communi s. *involucro* cincti. Calyx ovario

adnatus, limbo nunc obsoleto, nunc coroniformi, nunc papposo. *) Corolla staminigera 5-nervis et 5-dentata, rarissime infra, laciniis aestivatione valvata. Antherae 5, lineares, in cylindrum circa stylum cohaerentes. Pollen subechinulatum. Stylus 1, apice subbifidus. Fructus (achaenium) unilocularis, monospermus; ovulum erectum, sed funiculo intermedio parieti fructus supra basin adfixum. Albumen o. *Nostrae herbae* (exoticae etiam arbores), *foliis exstipulatis. Metamorphoseos gradus 5!*

Ordo omnium vastissimus, ubique terrarum obvius, plerumque $\frac{1}{10}$ sape $\frac{1}{5}$ totius phanerogamae vegetationis constituens. Est itaque Dicotyledonearum centrum, a quo ordinem ducimus. Cfr. *Fries* in Scandia VI. p. 6. et sqq. — Ob partium conformitatem non sine difficultate in tribus sqq. e stylo floris hermaphroditi secundum Lessingium resolvuntur.

I. SENECIONIDEAE. Stylus aequalis, bifidus, ramis linearibus apice tantum penicillatis. Stigmatis series *maxime prominulae* apicem styli pertingunt distinctae. *Capitula heterogama, floribus ♀ aut neutris in ambitu, saepe radiant.* (1—36.)

II. ASTERACEAE. Stylus superne cylindricus, bifidus, ramis superne extus aequaliter puberulis. Stigmatis series vix prominentes ad limites pubis in facie externa desinunt. *Capitula priorum.* (37—45.)

III. EUPATORIACEAE. Stylus praecedentis, ramis extus subpapillosis. Stigmatis series ante medios styli ramos desinunt. *Capitula rarissime radiata.* (46—50.)

IV. CICHORIACEAE. Stylus superne cylindricus ramique aequaliter pubescentes. Stigmatis series praeced. *Capitula homogama, corollis omnibus lingulatis!* (51—80.)

V. CYNAREAE. Stylus superne nodoso-incrassatus, ibidemque pilis longioribus coronatus. Stigmatis series ad apicem ramorum styli attingentes et confluentes. *Corollae haud lingulatae.* (81—98.)

Trib. I. SENECIONIDEAE. Vastissima tribus, cujus subdivisiones dignoscuntur: *Heliantheae* antheris nigrican-

*) Pappum sistere calycis lobos optime testatur Tragopogon passim monstrosus achaeniis foliis! loco pappi, coronatis.

tibus — reliquaeque *pappo* a) *haud piloso,* capitulis radiatis = *Chrysanthemeae* l. flosculosis = *Artemisieae* b.) *piloso*, capitulis flosculosis = *Gnaphalieae* l. radiatis = *Senecioneae.*

a. *Heliantheae.* Hujus in tropicis vastae sectionis unicum nobis ex infimis generibus achaeniis ecorticatis, aristatis, aristis retrorsum hispidis foliisque oppositis insigne.

1. BIDENS *cernua* L. capitulis hemisphaericis cernuis.
Locis limosis per omnem Scaniam. Annis siccis et calidis saepius occurrit radiata. (Ros. Scan. 49, 85.)

2. B. *tripartita* L. capitulis truncatis erectis.
Locis similibus, solo pingui foliis 5-3-partitis, macro foliis integris. Haec, nec prior, est B. *minima* L.

b. *Chrysanthemeae.* Receptaculum a) *nudum*, achaeniis teretiusculis = *Chrysanthemum*, vel angulatis, nunc subnudis (recept. conico cavo) = *Matricaria*, nunc coronatis (recept. convexo solido) = *Pyrethrum:* b.) *paleaceum*, nunc convexum dilatatum, involucro patellari = *Anthemis;* nunc planum angustatum, involucro ovato = *Achillaea.*

3. CHRYSANTHEMUM *segetum* L. radio luteo.
In arvis agrisque arenosis vulgatissima et infestissima planta, sed jam rarescit in planitiebus argillaceis et in pineto-montanis vix persistens.

4. CHR. *Leucanthemum* L. radio albo.
In pratis et pascuis frequens; *hirsutum*, ramosum in regione campestri; *glabrum*, simplex, in silvatica. Lusus *pumilus*, brevi-radiatus in palustribus.

5. MATRICARIA *Chamomilla* L. radiis patentibus.
Copiose in agris, ad vias regionis campestris.
* M. *suaveolens* L., radiis paucis reflexis.
In cultis, ad pagos regionis silvestris. Insignior est quam olim finxi, odore gratiori; constans?

6. PYRETHRUM *inodorum* Sm. corona integra.
In agris, ad vias, in litore marino. Foliola hujus filiformia, sq. compressa, subtus bisulca, *Parthenii* plana ovalia.

7. P. *maritimum* Sm., corona lobata.
In Kullaberg tantum vidi, ibidemque copiose.

8. P. *Parthenium* Sm.; corona dentata.
In praeruptis maritimis ad Båstad copiose — et in saepibus et ruderatis totius regionis campestris minime rarum (Retz. V. A. H. 1769).
9. ANTHEMIS *tinctoria* L. radio luteo.
Ad Cimbritshamn tantum lecta.
10. A. *arvensis* L. radio albo foemineo.
Copiose in arvis, ad vias.
* A. *agrestis* Wallr. achaeniis apice contractis.
Inter segetes annuas in pineto-montanis.
11. A. *Cotula* L, radio albo neutro.
In ruderatis, plateis, locis incultis regionis campestris nimia.
† A. *maritima* Retz. Scand. 2. p. 98. a nemine recentiorum reperta est, sed adest exemplar cum loco (Kullen), anno et die, quo collectum, in Auct. herb., vix ad reliquas nostras referendum. Est itaque probe inquirendum.
12. ACHILLAEA *Ptarmica* L. foliis lanceolatis.
In pascuis et ripis frequenter (It. S. 264), nec in pineto-montanis desiderata. Variat foliis integerrimis! inter Lund et Hardeberga.
13. A. *Millefolium* L. foliis bipinnatis carnosulis punctatis.
Ubique solo macriori, praecipue in pascuis montanis. Var. *laciniis latioribus* Wahl. Succ. ulterius observanda, a sq. diversissima.
14. A. *nobilis* L. foliolis confertissimis tenuissimis.
In nemoribus silvaticis ad W. Wram alibique. (*Ros. Scan.* 48. *Retz. oec. p.* 12.) Optimam quoque ab Aspegren habeo e Blekingia. A praecedente fere differt ut *Senecio tenuifolius a S. Jacobaea.* Caules teretes, tomentosi magis foliosi, quam prioris, sursum ramosi ramis gracilibus, in corymbum densum convexum fastigiati. Folia amplexicaulia, ob pinnas deorsum haud decrescentes, laciniis omnibus tenuissimis haud carnosulis, vix punctatis. Rachis latius alata. Flores minores, odorati, radiis brevissimis. — *A. setacea* Kitaib., a Cand. *Areschoug* ad Cimbritshamn lecta, forte hujus varietas potius quam prioris in arenosis.
c. *Artemisieae.* Achaenia coronata, inflorescentia corymbosa = *Tanacetum*; ach. nuda, inflorescentia racemosa = *Artemisia.*

15. TANACETUM *vulgare* L.
Copiose in planitie australi (Sönderslätt) ceterumque passim v. c. ad Saxtorp, Westerstad, Årup.

16. ARTEMISIA *Absintium* L. foliis multipartitis, receptaculo villoso.
Rara v. c. ad Wegeholm *Leche*. Vere spontaneam vix vidi nisi in angulo boreali orientali v. c. in Jfö, Fjelkinge e. s. p. (dein in maritimis Blekingiae et agro Calmariensi copiosissima).

17. A. *vulgaris* L. foliis pinnatifidis planis.
Ubique vulgaris in cultis et incultis.

18. A. *maritima* L. foliolis filiformibus, capitul. oblongis.
Ad Öresund multis locis copiosissime v. c. in Kullen, ad Landskrona, Barsebäck (Leche) Lomma, Limhamn (Kalkhamn, It. Scan. 198), Gessige, Hammar. Est varietas elatior, erecta, cinerascens (*Art. salina* Willd.) floribus nunc pendulis, nunc arrectis; flosculi omnes fertiles; masculi in sq. abortivi.

19. A. *campestris* L. foliolis filiformibus, capitul. globosis.
Per plagas campestres et arenosas totius Scaniae, et mediae frequenter. Var. *sericea* ad Falsterbo.

d. *Gnaphalieae*. Involucrum imbricatum, receptaculum nudum = *Gnaphalium*; inv. bracteolatum, recept. in ambitu paleaceum = *Filago*.

20. GNAPHALIUM *arenarium* L. involucris aureis.
Ubique in plaga orientali arenosa (It. S. 77, 109); frequens in media ad Efverlöf (It. S. 279), Genarp, Tryde etc., passim in occidentali v. c. Stora Hammar, per territorium Harjager. Forma elegantior, floribus aurantiacis passim intercurrit (Ros. 44.)

21. G. *luteoalbum* L. involucris argenteis, androgynis.
Versus Scanör (Retz Suppl. 2. 10)., Falsterbo, Lilla Hammar. Stolones non agit.

22. G. *dioicum* L. involucris argenteis dioicis.
Locis macris ubique. Pappus ♂ clavatus.

23. G. *silvaticum* L. involucris fuscis oblongis.
In silvestribus passim, nunc simpliciter racemosum, nunc ex aliis racemiferum.

24. G. *uliginosum* L. involucris fuscis globosis.
Ad viarum margines etc. passim.

25. FILAGO *germanica* L. involucris globosis.
Extra portam borealem Helsingburgi (olim) *Leche.* Copiose ad Skabersjö, Hvellinge, Hammar, in tota regione circa Trelleborg freqventer, versus Ystad in Svarte skog.
26. F. *montana* L. involucris ovatis lanatis.
In collibus sterilibus rarior; sed variet. majori, paniculata, quae F. *arvensis* Leche! et Linn., nil in arvis vulgatius.
27. F. *minima* Fr., involucris conicis apice nudis.
In rupestribus montium Hallandsås; Kullaberg, Romeleklint passim; in clivis arenosis rarius.
e. *Senecioneae.* Involucrum basi bracteolatum, apice sphacelatum, pappo pluriseriali = *Senecio;* vel simplex, basi nudum, concolor = *Cineraria;* vel biseriale (amplum), pappo uniseriali = *Arnica.*
28. SENECIO *vulgaris* L. annuus, capitulis virgineis cernuis.
In cultis ubique absque radio; in maritimis passim radiatus.
29. S. *silvaticus* L. annuus, cap. virg. erectis subglabris.
In silvaticis, praecipue pineto-montanis, sed etiam in nemoribus campestribus et scopulis marinis (ubi minor) passim. In cultis radium amittit; etiam in arenosis inter *Annelöf* et *Tågarp.*
30. S. *viscosus* L. annuus, capitulis virgineis villoso-viscosis.
Tantum ad Höganäs, non parce.
31. S. *erucifolius* L., perennis, foliolis linearibus.
In aggeribus ad Skanör (It. Scan. 225) prorsus evanuit sed copiose crescit inter Malmö et Limhamn, ad Åkerslund inter Malmö et Lund; versus Trolleberg, in Kannikmarken (Ros. Scan. p. 46) et Dahlby juxta tertium a Lund lapidem, ad Skifvarp, Hörte versus Ystad (*Senecio tenuifolius* Retz. suppl. 1. 13). Inter Lund et Getinge lecta est varietas undique albo-tomentosa, et copiose (nec vulgaris) *pygmaea*, *digitalis* circa Trelleborg.
32 S. *Jacobaea* L. perennis, foliolis sursum dilatatis.
Per omnem Scaniam etiam silvestrem frequens. Varietas diffusa, canescens in arena ad Degeberga.
*. *barbareaefolius* Auct. rarius in udis Scaniae australis, fere idem ac S. aquaticus = S. *erucaefolius* Retz!
33. S. *paludosus* L. foliis lanceolatis.
Ad Lillö. *Leche.* In aquis pascuorum Christianstadii

Rosen Scan. 46, v. c. Isternäset *It. Scan.* 396, in Råbelöfs-sjö ejusdem regionis. Ceterum copiosissime juxta fossas in palude turfosa inter Gullarp et Bosarp — et in aquis stagnantibus ad Heljarp paroec. Kropp Scaniae occidentalis.

34. *Cineraria palustris* L. viscido-pubescens, paniculata.
In paludibus turfosis Scaniae campestris et frondoso-silstris, etiam mediae, usque ad Hallandiae et Blekingiae fines ubique copiose.

35. C. *campestris* Retz sublanuginosa, corymbosa.
In clivis circa lacus et fluvios v. c. juxta *Löddeström* a Lackalänge ad mare, copiosissima ad Höj; Stäfvie etc; *Saxtorps å* ad Dysiebro; *Köpinge å* ad Benestad; circa *Ifö-sjö* v. c. Ifvetofta, Råby backe, Oppmanna; ut etiam ad Ignaberga (*Osbeck* Phys. Sällsk. Handl. 1. p. 60.), Axelvåld (*Wahl.* Suec.)

36. ARNICA *montana.* L.
Per omnem Scaniam vulgaris, sed copiosissima in Gothungia (nam in Smolandia copiosissima totius regni).

Trib. II. ASTERACEAE. In *Inuleis* antherae caudatae et *Astereis* antherae ecaudatae. a. *Inuleae.* Pappus uniserialis in *Inula*, biserialis, serie exteriori coroniformi in *Pulicaria.*

37. INULA *Helenium* L. foliis ovatis.
Olim saltim ad Snogeholms-sjö, Harastorp prope Christianstad. *Leche.* A me tantum visa ad Malmö, juxta fossas viae ad Hvellinge.

38. I. *britannica* L. foliis lanceolatis villosis.
Ad fluvium Helgeå prope Christianstad (Ros. Scan. 48), Näsby e. s. p. et ad lacum Krageholmensem.

39. I. *salicina* L. foliis lanceol. glabris.
In pratis humidiusculis macris passim.

40. PULICARIA *vulgaris* Gärtn. foliis oblongis.
Locis squalidis pinguibus ad pagos campestres, frequens.

† P. *dysenterica*, foliis basi cordatis, radiceque perenni lecta dicitur ad Öresund; forte *Inul. britannica* L. Suec ad (Kulla-) Gunnarstorp, quae in Scania occid. non a recentioribus visa. Probe inquirenda, in insul. Danicis certa!

b. *Astereae.* Radius 1) *discolor*, achaeniis coronatis = *Bellis*, papposis plano-compressis = *Aster*; 2) *concolor*,

achaeniis teretiusculis, radio ♀ uniseriali = Solidago l. multiseriali = *Erigeron.*

41. BELLIS *perennis.* L.
A nive liquescente, saepe Januario et Februario, ad redeuntem nivem nil vulgatius in pascuis ad ultimos fines v. c. Ramsjö, inter Quiinge et Broby, Sissebäck.

42. ASTER *Tripolium* L.
Ad litus marinum, at non ubique, v. c. Torekow, Kullaberg, Landskrona (Ros. 30), Barsebäck, Malmö in fossis moeniorum, Trelleborg, Cimbritshamn, Raflunda (It. s. 126).

43. SOLIDAGO *Virgaurea* L.
In versuris et pratis Scaniae silvestris, campestris parcius.

44. ERIGERON *canadensis.* L. paniculatus.
In saepibus lapideis ad Gusnafva et arena volatili Scaniae mediae parcius.

45. E. *acris* L. racemoso-corymbosus.
In pascuis locis rupestribus passim.

Trib. III. EUPATORIACEAE. Capitula homogama in *Eupatorio* (caule folioso); heterogama in *Tussilagine* (scapigero).

46. EUPATORIUM *cannabinum.* L.
In udis et ripis Scaniae orientalis copiose in Ifö usque, occidentalis v. c. Skepparslöf, Ramlösa, Foglesâng (Leche), Efverlöf (J. s. 278), Heckeberga; australis parce v. c. Köpinge, Gilleskruf.

47. TUSSILAGO *Petasites,* L. thyrso ovato.
Frequenter ad piscinas urbium et pagorum, sed copiosissima silvestris circa amnes et rivulos Scaniae orientalis v. c. Köpinge å, prope Hâkanryd, Tranâs, Cimbritshamn; et Scaniae mediae ad Harlösa.

48. T. *alba* L. thyrso fastigiato.
In uliginosis scaturiginosis umbrosis ad pedes montium Scaniae meridionalis copiosissime v. c. ad Röddinge, inter Krageholm et Snogeholm, ad Abusa, versus Ringsjön (in cujus litus descendit) plurimis locis, ut ad Gudmundtorp et Klinta (R. Oec. p 741) — parcissime unico loco ad Foglesâng. (Linn. H. Clif.)

49. T. *spuria* Retz. thyrso irregulari.
Ad litora arenosa lacus Ringsjön, praecipue ad Bofäria

(R. Obs. 26) et Osbyholm copiose — et in arena maritima ad exitum fluvii Köpinge å, inter Kåseberga et Sandhammar. (Folia hujus angulosa, prioris rotundata).

50. T. *Farfara* L. scapo unifloro.
Ubique solo argillaceo.

Trib. IV. CICHORIACEAE. Subtribus e pappo piloso molli = *Lactuceae;* l. piloso rigido fragili = *Hieracieae*; l. plumoso = *Scorzonereae;* l. coroniformi aut nullo = *Cichorieae.*

a. *Lactuceae.* Achaenia compressa rostrata in *Lactuca*, truncatave in *Soncho*; fusiformia, punctata in *Crepide;* linearia, laevia in *Intybo.* Involucrum pauciflorum cylindricum basi imbricatum in *Lactuca*, imbricatum basi inflatum nudum in *Soncho*; ventricoso-torulosum basi bracteatum in *Crepide*, cylindricum, aequale, bracteato-calyculatum in *Intybo.*

51. LACTUCA *Scariola* L. aculeolata.
Ad vias, saepes, inter segetes extra portam septentrionalem Lundae copiose. (Calmariensis nulla re differt).

52. L. *muralis* Don, laevissima.
In rupestribus, silvis caeduis Scaniae borealis et jugi Söder Åsen, alias rarior ut ad Belteberga, Baldringe, Forsakar, Ifö. — Prenanthes. L.

53. SONCHUS *palustris*, L. perennis, foliis basi sagittatis.
In peninsula ad Valjö, in Scaniae et Blekingiae conterminis. Altissima planta perennis in Scania, Humulo forsan excepto.

54. S. *arvensis* L., perennis, foliis basi cordatis.
In agris aggeribusque nimius; angustior in litore marino.

55. S. *oleraceus* L., annuus, seminibus scabris.
In cultis copiose, forma foliorum ludens.

56. S. *asper* Hall, annuus, seminibus laevibus.
Cum priori, a quo plurimis notis constanter differt; totus rigidior; sapor acerbior; folia nitida minus divisa, dentibus pungentibus; pedunculi vix nudi.

57. CREPIS *biennis* L. stylis luteis
In aggeribus et versuris Scaniae totius campestris nil vulgatius, sed in frondoso-silvestri jam rarescit et in pineto-montanis desideratur. (*Crepis agrestis* Kit. herba hujus, involucris sequentis, stylis in vivo luteis, in sicco fuscis, in Suecia media passim copiosa, Upsaliae-

que a me hoc anno lecta, cum *Cr. bienni* non commutanda, nec in Scania visa est.)

58. CR. *tectorum* L., stylis fuscis.
Ubique copiosus et figura foliorum ludens.

59. INTYBUS *praemorsus* Fr. Hieracium L. Crepis Less.
Per omnem facile Scaniam, sed haud admodum copiose v. c. inter Lund et Dahlby, Ö. Thorn et Reften, Eserup, Saxtorp, Mörarp, N. Wram, Gammalstorp, Årup.

b. *Hieracieae.* In *Leontodo* involucrum quasi duplex, pappus stipitatus — in *Hieracio* involucrum imbricatum, pappus sessilis.

60. LEONTODON *Taraxacum*, L., squamis involucri exterioris linearibus laxis.
Ubique locis cultis et incultis. Var. *laevigata* in monte Kullaberg. Var. *obliqua* in clivis et campis arenosis, maritimis. Easdem a me specie numquam distinctas fuisse jam saepe frustra monui.

*. L. *palustris* Sm., squamis involucr. exterioris ovatis adpressis.
In campis uliginosis ad Reften alibique passim. Praecedentis esse filiam et in eundem transire jam ante quattuor lustra expertus sum et quotannis confirmatum vidi. Interea tam insignis, ut tironum gratia seorsim proponi potest, praecipue cum plurimi Auctores separent.

61. HIERACIUM *Pilosella* L. scapo unifloro, foliis subtus tomentosis.
In versuris et campis exsuccis passim.

62. H. *Auricula* L, scapo paucifloro, foliis subtus glabris.
Locis similibus, sed etiam locis humidis turfosis.

63. H. *collinum* Gochn, scapo unifolio multifloro, foliis subtus hispidis.
Olim in Sylvans lycka ad Lund copiose legi, jam ibidem exstirpatum; aliis vero locis forsan delitescens. (H. cymosum. Willd !) Eximie stoloniferum.

64. H. *cymosum* L, scapo basi foliato cymoso foliisque stellulato-pubescentibus.
A me tantum lectum est ad Råby backe in par. Ifvetofta copiose. Planta Scanica, eximie cymosa, at numquam stolonifera visa, a Smolandica (var. α. Fries Nov.) differt setis rigidis hispidis, quibus undique obsessa;

sed canescens nec ita foliosa, viridi-lutescens ac Ölandica varietas *echioidis*. Verbo, est H. *setigerum* Tausch!

65. H. *murorum* L. foliis radicalibus plurimis persistentibus, caulino solitario petiolato.
In Scania praecipue silvestri frequens; var. *silvatica* (H. pellucidum Laestad. et Wahlenb.) in fagetis minime rara. — Caulis subinde ramosus, tum folio singulo ramo subjecto polyphyllus evadit, nec ad sequens transire videtur. (H. murorum ambiguum *Wahl.* et forte H. *maculatum* Smith.)

66. H. *vulgatum* Fr. foliis plurimis caulinis, summis sessilibus. *Linn. it. Scan. p.* 304!
In Scania silvestri, haud raro. Hoc florente, prius defloratum.

67. H. *boreale* Fr., foliis omnibus caulinis, summis amplexicaulibus. H. sabaudum. *Linn. Fl. Suec. Retz!. Fl. Oec.*
Variis Scaniae locis *Retz.!* Ipse specimina typica e Scania haud servo. De hoc praecedentibusque Hieraciis cfr. *Fries nov.* 2. *p.* 246—262. Corrigendum modo, docente ipso Hartmanno, H. *rigidum* non ad hoc, sed ad prius meo sensu pertinere.

68. H. *umbellatum* L foliis omnibus caulinis sessilibus, involucro squarroso.
Ubique vulgare; maximum, ramosissimo-paniculatum, foliis latis sinuatis (H. Sabaudum *Fl. Dan. t.* 872) in Kullaberg — pumilum, saepe decumbens, uniflorum in arena volatili.

69. H. *paludosum* L. foliis caulinis cordato-amplexicaulibus glabris. Aracium. *Lessing.*
In dumetis paludosis ubique v c. Foglesång; etiam Scaniae pineto-silvaticae. (Proximae affines sunt *Sonchi* fl. coeruleo, qui ad Hieracieas pertinent. *Mulgedium.* Lessing.)

c. *Scorzonereae.* Receptaculum 1) nudum, pappo conformi pluriseriali stipitato = *Tragopogon*, sessilive = *Scorzonera;* nunc biserali, serie exteriori capillari = *Picris;* nunc subuniserialis, plumulis basi scariosis = *Apargia.* 2) Recept. paleaceum = *Hypochaeris.*

70. TRAGOPOGON *pratensis* L., pedunculis aequalibus.
In Scaniae pratis, etiam silvestris, communis. Mire va-

riat foliis, colore florum. Cfr. *Nov. fl. Suec.* p. 240. Omnino albiflora ad Trollenäs.

* *Tr. minor* Mill. foliis tenuissimis, radio involucro duplo breviori.

In clivis argillaceis ad Lund alibique.

71. T. *porrifolius* L. pedunculis incrassatis.
In aggeribus ad Christianstad copiose flore purpureo *Åkerman.* Ad Bosjökloster alibique flore luteo (*Tr. major* Jacq). Haec mihi videtur forma silvestris, a qua purpurea cultura forte orta.

72. *Scorzonera humilis* L.
Per Scaniam campestrem passim; pineto-montanam copiose, ibidemque tantum varietas *elatior* (Fl. *Dan. t.* 1653) in betuletis ericetosis asperis, serius florens et valde memorabilis. (Est *Scorzonera plantaginea* Schleich. Reichenb.)

73. PICRIS *Hieracioides* L.
In versuris et dumetis Scaniae occidentalis passim sed parce, v. c. ad Ramlösa (*Leche*), Belteberga, Norrviddinge, Osbyholm, Ryds skog prope Foglesång, Dahlby, Skabersjö; sed orientalis innumeris locis et copiosissime v. c. ad Högestad, Benestad, Baldringe, Tranås, Onslunda, Ölseröd c. s. p. (*Picris Echioides* Retz. idem est in agris natus.) Occurrit semper in ipso limite regionis campestris et frondoso-silvestris.

74. APARGIA *hispida* Hoffm. capitulis virgineis pendulis.
Per omnem Scaniam; etiam Gothungiam, frequens; varietas *hastilis* s. glaberrima in silvis humidiusculis inter Krageholm et Snogeholm, ad Baldringe, Röddinge c. s. p. (Pappus fere Picridis, serie exteriori piliformi, sed plumulae basi valde scariosae ut in sequ.)

75. A. *autumnalis* H., capitulis virgineis erectis.
Ubique in pratis et pascuis, scap. erecto l. decumbente, simplici aut ramoso; foliis integris, runcinatis, bipinnatifidis in litore ad Cimbritshamn (Areschoug), ubi etiam ipsissima A *pratensis* Link! calyce fusco-hirsuto. — Pappus omnino uniserialis.

76. HYPOCHAERIS *maculata* L. involucro ovato.
In pratis asperis siccis passim. Scapus uniflorus l. 1—2. brachiatus.

77. H. *radicata* L. involucro cylindrico, pappo radii stipitato. In pratis, pascuis, silvis Scaniae, ut totius Sueciae occidentalis, vulgatissima planta.
78. H. *glabra*, involucro cylindrico, pappo radii sessili. Annua haec species, nunc glabra, nunc hispida, frequentissima in angulo boreali orientali ab Årup ad W. Wram, dein sporadica ad Ryd, Höj, Annelöf, Båstad multisque aliis locis. Amat solum laxum, arenosum.

d. *Cichorieae.* Corona achaeniorum paleacea, biserialis = *Cichorium;* integra simplex = *Hyoseris;* nulla = *Lapsana.*

79. CICHORIUM *Intybus* L.
Ornamentum viarum per omnem Scaniam campestrem vulgare. In dumetis ad Benestad e. s. p.
80. HYOSERIS *minima.* L.
In arvis arenosis Scaniae mediae v. c. Simontorp parcius, copiosius in parte orientali ab Högestad ad Årup et W. Wram.
81. LAPSANA *communis.* L.
Locis cultis communis; var. L. *pubescens* Bernh. in umbrosis silvarum.

Trib. V. CYNAREAE. Subtribus *Carduineae* achaenia immarginata; et *Centaurieae* achaenia extra pappum marginata.

a. *Carduinae* (involucro spinescente) Pappus uniserialis, achaeniis villosis = *Carlina;* multiserialis, fugax, radiis basi liberis = *Arctium;* multiserialis, basi annulato-conjunctus, achaeniis quadricostatis = *Onoperdon* l. ecostatis = *Carduus.* Receptaculum paleac. in *Carlina* et *Arctio*, villosum in *Carduo*, scrobiculatum in Onoperdo.

82. CARLINA *vulgaris* L.
Locis asperis exsuccis, praecipue in jugis montanis; copiosissime in Hallandås v. c. ad Båstad.
83. ARCTIUM *Bardana* Willd. capitulis corymbosis, virgineis hemisphaerico-globosis, spinis aequaliter distantibus, infimis discretis, intimis apice dilatatis reflexo-patentibus coloratis.
In ruderatis, ad vias copiose. Capitula vulgo densissime albo-tomentosa.

84. A. *majus* Schk. capitulis paniculato-fastigiatis, virgineis ovatis, spinis infimis coalitis, intimis lanceolatis mucronatis pallidis.
Cum priori, sed rarior ad Lund e. s. p. Capitula semper glaberrima.

85. A. *Lappa* L. capitulis alari-racemosis, virgineis conicis, spinis infimis discretis, intimis stipatis subulatis.
Cum praecedentibus, sed plagas silvaticas sola incolit. Capitula leviter arachnoidea, sed etiam glabra.

86. ONOPERDON *Acanthium.* L.
In Scania orientali in arvis et ad vias circa Ystad, Cimbritshamn, Christianstad, in Ifö; occidentali in paucis locis ruderatis maritimis, ut ad Malmö, Lomma, Landskrona. Lundae deest.

87. CARDUUS *crispus* L., squamis involucri globosi squarroso-mucronatis. (Folia decurrunt, ut 3 sqq.)
In agris Scaniae omnis nimius; item ad vias, saepes, in maritimis et silvaticis (var. integrifolia).

88. C. *Acanthoides* L., squamis involucri globosi patenti-spinosis.
Jn aggeribus, arvis neglectis, ad vias per omnem Scaniam campestrem usque ad Christianstad et Helsingborg, sed regionem silvestrem fugit. (C. nutans Linn. Scan. 155, 199, 264 idem est; cfr. l. c. 264.)

89. C. *lanceolatus* L., squamis involucri ovati rigide spinosis.
Ad vias, in pascuis et silvis circa truncos.

90. C. *palustris* L., squamis inv. ovati adpressis mucronatis.
In dumetis udis, ad rivulos etc. frequens.

91. C. *arvensis* Curt., squamis inv. conici *dioici* adpressis, mucronat.
In agris, aggeribus; var. foliis maxime dissectis squarrosis in maritimis. Folia nunc subtus glabra, nunc albo-tomentosa. (Retz. *Obs. Bot.*) *Serratula.* Linn.

92. C. *heterophyllus* L. squamis involucri ovati adpressis, foliis amplexicaulibus.
In regione pineto-montana passim; in frondosa v. c. ad Årup, prope Hörby, S. Rörum, Bosarp.

93. C. *acaulis.* L. squamis involucri cylindrici adpressis, foliis spinosis.
Per omnem Scaniam, praecipue vero campestrem, solo

sterili inculto. Nunc prorsus acaulis, floribus plurimis aggregatis, nunc caulescens flore solitario, utriusque rubris.

* C. *rigens*, caulescens, subramosus, floribus ochroleucis. In nemoribus humidis, cum sequente, cui habitu et saepe involucro simillimus, licet in praeced. *tantum* transeat, passim v. c. Malmö, Alnarp, Reften, Fliinge, Öfvidskloster, Hörte skog. (*Carduus helenoides*. Retz.)

94. C. *oleraceus*, involucro basi folioso-bracteato. In udis Scaniae campestris passim, in frondoso-silvestris ita ubique vulgatissimus, ut loca specialia citari nequeant. (Ros. n. 50, It. s. 248, 277, 304 sub *Cnico oleraceo* Linn.)

b. *Centaurieae*. Flores aequales in *Serratula*, radii maximi neutri in *Centaurea*.

95. SERRATULA *tinctoria* L. In pratis sterilibus frequens.

96. CENTAUREA *Cyanus* L. foliis linearibus. Non tantum in arvis, sed locis incultis, versuris, dumetis frequens.

97. C. *Jacea* L., perennis, foliis lanceolatis. In pratis et pascuis, frequens.

98. C. *Scabiosa* L. foliis pinnato-compositis. In agris erorumque versuris copiose.

Fam II. DIPSACEAE. Juss.

(*Aggregatae* L. inclus. Valerianeis etc.)

Char. Inflorescentia ut in Synanthereis, flore singulo involucello calyciformi (calyce exteriori L.) cincto. Calyx proprius (interior L.) ovario adnatus, idemque coronans, limbo plerumque setiformi. Corolla fauci calycis inserta, subbilabiata (evidenter in *Morina*, staminibus definite didynamis), 5-fida, l. lobis 2 superioribus connatis 4-fida, aestivatione imbricata. Antherae 4, liberae, terminales, introrsum dehiscentes. Pollen laeve. Stylus simplex. Fructus unilocularis, monospermus indehiscens, semine pendulo. Albumen carnosum. *Herbae*

(exoticae simul frutices), *caulibus nodoso-articulatis*, *foliis oppositis exstipulatis.*

Dignoscuntur genera: *Dipsacus*, paleis receptaculi foliaceo-pungentibus, fructibus calycis limbo tetragono coronatis: *Scabiosa*, receptaculo hirsuto, fructu calycis limbo in setas duplicatas diviso coronato: *Asterocephalus*, receptaculo setoso-paleaceo, fructu setis 5 coronato. Hujus species etiam Scabiosae Linn.

99. DIPSACUS *pilosus* L.
Ad fossas, saepes udas copiose ad plagam borealem urbis Lund, juxta vias ad Helgonbacken, Kjeflinge, Verpinge, Tornasjö copiose – etiam ad Ystad.

100. SCABIOSA *arvensis* L.
In pratis et versuris frequens, subinde glabra v. c. ad Efverlöf. Insignis var. *integrifolia* (Ros. Scan. 4, 85) nunc major, silvatica, foliis oblongatis, magis ad Sc. *dipsacifoliam* tamen, quam S. *silvaticam* L. accedens, nunc campestris, gracilis foliis lanceolatis. Monstrositas demum in pratis montanis floribus aequalibus, conniventibus, pulverulentis, incarnatis ab *Ustilagine flosculorum* originem ducit.

101. ASTEROCEPHALUS *Succisa*, foliis lanceolatis.
Communis in pratis; *Sc. glabrata* in montosis cum Calamagr. silvatica, duplo vulgo altior. In hac vidi involucellum in dentes 4 triangulares fissum et corollas marginales passim quinquefidas! Ceterum genus *Succisa*, floribus 4-fidis a sqq. diversum, speciebus exoticis cum veris Asteroceph. prorsus confluit.

102. A. *suaveolens*, foliis caulinis pinnatis.
In Scaniae orientalis arenosis a Cimbritshamn ad Gualöf ubique frequenter — et in planitie media Weberödensi ad Hasslemölla. (Huc Linn. Scan. 164 et Lech. Scan. pr. parte). Folia radicalia lanceolata, laete viridia.

103. A. *Columbaria*, foliis omnibus pinnatis.
Per omnem fere Scaniam minus arenosam campestrem et silvestrem. Cum vero in locis natalibus Floristarum nostratium saepe confusio cum praecedentis quaedam specialiora notanda v. c. Kjuge backe, Maglaby, convallis

fluvii Köpingensis, Dybeck, Lemmeshög, Ö. Torp, Hvellinge, Malmö (H. S. 205,) in convalli fluvior. Löddeström et Saxån etc. usque ad latera jugi Hallandsås ad Rosenhult, ubi ad *Sc. lucidam* fere abit.

Fam. III. VALERIANEAE. Dec.

Char. Plurima ut in Dipsaceis, sed inflorescentia cymoso-corymbosa, absque involucro, stamina typice 5, sed variant 3 et infra, stigmata 3, fructus subtrilocularis, loculis 2 saepius vacuis, albumen nullum aut subcorneum. *Frutices l. herbae nodoso-articulatae, medulla spongiosa ampla, exstipulatae, foliis oppositis, saepius lobatis pinnatisque.*

Sambucinae s. baccatae (Caprifoliaceis vulgo adscriptae) medulla caulis haud lignosa, foliis, inflorescentia, stigmatibus, aliisque notis nec non viribus his propiores videntur. Pericarpium 1) *baccatum* (stylo nullo) calyce coronatum in *Viburno*, vel trispermum, subnudum in *Sambuco* 2) *siccum* (stylo evidenti) coronatum calyce papposo = *Valeriana*, dentatove = *Fedia*.

104. VIBURNUM *Opulus* L.
Frutex in dumetis udis ubique, ut non copiose.

105. SAMBUCUS *nigra* L., fruticosa.
In nemoribus, dumetis et praecipue ad pagos copiosissime.

106. S. *Ebulus* L., herbacea.
Ad Christinaehof prope Andrarum. *Åkerman.*

107. VALERIANA *officinalis* L., foliis pinnatis.
Locis humentibus ubique; duo extrema: Var. foliis latioribus ovalibus crenatis (V. *altissima* Mik.) ad pedes succosos montium v. c. Frualid ad Öfvids-Kloster; Var. foliis angustioribus integerrimis (V. *angustifolia* Tausch) ad tumulos lapidum in Gothungiae agris.

108. V. *dioica* L., foliis imis integris.
In regionis campestris pratis et pascuis humidis sterilibus praecedente vulgatior; folia caulina vulgo pinnata, sed omnibus integris lecta inter Vegeholm et Engelholm etc.

109. FEDIA *Olitoria* Vahl, fructu globoso-compresso.
Sequitur litus marinum, locis nimis arenosis exceptis

sed etiam locis cultis, a Båstad usque ad Ljungby Scaniae orientalis frequenter, rara in plagis interioribus v. c. ad Öfvids-Kloster. (Leche.)

110. F. *dentata* Vahl. fructu ovato tridentato.
In agris ad Malmö, haud frequens.

Fam. IV. RUBIACEAE. Juss.

Char. Flores discreti (paucis exoticis capitati). Calyx ovariis inclusis adnatus, limbo regulari obsoletove. Corolla 5-3-fida, aestivatione contorta aut valvata. Stamina lobis corollae numero aequalia et alterna, libera, antheris incumbentibus. Ovaria 2, raro plura, sed ob calycem vestientem ut in reliquis schizocarpis calycis tubo inclusis germen unum videtur, tot loculis, quot ovariis. Stylus 1, stigmatibus 2. Pericarpium varium, seminibus erectis s. placenta centralis. Albumen plerisque corneum, embryo inclusus radicula hilo seminis obversa. *Folia simplicia.*

Ordo in tropicis vastissimus, speciosus, vulgo arborescens, foliis oppositis stipulatis, floribus saepe pentameris; nobis tantum tribus infima s. *Stellatarum*, herbacea, foliis verticillatis exstipulatis, floribus 4-3-meris, fructibus drupaceis monospermis. — Fructus calycis limbo persistente coronatus, in *Sherardia:* nudus, calycis limbo deciduo obsoletove in *Asperula* corolla tubulosa infundibuliformi — et *Galio*, corolla rotata, absque tubo.

111. SHERARDIA *arvensis.* L.
In agris Scaniae totius.

112. ASPERULA *odorata* L., foliis 8 lanceolatis.
In silvis frondosis copiose.

113. A. *tinctoria* L., foliis 6 linearibus.
Ad Uddarp Scaniae orientalis. *Retzius.* Specimina fida Scanica non vidi.

114. GALIUM *boreale* L., fructu villoso, foliis 4 muticis.
In campis macris Scaniae totius; pineto-montanae copiose. Perenne, ut n. 115—120.

115. G. *palustre* L., fructu glabro, foliis 4-6 muticis.
Copiose locis humidis.

116. G. *saxatile* L., fructu scabro, foliis 4-6 submuticis.
In omnibus jugis montanis locisque adjacentibus solo sterili; copiosissime in toto Linderöds-åsen usque ad

Forsakar prope Widsköfle, Romeleklint v. c. inter Häckeberga et Simontorp, inter Dahlby et Sandby, Hallandsås, Söderås, in Kullen usque ad Vegeholm.

117. G. *uliginosum* L., fructu scabro, foliis 6 mucronatis. Non tantum in uliginosis frequens, sed etiam in clivis asperis silvaticis. Caulis scaber.

118. G. *silvestre* Poll. fructu foliisque 6 mucronatis laevibus. In montibus Scaniae orientalis v. c. ad Ryssbergen in par. Näsum adjacentibusque copiose, in Stenshufvud parcius. Caulis laevis.

119. G. *Mollugo* L., fructu laevi, foliis 8 mucronulatis. Admodum rarum flore albo prope fines Blekingiae, ceterum ad Åby et Tullesbo par. Skartofta tantum parcius visum.

120. G. *verum* L., fructu laevi, foliis 8 cuspidatis. Flore luteo ubique in pratis et pascuis; *flore ochroleuco* in regione Helsingburgensi, ad Glumslöf (L. It. S. 306). Hujus et prioris varietates ochroleucae hybriditate ortae dicuntur, sed in Suecia meridionali uterque parentum in earum vicinia non occurrit. Singularem monstrositatem G. *veri*, fructu subbaccato prope W. *Wram* notat Rosen Scan. 5.

121. G. *Aparine* L., fructu succoso tuberculoso-hispido. In dumetis passim, flore semper albido. Pusillum; caespitosum, foliis obovatis in litore marino v. c. ad Malmö. *Annuum ut sq.*

* G. *infestum* Kit. fructu laevi hispido. In cultis ubique flore lutescente; Linnaeus sub G. Aparine hoc potissimum intellexit; a Decandolleo distinguitur nomine G. *Vaillantii*, a Kitaibelio nomine G. *infesti*; Wallroth, Mertens et Koch cum sequente conjungunt.

122. G. *spurium* L., fructu succoso nitido glabro. Inter segetes, inter Linum praecipue; rarius in pratis humidis.

Fam. V. CAPRIFOLIACEAE. Juss. (excl. genn.)

Char. Rubiaceis valde affines differunt stigmate simplici, fructu unico 3-4-loculari, seminibus pendulis, licet placenta centralis, albumine semper car-

noso radicula supera, foliis (simplicibus) oppositis numquam stipulatis verticillatisque. *Omnes fruticosae.*

Transeunt hinc ad Campanulaceas sequentis classis, hinc evidentissime ad Lorantheas *Disciflorarum*, classe cum Seminifloris analoga *Thalamiflorarum.* — In *Lonicera* pericarpium succosum, basi nudum, stamina 5 — in *Linnaea* peric. siccum, basi bracteato-calyculatum, stamina didynama.

123. LONICERA *Xylosteum* L. baccis geminis basi concretis. In nemoribus non ubique, v. c. ad Foglesâng, Harlösa, Gudmundtorp, pedes australes jugi Romeleklint, Degeberga, Ljungby, Oppmanna. (Deesse videtur in plaga boreali-occid.)

124. L. *Periclymenum* L., baccis capitatis discretis. In dumetis Scaniae totius, boreali-orientali et regione maxime campestri exceptis, ubique usque ad Hallandsås. Folia saepe sinuata in eisdem individuis.

125. LINNAEA *borealis* L. In Gothungiae pinetis minime rara.

Classis II. ANNULIFLORAE.

Stamina inserta corollae amphigynae, (h. e. disco annulari insertae, basi apertae, annuli instar ovarium cingenti, nec subtus amplectenti) ejusque lobis alterna. Torus intra calycem, cui adnatus, in discum dilatatus! Fructus a calyce plurimis liber, paucis (*Campanulaceis* et exoticis *Gesneriaceis* plurimis) inferne adnatus, apice vero denudatus. *Calyx semper herbaceus.*

Fructus vel *semiinferus* = VI. CAMPANULACEAE, vel *superus syncarpus*, stigmatibus 3 = VII. POLEMONIACEAE, duobusve = VIII. CONVOLVULACEAE vel *superus schizocarpus*, (stigmate unico) corolla 5-loba, pentandra = IX. BORAGINEAE, labiatave didymandra = X. LABIATAE, a quibus fructu subholocarpo paululum recedunt VERBENACEAE.

Fam. VI. CAMPANULACEAE Juss.

Char. Calyx plus minus adnatus (exoticis paucis fere liberatur). Discus tori manifestus epigynus aut perigynus. Corolla 5-fida, lobis per aestivationem valvatis, basi aperta et cum staminibus 5 calyci inserta. Fila-

menta vel antherae nunc liberae, nunc cohaerentes (*Synantheras* repetunt in hac classi!) Stylus 1, stigmate saepe 3-fido. Fructus, ex ovariis 2-5 connatus, capsularis, subpolyspermus. Albumen carnosum, radicula centripeta. *Nostrae herbae sublactescentes caule contiguo, foliis sparsis exstipulatis.*

Corolla *campanulata*, staminibus liberis = *Campanula*; vel *ad basin fissa*, antheris basi cohaerentibus = *Jasione* (cui inflorescentia capitata) vel irregularis ringens, antheris connatis = LOBELIA.

126. CAMPANULA *rotundifolia* L., foliis imis cordatis.
In pratis Scaniae silvestris copiose, campestris parcius. (Folia caulina hujus et sq. sublinearia. *Glabra*, ut n. 128, 127.)

127. C. *persicifolia* L., foliis imis obovatis.
In dumetis passim.

128. C. *Rapunculus* L., foliis lanceolatis.
In declivibus ad Belteberga copiose. Radice bienni fusiformi a reliquis differt.

129. C. *Rapunculoides* L., foliis cordato-ovatis, racemo secundo.
Locis cultis plurimis locis, sed nullibi copiose. *Hispida* ut sqq.

130. C. *latifolia* L., foliis ovatis, alis unifloris.
In nemoribus succosis frequens a Kullaberg usque ad Årup.

131. C. *Trachelium* L., foliis cordatis, alis pedunculifloris.
In dumetis frequens; copiose ad Hallandsås.

132. C. *glomerata* L., foliis sub capitulis ovatis.
Frequens in pratis sterilibus campestribus Scaniae occidentalis et australis ab Engelholm ad Hvellinge, indeque ad Kåseberga, sed rarescit in plaga orientali et in silstri desideratur. *Camp. aggregata* Auct. locis umbrosis fertilibus.

133. C. *Cervicaria* L., foliis sub capitulis lanceolatis.
Parcior in Scania silvestri ut ad Oderljunga, Tosteberga, Åfvarps Linde in Söder-åsen, Rögla, Pårup in par. Torrlösa e. s. p. sed etiam in dumetis campestribus v. c. ad Hörte, Årup.

134. JASIONE *montana* L., radice simplici.

In sterilibus arenosis et versuris Scaniae totius; var. *litoralis* ad Helsingborg, Kâseberga etc. passim.

135. J. *perennis* Lam., radice stolonifera.
In Scania orientali rarissima, ut ad Jfötofta.

136. LOBELIA *Dortmanna* L.
In lacubus Gothungiae et reliquae Scaniae silvaticae copiose v. c. ad Rösjöholm (It. Scan. 358), ceterumque in Ifösjö, Ringsjö.

Sequuntur *Gesnerieae*, *Sesameae*, familiae exoticae.

Fam. VII. POLEMONIACEAE. Juss.

Char. Calyx liber, 5-partitus, annulo hypogyno. Corolla tubulosa, limbo 5-partito, lobis per aestivationem imbricatis, cum calycinis alternantibus. Stamina 5, tubo basi aperto inserta, Antherae liberae incumbentes. Stylus 1, stigmata 3. Pericarpium capsulare, triloculare, trivalve, valvulis medio septiferis; columna centrali trigona. Embryo albumine sicco inclusus, rectus. — *Nostra herba, foliis pinnatis, succo aqueo.* (Familiae centrum in America.)

137. POLEMONIUM *coeruleum* L.
Planta borealis Sueciae, in dumeto clivis prope templum Ausâs (ad pedes boreales jugi S. Åsen) copiose. *Rector Rääf.*

Fam. VIII. CONVOLVULACEAE. Juss.

Char. Calyx fere praecedentis, annulo carnoso. Corolla regularis, 5-loba, saepissime longitudinaliter plicata et per aestivationem contorta. Stam. prioris. Ovaria 2 connata, ovulis definitis erectis, abeunt in pericarpium capsulare (l. baccatum), columna centrali dissepimentum tenue valvulis parallelum constituente. Stigmata 2, stylis nunc liberis, nunc connatis. Albumen parcum mucilaginosum; embryo rectus. *Nostrae herbae volubiles.*

Ordo potissimum tropicus ibique frutescens: proximae sunt *Bignoniaceae* et *Acanthaceae*, recedentes ut Labiatae a Borragineis. *Convolvulus*, corolla campanulata unicum nobis genuinum genus; alterum, corolla tubulosa = *Cuscuta* genus prorsus atypicum, aphyllum, corolla valvata c. s. p.

138. CONVOLVULUS *arvensis* L., foliis sagittatis.
Ubique in aggeribus et agris campestribus. In muris vetustis foliis omnino linearibus.

139. C. *sepium* L., foliis cordato-angulosis.
In dumetis humidis *primo* litoris marini ut ad Kullaberg, Helsingborg, Glumslöfs-tegelbruk, Landskrona, Körndala etc; *dein* frequentius circa litora lacuum majorum ut ad Ringsjö, Snogeholms-sjö, Jfö-sjö, Oppmanna-sjö, Blackema; tandemque parcius ad piscinas praediorum et urbium passim, v. c. Dufeke, Wrams-Gunnarstorp, Skabersjö, Hofdala.

140. CUSCUTA *europaea*. L. corollae tubo cylindrico.
Supra Humulum, Urticam dioicam, Malvam Alceam, Viciam sativam, Spiraeam Ulmariam, Lythrum Salicariam, Avenam elatiorem aliasque plantas copiose.

141. C. *Epilinum* Wein. corollae tubo globoso.
Supra Linum usitatissimum, nimium.
Inquirenda in occidente C. *Epithymum*, corolla infundibuliformi.

Fam. IX. BORAGINEAE. Juss.

(*Asperifoliae*. L.)

Char. Calyx praecedentium. Discus explanatus l. in columnam porrectus. Corolla subregularis, limbo 5-fido, lobis per aestivationem imbricatis. Stamina 5, corollae tubo inserta. Stylus unicus. Fructus: nuces 4 (typice omnino 2 bipartitae!) in nostris distinctae, monospermae. Semina exalbuminosa, embryone recto inverso. *Nostrae herbae* (exoticae etiam fruticosae), *caule tereti*; *foliis simplicibus alternis*, *exstipulatis*, *plerumque hispidis*. *Racemi secundi*, *virginei circinato-revoluti*, *raro flores axillares*.

Convolvulaceis prope accedunt, et versus Labiatas exstant genera prorsus intermedia. — Nuces 1) *disco depresso affixae et basi perforatae;* faux fornicibus lanceolatis = *Symphytum* l. tuberculosis = *Anchusa*; 2) *disco depresso affixae, basi non perforatae;* faux fornicibus glabris = *Myosotis*, pilorum fasciculis = *Pulmonaria*, l. nuda constricta = *Lithospermum*; ampliatave (limbo irregulari) = *Echium*; 3) *columnae centrali adfixae, imperforatae*, undique glochidiatae = *Cynoglossum*;

margine glochidiatae = *Echinospermum*, laeves, calyce demum complanato cinctae = *Asperugo*.

142. SYMPHYTUM *officinale*. L.
In aquosis, ad fossas Scaniae totius, flore tam rubro, quam ochroleuco, rarior tamen in silvaticis.

143. ANCHUSA *officinalis* L. tubo recto.
Locis ruderatis et incultis totius Scaniae campestris usque ad Båstad, sed sporadica tantum in silvaticis; flore coeruleo, carneo, albo (Ros. Scan. 60). Varietas *angustifolia* s. *arvalis* in arenosis Scaniae orientalis. Cfr. *Aresch. Stirp Cimbritsh.*

144. A. *arvensis* M. B. annua, tubo obliquo.
In agris ubique. *Lycopsis*. L.

145. MYOSOTIS *palustris* L. calyce dentato adpresse piloso.
In palustribus ubique, corollae magnitudine varians.

146. M. *lingulata* Lehm, calyce partito adpresse piloso.
Cum praecedente praecipue in maritimis et campestribus. Flores parvi; caules a basi ramosissimi.

147. M. *silvatica* Hoffm., calyce hispido, cor. limbo plano.
Ubique in nemoribus, silvis fagineis et rupestribus.

148. M. *arvensis* L. calyce hispido clauso, cor. limbo concavo.
Ubique in cultis, arvis, dumetis. Anthesi peracta non fugaces sunt haec et praecedentes.

149. M. *collina* Reich., calyce hispido aperto cernuo.
In clivis, campis arenosis, dumetis, frequens in regione campestri.

150. M. *versicolor* Smith. calyce hispido patulo erecto.
Cum praecedente fere ubique, et per omnes plagas, arenosas v. c. Scaniae mediae et ab Årup et Näsum ad Ystad omnium affinium vulgatissima.

151. M. *stricta* Lk. calyce hispido clauso subsessili!
Locis similibus. — Ultimae tres species, eisdem locis et eodem solo ubique per regiones campestres obviae, anthesi peracta fugaces sunt; plurimis *propriis* notis a se invicem differunt v. c. M. *stricta* racemis contiguis, basi foliatis; M. *versicolor*, foliis acutis ad dichotomiam oppositis, corolla versicolori, styloque demum peculiari modo elongato; M. *collina* caule laxo, pedicellis demum arcuatis fragillimis e. s. p.

151. PULMONARIA *officinalis* L. foliis radic. cordatis.

Per nemora Scaniae totius ad Hallandsås et Blekingiae fines.

153. P. *angustifolia* L. foliis lanceolatis.
In pratis apricis macris, copiose ad Sularp versus Reften, Linnebergs-skog (Ringius), inter Bös-möllan et Rommarlöf (Ahnfelt), prope Engelholm, nec non ad Eksholm par. Hyby et Sandhammar (Aresch. Stirp. Cimbr.)

154. LITHOSPERMUM *officinale* L. nucibus laevibus.
In ruderatis et dumetis rarior, sed multis locis v. c. ad Öfveds-Kloster (Leche), Söfdeborg, Wram, Widarp, Alnarp.

155. L. *arvense* L., annuum, nucibus rugosis.
In agris, versuris, clivis frequens. — Var. *flore coeruleo*, a Rosen Scan. allata, tantum legerat in Hedensea, Germaniae borealis insula, ipse e Carlsö prope Gottlandiam tantum habeo. Valde insignis, fere *Lith. incrassatum Guss.*

156. ECHIUM *vulgare* L.
In Scania vix in arvis, nisi neglectis, sed maxima copia illustrat clivos, aggeres, campos asperos ubique, pineto-montana plaga tantum excepta.

157. CYNOGLOSSUM *officinale* L.
In ruderatis et ad vias ubique.

158. ECHINOSPERMUM *Lappula*. Lehm.
In sabulosis Scaniae orientalis ab Årup et Christianstad (Rosen s. 67.) ad Ystad multis locis copiose, v. c. Wiks fiskeläge, Kåseberga. In Scania occidentali vix obvia, saltim ad Lund suis locis non persistens.

159. ASPERUGO *procumbens* L.
Copiose ad pagos, vias.

Fam. X. LABIATAE. Juss.

(*Verticillatae* L.)

Char. Calyx nunc regularis 5 l. 10-dentatus costatusque, nunc bilabiatus, labio superiori 3, inferiori 2-dentato. Discus in fundo calycis liber. Corolla tubulosa, limbo 5-fido irregulari; lobis 2 in labium superius, inferius primo obtegens, connatis; tribus in labium inferius, primo incurvum, confluentibus. Stamina, supremo deficiente, 4 ut in corollis labiatis solet didynama

l. 2 tantum. Reliqua Boraginearum, a quibus ex analogia plurimorum ordinum Corolliflorarum vix separari debent, sed vegetatio insuper insigniter differt, *caule nodoso-articulato tetragono, folia opposita, flores verticillati foliisve in bracteas reductis spicati* l. *capitati*.

Vasta familia, praecipue in temperatis calidioribus vulgata, abit ex Bentham in tribus e staminibus et corolla:

I. *Nepetineae*. Stamina, sub galea distincta, approximata et adscendentia (160—180.)
II. *Buguleae*. Stamina ad galeam obsoletam aut deficientem porrecta, longe exserta (181—184).
III. *Saturejineae*. Stamina aequaliter distantia. Corolla distincte labiata (185—189).
IV. *Mentheae*. Stamina aequaliter distantia. Corolla non labiata, ad typum regularem regrediens. (190—197).
V. *Verbenaceae*. U. supr.

Trib. I. NEPETINEAE. Calyx subaequalis 5 l. 10 — dentatus in *Nepeteis*; bilabiatus in *Scutellarieis*. (Junguntur Dracocephalo).

a. *Nepeteae*. Stamina 1) *tubo inclusa* = *Marrubium* 2) *exserta post anthesin divaricata* sub galea plana = *Nepeta* l. *extus torta* sub galea fornicata, nucibus acute triquetris = *Leonurus* (foliis lobatis) obovatisve = *Stachys* (foliis indivisis); 3.) *exserta semper parallela*, labii lobis a.) obtusis, ad faucem aequalibus, tubo intus nudo = *Betonica* (Spicata) l. villis clauso = *Ballota* (Verticillata ut sqq.) b.) lateralibus ad faucem dente inflata gibbosis = *Galeopsis* c) lateralibus in denticulum ad faucem reductis = *Lamium*, d.) omnibus acutis = *Galeobdolon*; 4) *exserta, primo convergentia, antheris per paria cruciato-connexis!* = *Glechoma*.

160. MARRUBIUM *vulgare* L. candicans.
In ruderatis et ad vias vulgatum, saepius foliis cordato-subrotundis (M. *apulum* Ten.)

161. NEPETA *Cataria* L.
Locis similibus ac prius, praecipue Scaniae occidentalis.

162. LEONORUS *Cardiaca*. L.
Cum praecedentibus frequens, omnes vero rarescunt in plaga pineto-montana.

163. STACHYS *palustris* L., foliis lanceolatis, sessilibus.
In palustribus, silvaticis, agris ubique.
Stachys *Ros. Scan.* 64 (S. alpinae adscripta) ad praeced. pertinet! Flores numquam viderat *Rosèn!*

164. S. *silvatica* L., foliis cordatis acutis.
In roridis silvarum frondosarum, ubique.

165. S. *arvensis* L. foliis obtusis.
Per omnes planities orientales usque ad Valjö, et australes ad Malmö ubique frequenter; in media parcior, in occidentali sporadica ad Foglesång,! Annelöf, Helsingborg (Leche) Kullen, N. Wram etc.

166. BETONICA *officinalis* L.
In pratis dumetosis sterilibus Scaniae occidentalis, regioni campest. et silvat. intermediis, nunc temporis copiosa inter L. Harje et Rommarlöf, in par. Bosarp in Kullarne, ad Hemmingberga etc., plurimisque locis in par. Torrlösa. Olim frequentior erat, legebaturque inter Vipemöllan et Sularp, ad Stehag (Leche) Borrlunda (Retz.) e. s. p. (Locum ad Maglegård Linn. Suec. non perscrutatus sum.)

197. BALLOTA *ruderalis* Sw. dentibus calyc. cuspidatis.
Tam opaca, quam pallens albiflora in ruderatis, muris etc. regionis campestris frequens.

168. B. *foetida* Lam. dentibus calyc. rotundatis mucronatis.
Ad pagos Scaniae Linn. Suec. sub B. alba. Lecta ad Raflunda *Retzius*, Åhus.

169. GALEOPSIS *Ladanum* L. caule pubescente.
Haud frequens in agris v. c. ad Sjöbo (It. S. 164), Hör, Sandby, frequentior in reg. pineto-montanis.

170. G. *Tetrahit* L. caule hispido, nodis incrassat.
Ubique vulgaris, in cultis, arenosis, dumetis. Varietas *pallens* prorsus sequentis gaudet colore.
* G. *versicolor* Curt., corolla duplo majori, galea lutea. Eisdem locis copiose.
* G. *bifida* Bönningh. corolla roseo-purpurea unicolori. In rupestribus, in frutetis. Alia locis similibus forma flore minuto toto prorsus albo.

171. LAMIUM *amplexicaule* L. foliis floralibus amplexicaulibus reniformibus patentibus, calycibus conniventibus.
In cultis vulgaris per annum, sed media aestate flores perfectos tantum explicans.

172. L. *intermedium* Fr. foliis prioris, cal. patulis.
Per Scaniam occidentalem saltim usque ad Båstad. Lundae vere totius generis frequentissimum. Verticilli remoti.
173. L. *incisum* With. foliis flor. petiolat. cuneatis lobatis patentibus.
Per omnem Scaniam campestrem. Verticelli omnes confluunt. Corollae tubus in tribus praeced. *intus nudus* in sequentibus intus *villis clausus.*
174. L. *purpureum* L. foliis cordatis petiolatis obtusis, floralibus demum pyramidato-reflexis.
Ubique in cultis. Variat foliis incisis.
175. L *maculatum* L. foliis cordatis acutis.
Rarissima planta. Lecta 1817—1821 in margine agri occidentem versus a Kjeflinge; 1828—1831 ibidem ad viam versus septentrionem. Agris quiescentibus occatisque sedem mutare videtur. Etiam Lundae semel visa.
176. L. *album* L. foliis acuminatis.
In saepibus vulgare.
177. GALEOBDOLON *luteum* Smith. Galeopsis L.
Ab Hallandsås ad Ifö frequentissima in nemorosis regionis frondoso-silvestris et campestris.
178. GLECHOMA *hederaceum.* L.
Omni facile solo; var. major, erecta, cordifolia, pallidiflora in silvis; *grandiflora*, pumila, floribus saturatius coeruleis in arvis apricis rarior v. c. ad Lund.
b. *Scutellarieae.* Calycis labia integerrima, corollae tubo aperto = *Scutellaria;* Calyc. labia dentata, cor. tubo villis clauso = *Prunella.*
179. SCUTELLARIA *galericulata* L. foliis crenatis.
In ripis passim. (S. *hastata*, foliis integerrimis, inter stirpes Scanicas a Floristis Sueciae citata, hactenus loco natali incerta; adest vero ad proximos fines tam Hallandiae, quam Blekingiae).
180. PRUNELLA *vulgaris.* L.
In silvis et pascuis subhumidis ubique. (*P. grandiflora* perperam omnino inter Scanicas plantas citatur.)
Trib. II. *Buguleae.* In *Ajuga* galea brevissima emarginata; in *Teucrio* nulla, filamenta per fissuram superio-

rem porrecta. (Calyx *Teucrii Scordii* 5-dentatus, *T. Scorodoniae* bilabiatus.)

181. AJUGA *pyramidalis* L. villosa, ad basin usque florens. In pascuis siccis regionis silvestris usque ad Ramlösa (*Leche*) Hellestad, Bjersjö-ladugård, Röddinge. Copiose in Hallandsås, Söder-åsen, Ifö.

182. A. *alpina* L. villosa, ad apicem usque florens. Copiose in pratis humidis ad Limhamn, inde sparsim ad Ahlstad prope Trelleborg; etiam in Engeltofta park lecta. Var. *arida* Schlecht. locis siccis exsuccis.

183. A. *reptans* L glabra, stolonifera. Locis aquosis irriguis; haud parce juxta rivulum prope Tussilag. albam in Foglesångsbäcken·labentem; sed utpote in pascuo obvia specimina florentia inter frutices diligenter quaerenda; stolones vero, terrae adpressi, eo magis luxuriant. Simili loco in Tjutehed prope Hässlunda.

184. TEUCRIUM *Scordium* L. In pratis humidis, juxta fossas Scaniae occidentali-australis, haud longe a mari, a Malmö (*Leche*), ubi multis locis — ad Trelleborg; copiose ad Stora Hammar. Indicatur porro olim inter Verpinge et Vinstorp *Retz;* Lomma *Leche*, Alnarp (I. S. 197), sed his locis non a me visa.

Trib. III. *Saturejineae.* Calyx 1. *aequalis*, bracteis ovalibus imbricatis = *Origanum*; 2. *bilabiatus*, capitulis bracteis verticillatis setaceis involucratis = *Clinopodium*, 1. capitulis verticillisue haud involucratis = *Thymus.*

185. ORIGANUM *vulgare* L. Plurimis locis inter frutices. at minus copiose.

186 CLINOPODIUM *vulgare* L. Cum praecedente, potissimum Scaniae silvestris.

187. THYMUS *Acinos* L. caulibus erectis simplicibus. In clivis apricis frequens. Annuus. Staminibus conniventibus, stigmate inaequali Clinopodiis proximis et a sqq. distinctus. Intercurrit *Acin. villosus.* P.

188. T. *Chamaedrys* Fr. caule adscendente ramisque sparsis conformibus. In Scania orientali rarior (Blekingiae adjacentis copiose,

Galeam, negante licet summo Kochio, nuperrime iterum cum Cel. Wikström in viva planta ab hoc culta integram vidi. Odor gratus.

189. T. *Serpyllum* L. caulibus procurrentibus ramulis seriatis difformibus erectis.
In sterilibus Scaniae totius. Variat foliis pilosis et ad Limhamn caule foliisque pubescentibus. Galea profunde emarginata; flores duplo majores.
Trib. IV. *Mentheae.* Corolla 5-fida, antherae 4 divaricatae. = *Elsholzia*; corolla 4-fida, antheris 4 = *Mentha*, duabusve = *Lycopus.*

190. ELSHOLZIA *cristata.* Willd.
In cultis Scaniae occidentalis passim (in Hallandia et et Smolandia locis incultis, ipsisque pascuis, jam legitur. Ita etiam plurimis Daniae locis. *Horn. Tilläg. Dansk. Plantel.*)

191. MENTHA *silvestris* L. spicis continuis.
Copiose ad aggeres fluvii Löddeström v. c. ad Krutmöllan, Kjeflingemölla, Höjsmölla etc. Varietas *candicans* ad Näsby prope Christianstad.

192. M. *viridis* L. spicis interruptis.
In ruderatis humidiusculis v. c. ad Osbyholm, Skartofta. Folia utrinque viridia.

193. M. *rubra* Huds. sessilifolia, verticillata.
Copiose 1815—1823 in campo, tum inculto, Vagnmansmarken ad Lund. Hoc campo in agros mutato evanuit; nuperius vero detecta simili loco ad Dahlby, a Cand. Areschoug. (In hortis Scanicis numquam vidi.) *Haec et priores sessilifoliae, sequentes petiolatae.*

194. M. *aquatica* L. verticillato-capitata.
In aquis ubique, sub multis formis, semper vero verticillis l. in capitulum collectis l. discretis ad apicem usque praesentibus, *nec comosis* ut sqq. — *Ex hac et sqq. nec plures nec pauciores distinguendae quam in Spec. Pl. ed 2 distinxit Linnaeus* et adhuc distinguunt ruricolae nostri, secundum quos in Nov. ed. 2 exposui. Omnes recentiores controversiae ne minimum quidem has stirpes illustrarunt. Ad hanc alteramve illarum, maxime inter se divergentium, a me judicio nullo modo recedere valeo triginta annorum observationibus

et cultura coactus. Ipse illustr. Labiatarum monographus *Bentham* ab hac male distinguit (perbene scio discrimen tantae assertionis) *Menth. citratam* s. odoratam et formas verticillatas, ad M. *arvensem* ductas! M. *acutifolia* Smith. utpote non comosa ex meis spec., etiam ad M. *aquaticam* pertinet.

195. M. *sativa* L. comosa, calyce tubuloso corolla duplo breviori.
Ad ripas Gothungiae; ad Näsum etc; etiam forma gracilescens ad Belteberga rarior. (Multis Succiae locis, licet olim dubitaverim, vere aborigineam novi.) — M. *gentilis* Linn.! (sed Smith cum M. *arvensis* formis commiscuit unde Cel. *Bentham* ad hanc ducit) calycibus conglomeratis canostrigosis, *corollae* immersae *forma* constanter diversa, dubia civis; copiose indigena facta in Smoland., Westrogothia, aboriginea in rivulis subalp. Norvegiae australis, testantibus optimis specc. ab Ahnfelt et Lindblom.

196. M. *arvensis* L. comosa, calyce campanulato.
In palustribus, campis humidis, arvis ubique. Var. *riparia* in ripis glareosis; in ripis passim aqua periodica inundatis vidi formam a M. *Lapponica* vix separandam.
* M. *agrestis.* Sole, foliis subcordatis.
In agris ad Helsingborg etc.

197. LYCOPUS *europaeus* L.
Ad ripas et fossas passim.

---

198. VERBENA *officinalis.* L.
Ad fossas et pagos Scaniae orientalis a Christianstad (*Ljungstedt*) ad Ystad pluribus locis copiosa (nullibi in hortis adest) v. c. ad Köpinge pr. Christianst. *Holmblad*, Åsum, Raflunda (olim a *Kraak* et *Retzio*, nuperrime ab Areschoug, *Ringio* et copiose lecta), Gusnafva. In occidentali tantum sporadica visa, ad Lund semel, ad Helsingborg olim a *Leche.* — Hoc genus, ad Tubifloras abiens, peculiaris familiae, in tropicis divitis, *Selagineis* proximae, typus; sed hoc loco ut aberrationem Labiatarum recepi, ne tironibus nimias familias imponam.

Class. III. TUBIFLORAE.

Char. Stamina inserta corollae vere hypogynae i. e. basi clausae, germen amplectenti, absque toro dilatato disciformi Annuliflorarum. Calyx liber (in unico *Samolo* adhaereus). Fructus superus. *Tubus germen ceterasque partes includit quare prae ceteris Tubiflorae dictae.* *)

Clavis familiarum in Scania obviarum: *Fructus* 1) *duo connati in unum* (placenta non centralis!) *stigmate simplici flore* subregulari pentandro = XI. SOLANACEAE, vel irregulari 4-2-andro = XII. PERSONATAE; 2) *duo connati, stigmatibus duobus* = XIII. GENTIANEAE; 3) *duo discreti*, folliculares = XIV. ASCLEPIADEAE; 4) *solitarii*, *placenta centrali* polysperma = XV. PRIMULACEAE, monosperma = XVI. PLUMBAGINEAE, utrique stamina opposita, quae alterna in XVII. PLANTAGINEIS, nunc polynunc monospermis.

Fam. XI. SOLANACEAE. Juss. (*Luridae.* L.)

Char. Calyx 5-partitus, herbaceus, absque disco hypogyno. Corolla vere hypogyna, decidua, 5-fida, sub-

*) In his classibus limitandis et disponendis insertionem corollae et fructus fabricam *affinitatem*, figuram vero corollae (a qua irregulari stamina depauperata et inaequalia pendent) *analogiam* tantum indicare finxi. Alii aliter; Cel. *Bartling*, quem in multis sequor, e flore distinguit *Tubifloras* (flore regulari subpentandro) et *Labiatifloras*. Mea vero ex idea omnes irregulares flores atypici omnesque ex iisdem distinctas familias ut ejusdem ordinis familias considero. E flore regulari et labiato nemo separat ordines Seminiflorarum; sic respondent Lobeliaceae Campanulaceis, Bignoniaceae et Acanthaceae Polemonieis et Convolvul., Labiatae Asperifoliis, Personatae Solanaceis, Lentibulariae Primulaceis. Sic inter Globularieas *Stilbe* regularis, *Globularia* labiata, didynama; *Gelsimum* est *Gentianeae* Labiata e. s. p. Servavi antiquitus distinctas Labiatas et Personatas, reliquas haud h. l. admisi, et ob formas in speciali Flora paucas et ut tirones primarias facilius addiscant atque *ad affinitatem ab externa facie diversam attendant!*

regularis nec labiata. Stamina 5, alterna, antheris interdum cohaerentia. Stylus 1, stigmate unico. Fructus bilocularis, 2-4-valvis, valvis dissepimento parallelis. Placentae axi dissepimenti adnatae, polyspermae. Albumen carnosum, embryo arcuatus, sed rectus in Verbasco. *Herbae l. frutices venenosae, narcoticae, caule tereti, foliis alternis exstipulatis.*

In tropicis vulgata et vasta familia, nobis pauca genera, nempe fructu baccato = *Solanum*, capsulari circumscisso = *Hyoscyamus*, quadrivalvi = *Datura*, bivalvi = *Verbascum*, quod vero genus corollae aestivatione imbricata, in genuinis plicata, flore irregulari et embryone a plerisque jam melius ad Personatas ducitur. A *Digitali* removeri non potest.

199. SOLANUM *Dulcamara* L. frutescens.
In palustribus vulgare. Var. *tomentoso-velutina* (S. litorale Raab) ad Vejle sjö.

200. S. *nigrum* L., herbaceum, foliis ovato-angulatis.
Ubique in cultis, ruderatis, maritimis, cujus plures varr. e baccarum magnitudine (S. *melanocerasum* W. baccis duplo majoribus ad Båstad) et colore virescenti-luteo (S. *humile* Bernh. ad Lund) et rubro (S. *miniatum* W. ad Helsingborg). Sed inter *varietates* in Nov. Fl. Suec. allatas forsan melius separandum

* S. *villosum* Lam., ramis teretibus villosis.
In cultis ad Lund et magis adventitium et rarius obvium, sed constanter a prioris formis diversum, habitu jam discrepans et odore forti moschato. Flores minores, coerulescentes, baccae luteo-aurantiacae. In omnibus S. nigri formis rami angulati, plus minus dentati, odor nauseosus. Exstat, ni fallor, verior media ratio inter extrema, quae omnes *Sol. nigro* affines formas vel jungi vel separari jubent.

201. HYOSCYAMUS *niger* L.
In ruderatis et incultis nimius; in arvis v. c. ad Malmö var. annua; s. H. *agrestis* Auct.

202. DATURA *Stramonium* L.
In litore marino ad Öresund ab Höganäs ad Barsebäck et Lomma multis locis copiosissime, nec minus frequenter in praeruptis arenosis ad lacum prope Söfde (ubi

falso nomine *Kardtistel* dicitur.) Potius ab Oriente, quam America originem ducit; nostris temporibus vix alia magis indigena videtur.

303. VERBASCUM *Thapsiforme* Schr. filamentis 3 luteovillosis, antheris 2 oblongis.
In arvis, pascuis sterilibus ad Karsholm. *Ljungstedt!* Eadem omnino forma ac Ölandica ad Resmo, Ottenby etc., nec var. *Verbasc. condensatum* Schrad. in ruderatis ad Färgestaden obvia. Flores speciosi. Folia *decurrentia* in hoc et 2 sqq.

204. V. *Thapsus* L. fil. 3 luteovillosis, anth. aequalibus.
In pascuis, praecipue montosis, v. c. Hallandsås, S. Åsen, Ifö, Forsakar etc. passim; in campestribus rarius, magis condensatum et fere viride v. c ad Lund.

203. V. *seminigrum* Fr. fil. basi pallide, apice purpureo-villosis.
Legi tantum, cum Prof. *Åkerman*, in pascuo prope Bäckaskog. Foliis decurrentibus a sq. floribus fasciculatis a prioribus differt. Videtur V. *collinum* Schrad., licet ipse denegaverit.

204. ** V. *nigrum* L. filamentis purpureo-lanatis.
In glareosis Scaniae praecipue occidentalis frequens.

205. V. *Lychnitis* L., filam. albo-lanatis.
Ad Dufeke alibique *Bos. Scan.* 10, 84. In regione Christianstadiensi *Ljungstedt!*

Fam. XII. PERSONATAE.

Char. Calyx 4-5-fidus, herbaceus absque disco hypogyno. Corolla vere hypogyna decidua 4-5-fida, saepissime bilabiata, lobis inaequalibus per aestivationem imbricatis. Stamina (uno l. tribus abortientibus) 4 didynama l. duo tantum. Stylus 1, stigm. unico. Fructus capsularis, bilocularis (fungosis tantum unilocularis) genuinis polyspermus. Albumen carnosum, embryone recto. *Nostrae herbae* (exoticae plures frutescunt), *caule nunc tereti, nunc tetragono tum oppositifolio.*

Evidenter irregularitate a Solanaceis ortae, sed nobis multo frequentiores, unde admittendae tribus.

I. ANTIRRHINEAE. Capsulae dissepimentum utrinque medio placentiferum polyspermum.

II. POLYGALEAE. Capsulae dissepimentum tenue, placentibus nerviformibus marginatum, seminibus solitariis. (Nostrarum filamenta binatim diadelpha, antherarum loculis discretis unde octandra apparet, perfectis vero antherae biloculares 4, 5.)

III. RHINANTHACEAE. Capsula marginibus valvularum inflexis seminiferis.

IV. OROBANCHEAE. Capsula unilocularis, placentae utrinque parietales. *Plantae fungosae, aphyllae.*

Trib. I. ANTIRRHINEAE. Corolla urceolato-personata; ecalcarata, antheris unilocularibus = *Scrophularia*; labiato-personata, calcarata, stam. 4 perfectis = *Antirrhinum*; rotata, lacinia infima minori, stam. 2. = *Veronica*, *genuinae* a) seminibus plano-convexis — b) *Cochlidiosperma Reich.* seminibus cupuliformibus.

206 SCROPHULARIA *nodosa* L. paniculata.
Ad saepes, inter saxa passim. (Inquirenda est S. *aquatica* caule petiolisque alatis.)
† S. *vernalis* L. aliflora, pubescens.
Copiosum horti Botanici, Paradislyckan etc. vitium; in ambulacris ad Malmö lecta, nescio an persistens sit.

207. ANTIRRHINUM *Linaria* L. perenne, racemo terminali.
Ad saepes; acervos lapidum et in arvis; monstrositas *Peloria* dicta, flore regulari 5-calcarato, lecta ad Roslätt. Flores lutei; violacei in annuo A. *arvensi* L., in cultis passim obvio, ad Krageholm in agris semel viso.

208. A. *Elatine*, aliflorum, foliis hastatis.
In arvis agrisque post messem in tota regione litorali a Landskrona ad Trelleborg, frequentissime ad Barsebäck (*Ennes* V. A. H. 1807), Fjälige, Malmö, Gessige, Hvellinge, Tomarp e. s. p.

209. A. *minus* L. alari-racemosum, foliis linearibus.
In arvis tantum ad Malmö a me lectum. In cultis ad Wrams Gunnarstorp. *Forsander.*

210. A. *Orontium* L. alari-spicatum, corollis basi gibbis.
In agris Scaniae australis a Trelleborg ad Ystadium (Ros. Scan. 64, It. Scan. 257) hinc inde; dein in Ifö frequentius. Var. insignis foliis linearibus glabris rubro tinctis in clivis et fossis arenosis ad W. Ahlstad

copiose. (Generibus exoticis *Anarrhino*, *Wulfenia* eximie abit in Veronicas.)

VERONICA. Dispositio in spicatas, racemosas et unifloras praecipue ratione habita ad species his subscriptas neque naturalis neque correcta; V. *verna* et *arvensis* ob bracteas difformes evidentius racemosae quam V. *serpyllifolia*. Redeunt iidem inflorescentiae typi ac in Antirrhino, * racemo terminali pedicellis brevibus bracteatis (211 - 215) ** pedunculis elongatis alaribus unifloris (216—221) aut *** multifloris racemosis (222—227). Seminum forma et fabrica hae tribus eximie confirmantur. Prior sectio *Linarias* veras Antirrhinorum repetit.

211. V. * *longifolia* L. bracteis setaceis, foliis acumin. In maritimis Scaniae. *Linn. Suec. n.* 9. Equidem tantum unico loco, in ripa fluvii ad Vegeholm, V. *longifoliam* et *maritimam* sine limitibus promiscue nascentes legi.

212. V. *spicata* L. bracteis setaceis, foliis obtusiusc. Adscendens, simplex, monostachya in campis apricis ad summam Gothungiam (It. Scan. 56) frequenter; strictior, glabrata in clivis calidioribus orientalibus. Sed fertili solo, inter agros, latior, stolonifera, subglandulosa = V. *hybrida* Whlnb. Ups., et ad latera rupium irrigua v. c. in Kullaberg copiose, Stenshufvud parcius, varietas elatior, erectior, foliis latis, passim etiam cordatis ternisque, polystachya V. *hybrida* vulgo dicta. Alia forma foliis acute serratis, saepe ternis, est V. *arguta* Sw. Summ.

213. V. *serpyllifolia*, L. bracteis foliisque ovatis. In pascuis humidis, ad vias frequens. — (Proxima et habitu simillima V. *peregrina* L., sed radice annua foliis bracteisque angustioribus diversa, bis terve lecta inter Nicotianam, cum hujus seminibus peregrinis allata, sed non persistens.)

214. V. *arvensis* L. bracteis lanceol., foliis integris. In agris frequens. Hujus specimina elongata sistunt V. *peregrinam* Mont.! Hall. sec. Herb. Auct.)

215. V. *verna*, bracteis linearibus, foliis partitis. In campis sterilibus frequenter.

** *Cochlidiosperma* Reich. ebracteatae, pedunculis elongatis alaribus unifloris, seminibus cupulari-excavatis. (Cymbalariae sectionem inter Antirrhina repetunt.)

216. V. *triphylla* L. sepalis obtusis lanceolatis, foliis tripartitis. In arvis, clivis arenosis totius Scaniae orientalis ab Ystad et Kåseberga ad Årup frequenter, passim in planitie media (l. S. 277), rarescit in occidentali, sed multis locis tamen obvia.

† V. *praecox* All. sepalis ovatis acutis glandulosis, foliis summis linearibus. — Olim lecta ad Thorup (Veronica. Rosen! Scan. 59, sec. fragment. herbarii ipsius a nepote Cel. Profess. Munk ab Rosenschöld servatis. Veronica acinifolia. Retz!) Recentiori aevo non lecta, sed facile delitescit, utpote Aprili florens, cum in Dania et Germ. boreali obvia.

217. V. *hederaefolia* L. sepalis cordatis ciliatis. In agris, ruderatis, saepibus copiosiss.

218. V. *polita* Fr. sepalis ovatis acutis nervosis. In planitie Lundensi copiosissime in agris, saepibus et saepe solo inculto; fertili *sepala cordata* prioris, cui proprior, quam sequent. (In Bahusia *Areschoug*, in Gotlandia. Stud. *Arenius*).

219. V. *opaca* Fr., sepalis spathulatis undique villosis. In cultis Scaniae totius passim usque ad Ifö et Helsingborg (dein per Halland. et Smolandiam usque ad Stockholm. Prof. *Wahlberg*.)

220. V. *agrestis* L. sepalis oblongis obtusis, demum tortis! In cultis, agris frequenter. Sepala demum torta et passim incisa (semper plana, demum patentia in V. *opaca*, semper adpressa in V. *polita* et *hederaefolia*) huic peculiaria; cujus exstat singularis var. *β. calycida* gracilis, erectior, foliis ovatis oblongis fere glabris (haud glaucis) et nitidis, calyce 5-partito, laciniis laciniatis in agris, quae minime cum V. *polita* confundenda.

221. V. *persica*. Poir. sepalis lanceolatis acutis. In aggeribus incultis ad Lund rarior. Antecedentes species, jam expositae a *Reichenbachio*, *Wiebero* in Sturm. Deutschl. Fl., *Borrero* in Engl. Bot. *new.* ser. *Hookero* in Engl. Fl., *Sprengelio* in Fl. Hal. 2 aliisque, singulis herbae et floris partibus ad semen facile dignoscuntur.

Folia V. *persicae* cordato-cucullata, V. *agrestis* cordato-oblonga tenuia, V. *opacae* cordato-reniformia rugosa, V. *politae* cordato-ovata carnosa glauca; V. *hederaefoliae* 5 loba V. *persica* capsula complanata, pedunculis subinde monstrose bifloris, ad species paucifloras exoticas sq. tribus proxime accedit.

*** *pedunculis elongatis alaribus racemiferis, seminibus plano-convexis.*

222. V. *montana* L. foliis cordatis petiolatis.
In silvis humosis umbrosis, immo limosis, supra folia Fagi serpens, copiose ad latera versus meridiem declivia jugi Romeleklint a Gillesgrufvan ad Kragebolm fere ubique; parcius ad pedes boreales v. c. ad Abusa, Dahlby Hästhage, in silvula Reften — dein in silvis ad Ringsjön; tandemque in Kullaberg.

223. V. *Chamaedrys* L. foliis subcordatis sessilibus.
In pratis ubique. Caulis bifariam pilosus!

224. V. *officinalis* L. foliis ovatis villosis.
In pascuis et rupestribus frequens.

225. V. *Beccabunga* L. foliis ovatis glabris.
Ad fontes, rivulos frequens.

226. V. *Anagallis* L. foliis lanceolatis, capsula rotunda.
Ad fossas, ripas passim.

227. V. *scutellata* L. foliis linearibus, caps. complanata.
Ad aquas frequens.

Trib. II. POLYGALEAE. Ex hac tribu (praesentibus typis perfectis potius familia, cum exstent formae et Solanaceis et Personatis analogae) nobis unicum maxime deformatum genus *Polygala*, jam staminibus diadelphis (antherar. loculis discretis) a reliquis distinctum. Calycis 5-partiti lobi 2 intermedii (*alae* dicti) maximi, liberi, primo corollini et colorati, corolla vero decidua persistentes et herbacei. Corolla labiata, petalis duobus in galeam, 3 inferioribus cum staminum tubo in labium connatis; horum intermedium in nostris cristatum. Semina villosa! (Conferend. Selagineae cum Globul. Tozzia etc.)

228. P. *vulgaris* L. alis capsula majoribus.
In pratis siccis totius Scaniae, sat variabilis. Cfr. Fries in Physiogr. Sällsk. Årsberätt. 1824. p. 57., sed varr. *oxypteram* et *litoralem* l. c. maxime licet affines, sepa-

ratas debui servare cum transitus haud viderim. Haec et duo sqq. in vivo sub anthesi potissimum differunt alarum directione, unde l. c. disposui, sed haec diffeferentia aegre describenda nec sine omnium comparatione intelligenda, in siccis et fructiferis evanescit. Cel. *Wahlenberg* (in ed. 2 Fl. Suec.) cum Orchidum comparat et facile diceres has tres species inter se differre ut *Orch. mascula*, *palustris* et *Morio*.

* P. *Oxyptera* Reich. alis acutis capsula angustioribus. In pratis et pascuis humidis Scaniae orientalis, duplici sub memorabili forma: a) *litoralis* = collina Reich. valde multicaulis, habitu P. *uliginosae* et aeque parviflora, copiosa in litore maris ad Arup, Ljungby etc. inter P. *uliginosam*. — b) pratensis Reich. (*Polyg. major* Retz!) elatior, saepe pedalis et ultra ramoso-paniculata, habitu et floribus P. vulgaris, in nemorosis humidis ad Krageholm, Ekeröd. Utrique herba fere sequentis, flores (alis angustioribus sub anthesi convergentibus exceptis) prioris. Jam 1818 in Ölandia hanc et sq. a Polyg. vulgari distinguebam.

229. P. *comosa Schkuhr*, alis capsula demum brevioribus, racemo virgineo bracteis comoso.
Tantum in Råby backe par. Ifötofta lecta; inter P. *vulgarem* copiosa (dein in reliquis prov. orient. ad Upsaliam, ubi P. *vulgari* frequentiorem et pro P. *vulgari* ipsa in herbar. ibidem collectis servatam vidi.)

230. P. *uliginosa*, alis obtusis capsula angustioribus, foliis imis rosaceis maximis.
In Scania orientali litorali locis humidis haud rara v. c. ad Årup, Åhus etc., dein magis dispersa ad Ystad, inter Lund et Dahlby, ad L. Harje etc.

Trib. III. RHINANTHACEAE. Calyx vel *tubulosus aequalis* seminibus in loculis solitariis glabris laevibus = *Melampyrum*, pluribusve striatis = *Euphrasia* vel *inflatus labiatus* compresso-rotundus, seminibus alatis = *Rhinanthus* ovatusve, seminibus reticulato-scruposis = *Pedicularis*.

231. MELAMPYRUM *arvense* L. tetragono-spicatum.
In dumetis passim.

232. M. *arvense* L. laxe spicatum, bracteis lanceol.
In arvis praecipue regionis campestr.

233. M. *nemorosum* L. coeruleo-comosum.
In nemoribus, ad pedes montium praecipue Scaniae orientalis usque ad mare v. c. ad Rörum; sed etiam in occidentali praecipue ad Söderåsen multis locis, Hässlunda, Reften etc.

234. M. *pratense* L, floribus alaribus clausis.
In pratis et pascuis sterilibus, praecipue in pineto-montanis copiosa. Flores patentissimi (sub anthesi erecti in sq.) albidi, ore luteo l. coccineo, sequentis breviores lutei.

235. M. *silvaticum* L. floribus alaribus hiantibus.
Ad pedes montium, in coryletis regionis silvaticae et pineto-montanae.

236. EUPHRASIA *officinalis* L. galea expansa emarginata.
In pratis et pascuis ubique; varietas *pratensis* villosa, glandulosa in campis humentibus regionis campestris praecox; *montana*, glabrescens, eglandulosa reliquis locis per totam aestatem communis sub diversis formis, *curta* in Hallandsås, — prae ceteris insignior, constans, facile separanda:

* E. *micrantha* Reich. s. E. offic. γ. gracilis *Fl. Hall.*
In ericetis occident. nimia, serotina, gracillima, floribus duplo minoribus, pallidis, multisque notis distincta.

237. E. *Odontites* L. galea compressa integra.
In arvis, ad vias etc. frequens. Videtur genus tam ab Euphrasia quam Bartschia diversum, ut rite Hartm. Scand. 1. Var. *litoralis*, simplex, foliis latioribus floribusque distantibus, copiosa in pratis submarinis, v. c. ad Malmö, cultura ulterius exploranda.

238. RHINANTHUS *Crista Galli* L. bracteis coloratis.
Frequens in agris, pratis nemorosis una cum varr. *nemorosa* et *villosa* Fl. Hall.! rarioribus.

239. RH. *minor* Ehrh. bracteis concoloribus.
In pratis et pascuis sterilibus.

240. PEDICULARIS *palustris* L. caule ramoso.
In pratis sterilibus uliginosis.

241. P. *silvatica* L. caulibus caespitosis.
Cum priori, qua per omnes occidentales provincias frequentior. Medulla radicis spongiosa (prioris lignosa), caulibus lateralibus adscendentibus, ad basin floridis,

calyce pentagono, dente suprema praesente (in priori deficiente), intermediis rotundatis trifidis, infimis bifidis, demum reflexis; stigmate exserto.

Trib. IV. OROBANCHEAE. Corolla labiata, racemo unilaterali = *Lathraea*; l. oblique infundibuliformis plicata, spica aequali = *Orobanche*.

242. LATHRAEA *Squamaria*. L.
In omni Scania frondoso-silvestri ad Fagi et Coryli radices parasitica v. c. Alnarp, Ryds skog prope Foglesång, Roslätt, Börringe, Stenshufvud, Åby; sed copiosissime circa Ringsjön ad Gudmuntorp, Stehag, Bosarp etc. Primo emergens candida, dein incarnata: non fusca nisi sicca.

243. OROBANCHE *major* L. Fl. Suec.
In dumetis colliculosis et arvis ad radices Centaureae Scabiosae et Jaceae lecta ad Rå (*Leche*, ut etiam ultimis annis), Tågarp prope Landskrona, Malmö, Benestad, Tranås, Esperöd, altero anno omnibus locis copiosa, altero autem vix ullo obvia, etiam in horto Botanico Lundensi semel emersit! Matrice incerta, Artemisia camp.?, lecta in Torekowö," minor, forte diversa.

Fam. XIII. GENTIANEAE. Juss.

Char. Calyx herbaceus, 4-8-fidus. Corolla regularis, marcescens, laciniis tot, quot stamina alterna, per aestivationem sinistrorsum contortis. Styli 2, nunc districti, nunc connati, sed fissiles; stigmatibus duobus, plerumque distinctis. Capsula bivalvis, unilocularis l. e valvulis introflexis bilocularis, polysperma, placentis valvularum marginibus adnatis. Albumen carnosum. *Herbae amarae, exstipulatae, saepius integrifoliae et oppositif., caule tetragono,* sed *Menyanthes* recedit valvulis medio seminiferis, aestivatione valvata, foliis ternatis etc.

Duo nobis tantum typica genera, a Linnaeo sub Gentiana juncta, alterum antheris exsertis, demum spiraliter tortis rubriflorum = *Erythraea*; alterum antheris tubo inclusis semper rectis coeruleo-florum = *Gentiana*; accedente *Menyanthe*, supra indicata, flore villoso.

244. ERYTHRAEA *Centaurium* Rich. calyce 2-bracteato tubo corollae duplo breviori.
In pratis depressis aut montanis nemorosis ad Arendala, Dahlby, Elverlöf, Bunkeflo, ad exitum fluvii Köpingensis copiosissime, Gnalöf etc. Foliorum latitudo in hac et sq. variat; praesens vero caule exquisite tetragono, foliis distincte nervosis, flore fere E. *pulchellae* certius dignoscitur.

245. E. *litoralis* Fr. calyce 2-bract., tubum aequante.
In pascuis litoralibus Scaniae totius. E. *linearifolia* fide spec. ex Eur. austr. hujus alia subspecies? Nostra perennis, multicaulis, quo jam a reliquis dignoscitur.

246. E. *pulchella* Fr. floribus pedicellatis ebracteatis.
In pascuis humidis, fossarum et agrorum margines, immo versus Fjälige inter segetes, caule dichotome ramosissimo digitali immo spithamaeo, in regione occidentali campestri passim (Cfr. *Leche Scan. p.* 5. *Ros. Scan.* 10, *I. S.* 171, 277 etc.); sed var. *pumila*, uniflora, foliis latioribus tenuioribus in pascuis litoralibus cum priori a Skelderviken ad Sissebäck haud raro.

247. GENTIANA *Pneumonanthe* L. foliis linearibus.
In ericetis humidis totius Scaniae occidentalis frequenter, in Gothungiam v. c. ad Brönnestad usque adscendens, sed in plaga orientali rarissima. — Haec ad peculiarem sectionem *corolla subcampanulata*; *intus nuda* pertinet; quae *omnibus sequentibus hypocrateriformis, fauce barbata.*

248. G. *obtusifolia* W. foliis lingulatis obtusissimis.
In dumetis prati sicci inter Årup et Gedenryd, copiose. Potius G. *lingulata* Ag. dicenda, cum monente Chamisso, duplex sit G. *obtusifolia* Willd; altera G. *germanicae*, altera G. *Amarellae* nimis affinis. Haec est nostra, habitu tamen distincta et historia notabilis, utpote locis aridis obvia et deflorata prius, quam G. *Amarella* flores explicat.

248. b. G. *Amarella* L., foliis lanceolatis acutis.
Ubique in pratis et pascuis humidis a fine Julii in Octobrem usque florens

249. G. *germanica* W. foliis ovatis acutis.
In collibus calcareis ad Ignaberga, flore sequentis ma-

jori speciosa; altera forma ad St. Hammar magis parviflora et pumila ad G. amarellam quodammodo revergit.

250. G. *campestris* L. foliis oblongis, flore 4-fido.
In pratis et pascuis silvaticis.

251. MENYANTHES *trifoliata.* L.
In aquosis ubique; monstrositas *paradoxa* saepius in stagnis Vagnmans-marken. In hac saepe germinis loco duo *folia*, pulcherrimum exemplum analogiae valvularum et foliorum.

Fam. XIV. ASCLEPIADEAE Brown.

Char. Calyx 5-lobatus, herbaceus. Corolla regularis, decidua, fauce saepius coronata 5-fida, lobis aestivatione imbricatis et staminibus saepe connatis totidem, alterna. Antherae in laminulam inflexam saepius productae. Pollen in massas ceraceas l. granulosas determinatas coalescens (Orchideis analogon). Fructus bifollicularis, placenta lineari ad suturam, hac dehiscente libera, polysperma, semin. funiculo soluto saepe comosa. Albumen tenue. *Frutices* l. *herbae*, *saepe volubiles et lactescentes*, *caule tereti*, *foliis simplicibus oppositis exstipul.*

Ordo vastus, maxime singularis centro tropico, nobis unicum genus, *Cynanchum*, et una, *Linnaeo* Asclepiadis, species.

252. CYNANCHUM *Vincetoxicum.* Br.
In glareosis asperis praecipue Scaniae boreali-orientalis ad Ifötofta, Torssjöbro, L. Fjelkinge lund; Arkelstorp, Lillö, Christianstad etc. frequenter; dein ad mare occidentale in Torekowö, ad Ålaboderne, Rå, copiosissime in Hven; ceterum paucis locis dispersum, ut Foglesång, Skabersjö.

Fam. XV. PRIMULACEAE. Venten.

Char. Calyx herbaceus. Corolla regularis, decidua, fauce nuda, limbo rotato 4-5-fido (luxurie 6. 7-fid.), staminibus totidem oppositis! Antherarum loculi contigui rima longitudinali dehiscentes. Stylus 1, stigmate capitato. Fructus capsularis, unilocularis, polyspermus, placenta centrali libera. *Herbae vel caulescentes folio-*

sae (I. ROTACEAE L.) vel *acaules*, *scaposae* (II. PRECIAE L.)

Addentur III. LENTIBULARIEAE Rich. calyce corollaque sublabiatis, stam. 2 l. 4 didynamis, prioribus albumine nullo, in *Limosella* vero ut in genuinis carnoso. Constans certe foret has, ut Labiatas et Personatas, e suo typo distinguere, sed non exstant plura genera et Limosella manifeste conjungit. Hae ut aquaticae fere claudunt Tubiflorarum classem, sed accedunt duo familiae appendicis loco subjungendae

Trib. I. ROTACEAE. Capsula 1) seminibus indefinitis, vel indehiscens, flore heptamero = *Trientalis*, vel valvata = *Lysimachia*, vel circumscissa, flore pentamero = *Anagallis*, tetramerove = *Centunculus*, vel semiinfera, dentibus dehiscens = *Samolus* — 2) seminibus definitis, 5: *Glaux* (saepius apetala.)

253. TRIENTALIS *europaea.* L.
In silvis montanis.

254. LYSIMACHIA *thyrsiflora.* L. racemis alaribus.
In aquis Scaniae septentrionalis ad Lefrasjön usque frequens, dein sparsa, ut ad Belteberga, Foglesång, Hagestad. Saepe 6-7-mera, tironibus difficilis planta.

255. L. *vulgaris* L. panicula terminali.
In aquosis frequens. Monadelpha.

256. L. *Nummularia.* L. procumbens, fol. subrotundis.
Per omnem Scaniam, pineto-montana excepta, in humidiusculis vulgaris. Pedunculi alares, solitarii.

257. L. *nemorum* L. procumb., foliis acutis.
Locis humidis ad rivulos umbrosos in Entäppet vid Öfvedskloster, Bjersjö-Ladugård; copiosissima in lateribus Romeleklint versus Björstorp etc.

258. ANAGALLIS *arvensis* L. sepalis integerrimis.
In arvis, campis, maritimis ubique. Corolla phoenicea; subinde carneo-alba.
* A. *coerulea* All. sepalis serrulatis.
Bis lecta, ad Fjälige a me, versus Råby a Mag. Doc. *Borgström.* Non tantum colore floris azureo differt, sed priori subjungo, cum nobis rarissima sit.

259. CENTUNCULUS *minimus* L.
In agris, ad vias in campis humidis et in litore mari-

no totius Scaniae maritimae minime rarus, a Torekow usque ad fines Blekingiae; frequentissime in regione Trelleborgensi.

260. SAMOLUS *Valerandi* L.
Ad Saxaviken in Blekingiae conterminis', sed omnino intra Scaniae limites. Ad Krogstorp. *Åkerman.* Prof. Folia alterna!

261. GLAUX *maritima.* L.
Ubique in litore marino et rarior ad ripas inundatas fluviorum v. c. Löddeström inter Kjeflinge et Höj, Segeån. Calyx coloratus. Corolla apud nos deficit, sed in Europa australi adesse dicitur infundibulari-rotata, 5-fida.

Trib. II. PRECIAE. Capsula 1) *dentato-dehiscens*, corollae (coloratae) fauce pervia = *Primula*, (albidaeve) constricta = *Androsace* vel 2) indehiscens (foliis pectinato-pinnatis) = *Hottonia.*

262. PRIMULA *Veris* L. coroll. limbo concavo.
In pratis et pascuis ubique.

263. P. *elatior* Jacq. cor. limbo plano luteo.
In pratis succosis ad Öfvedskloster (*Leche* et adhuc copiose), ad Lund tantum semel; ad pedes montes Kullaberg, in cujus convalli var. exscapa P. *acaulis* dicta.

264. P. *farinosa* L. cor. limbo plano persicino.
In pratis uliginosis frequenter.

265. ANDROSACE *septentrionalis* L.
In clivis et campis arenosis Scaniae orientalis totius ab Arup ad Kåseberga frequenter.

266. HOTTONIA *palustris* L.
In fossis et aquis vulgaris.

Trib. III. LENTIBULARIEAE. Capsula circumscissa, corolla personata calcarata, calyx 2-partit. = *Utricularia*; Capsula bivalvis, corolla labiata calcar., calyx labiato 5-fidus = *Pinguicula*; Capsula bivalvis, corolla subrotata, ecalcarata, stam. didynama = *Limosella.*

267. UTRICULARIA *vulgaris* L. nectario conico patente.
In aquosis passim v. c. Vejlesjö, Härlöf vid Christianstad, (Ros. 67) Hagestads mosse, Bosarp etc.

268. U. *intermedia* Hayn. nectario conico antice adpresso. In limosis regionis silvaticae frequens, ceterum rarior, etiam prope Lund collecta.

269. U. *minor* L. nectario carinato. In limosis Gothungiae, ad Årup, Quesarum, in Hagestads mosse alibique rara. Flores exigui, nobis unicolores, ochroleuci.

270. PINGUICULA *vulgaris* L. In uliginosis frequens.

271. LIMOSELLA *aquatica*. L. In aquosis litoris marini ab Årup ad Båstad copiose, ceterum rarior, ut ad Lund etc. A socia *Littorella* caute separanda; folia spathulata.

Fam. XVI. PLUMBAGINEAE Juss.

Char. Calyx 5-dentatus, nostris scariosus, plicatus. Corolla (typicis monopetala, hypocrateriformis) nostris 5-petala. Stamina petalis, aestivatione contortis, inserta, opposita. Styli plures, stigmatibus capillaribus. Fructus capsularis, monospermus, placenta s. funiculo e centro, sed semen inversum. Albumen farinaceum. *Herbae scaposae, foliis integris.*

Inflorescentia, Dispaceas et Valerianeas l. Globularieas et Selagineas repetens, nunc capitata involucrata receptaculo paleaceo = *Armeria*; nunc spicato-ramosa, tantum bracteata = *Statice*, cum quo etiam Linnaeus jungebat *Armeriam*, sed duos sistunt typos, uterque specierum dives, nullos transitus offerentes. Locus familiae incertus, ob faciem h. l. inter Primulaceas et Plantagin., vulgo juxta Nyctagineas.

272. ARMERIA *vulgaris*. W. scapis centralibus. In omni Scania maritima frequenter, in plagis interioribus rarior usque ad Odersberga. Praeter vulgarem s. A. *elongatam* Hoffm. passim intercurrit var. *pubescens* Dec., humilior. (Haec minime commutanda cum A. *maritima* W., magis boreali, sed ubique hortensi. Per trigenta annos juxta A. *vulgarem* cultam et seminibus educatam semper immutatam vidi. Non scapi pube, sed turionibus procurrentibus pulvinato-caespitosis sempervirentibus, foliis flaccidis enervibus, scapis lateralibus,

vagina minus scariosa, petalis profundius emarginatis differt.)

273. STATICE *Limonium* L.

Locis limoso-exsiccatis ad litus maris juxta Öresund ad Hvellinge, Gessige, Barsebäck, inter Landskrona et Helsingborg, in Kullen, (*Leche*) in par. Hjernarp, in Torekow ö (*Lindblom*). Est St. *pseudo-Limonium* R., foliis carnosulis laevibus, subtus dense punctatis, apice mucronatis etc. a Bahusiensi (St. *Limonium* Reich et L. pr. parte) insigniter diversa atque separanda. Cfr. *Nov. Mant.* I.

Fam. XVII. PLANTAGINEAE. Juss.

Char. Calyx herbaceus, 3-4-partitus. Corolla regularis, *scariosa*, persistens, limbo quadrifido aestivatione imbricato. Stam. 4, alterna! Filamenta primo induplicata. Styl. 1, stigm. unico. Fructus capsularis, placenta centrali. Albumen carnosum. *Habitus et vegetatio Plumbaginearum.*

Capsula nunc polysperma, placenta centrali libera alata etiam in loculos divisa = *Plantago*, nunc monosperma, semine erecto! = *Littorella.* Haec scapo unifloro et praecipue sexu vero monoico (in hac classe rarissimo!) insuper insignis.

274. PLANTAGO *major* L. foliis ovatis.

Ad vias etc. ubique. Duae varietates aut subspecies insignes *β. scopulorum*, foliis expansis carnosis sinuato-dentatis, ad Torekow, Kullaberg in scopulis marinis; *γ. agrestis*, radice annua, foliis tenuibus villosis, spica oblonga — inter segetes. (Quod durationem attinet hanc in agris vervactis *arte* quasi annuam factam esse judico et a florescentia praecipitata tenuitatem plantae pendere. Haec ad vulgarem sese habet, ut *Vicia villosa* ad V. craccam.) Monstrositates, *rosea* et *bracteata*, hinc inde intercurrunt.

275. P. *media* L., foliis ellipticis villosis.

Ubique in planitiebus argillaceis, spica oblonga rosea albave.

276. P. *lanceolata* L. foliis lanceolatis villosis.

Ubique sub pluribus formis, sed parum notabilibus; *dubia*, seu basi lanata, in exsuccis maritimis.

277. P. *maritima* L. foliis linearibus glabris.
In litore marino ubique, a quo in campos finitimos late vagatur. Itidem plures formae: *serpentina* R., foliis basi lanatis; *dentata*, foliis lanceolato-linearibus planis dentatis. Reliquis omnino insignior var. *gentilis* Fl. Hall. (Pl. *Lech. Scan. p.* 2. *n.* 6. Plantago albicans. *Retz.* V. A. H. Pl. subulata. *Roth.* P. Wulfenii *Spr.* leptophylla. *Reich.* tenuissima *Whlnb.*) folis tenuissimis subcylindricis brevibus scapoque strictis, a pluribus distincta et constans videtur.

278. P. *Coronopus* L. foliis pinnatifidis.
Locis sterilibus ad litus marinum a Båstad ad Skanör ubique copiose, ubi quoque in ruderatis dispersa, sed in Scania orientali mire rarescit.

279. LITTORELLA *lacustris* Berg.
Non tantum in Scania silvestri (Fl. Suec. p. 47) frequentissima, sed ad ripas steriles lacuum Ringsjö, Börringe sjö, Häckeberga sjö etc. copiose et ad litus maris a Ramsjö! (Retz. Phys Sällsk. H. 317) ad Årup ubique copiosissime. Flos foeminus radicalis. Folia pro Isoëtide a tironibus perperam sumuntur.

Obs. Cum stamina hypogyna et placenta centralis i. e. fructus simplex in singula classe et serie primus l. infimus gradus, facile intelligitur, cur placenta centralis frequentior sit in classibus inferioribus et hypogynis. — *Corolla gamopetala* s. monopetala extra Corolliflorarum seriem praecipue obvia in Cl. IX. Disciflorarum; sed staminum situ vel numemero facile dignoscuntur. *Cucurbitaceis* perianthum duplex discretum minime adest; e nostro genere potius simplex est.

SERIES II. *Thalamiflorae.*

Perianthium duplex *), discretum, interius corollinum, petalis inter se liberis! Stamina cum petalis in-

*) Raro utraque series concolor, tum alterum perianthium deficere videtur, sed propius observata v. c. in *Pulsatillis* etc. duplex adest perianthii series.

serta basi a calyce libera aut prominente (*receptaculo* vulgo dicto), biserialia aut uniserialia alterna.

Classes e situ staminum in disco carnoso epigyno l. subperigyno (IV. *Disciflorae*), amphigyno (V. *Basiflorae*) vel hypogyno absque disco (VI. *Columniflorae*), quae respondent prioris seriei, ad quam Disciflorae sunt Thalamiflorarum radius, infimis punctis [in summis numquam verus transitus] v. c. *Lorantheis* facile confluens.

Classis IV. DISCIFLORAE.

Char. Stamina petalaque inserta disco epigyno aut subperigyno carnoso manifesto, uniserialia, definita. Calyx gamosepalus ovario discove plus minus adhaerens. *Inflorescentia definita, aggregata, floribus ratione seminum ut Seminifloris, quas manifeste repetunt, exiguis, virescentibus albidisve, haud saturate coloratis.*

Aliae hujus familiae Calycifloris, aliae Thalamifloris adscribi solent, sed omnis fere differentia pendet ex ovario plus minus liberato, multis formis intermediis v. c. *Vitideis*, *Araliaceis* sublata. Familiolas nimias, nimisque dispersas, mihi videntur Auctores distinguere, v. c. *Acerinas* a *Malpighiaceis* etc. sed quatenus separandae sint hoc loco non inquirendum. Indigenarum clavis. *Fructus* 1) *syncarpicus*, *monostigmaticus*, disco epigyno = XVIII CORNEAE; disco, perigyno = XIX CELASTRINEAE *) 2) *syncarpicus*, *stigmatibus distinctis* calyce libero = XX MALPIGHIACEAE l. adnato = XXI ARALIACEAE 3) *schizocarpus*, stylis distinctis = XXII UMBELLIFERAE 4) *holocarpus*, seu ovario simplici monospermo = XXIII LORANTHEAE.

Fam. XVIII. CORNEAE. Decand.

Char. Calyx germini adcretus, limbo supero 4-partito deciduo. Discus epigynus, persistens. Petala 4, basi lata, per aestivationem valvata. Stam. 4, alterna. Stylus filiformis, stigmate simplici. Fructus drupaceus, ex ovariis 2 connatis. Semina in loculis mono

*) E nostro genere, in exoticis stigm. plura.

spermis, pendula! Albumen carnosum. *Frutices, paucissimae herbae (quasi frutices subterran.,) foliis oppositis, integris exstipulatis.* Unicum nobis genus.

280. CORNUS *suecica* L. herbacea, umbella involucrata.
In silvaticis Gothungiae occidentalis passim ab Osby ad Blekmâsa passim, dein occidentem versus ad Kullaberg et Jonstorp.

281. C. *sanguinea* L. fruticosa, corymbo nudo.
In omnibus Scaniae nemoribus.

Fam. XIX. CELASTRINEAE Brown.

Char. Calyx subliber, limbo 4-5-partito persistente. Discus in calycis fundo cui germinis basis immersa. Petala 4-5, basi lata, per aestivationem imbricata. Stamina totidem alterna. Fructus drupaceus, 2-5-locularis, semina in loculis solitaria l. definita, arillata. Albumen carnosum. *Frutices, foliis simplicibus.*

Familia ad Syngynas transit; nostri generis stigma simplex apparet, sed in centro familiae, in China Japania etc. copiose obviae, stigmata plura. Sequentibus quoque affinitate proxima. Rhamneae, utique in seq. serie analogae, disci defectu, staminum oppositorum insertione pluribusque notis manifeste differunt.

282 EVONYMUS *europaeus* L. flore quadrifido.
Eisdem cum priori locis, aeque frequens; sub nomine *Benved* a vulgo commutantur.

Fam. XX. MALPIGHIACEAE. Juss.

Char. Calyx liber, limbo 4-5fido. Discus in fundo calycis amplus, carnosus, discretus. Petala 4-5, ungue brevi disci margini inserta, per aestivationem imbricata. Stamina petalis numero aequalia l. dupla, disco inserta. Styli nunc connati nunc distincti, stigmatibus 2, 3. Fructus ex ovariis duobus l. tribus angulo centrali connatus, varius. Semina solitaria l. bina, exarillata, exalbuminosa, angulo centrali adfixa. *Frutices l. arbores; foliis saepius compositis aut palmato-lobatis.*

Vasta et pervulgata cum proximis *Sapindaceis*, Vitideis accedentibus, in tropicis familia; nobis vero unicum genus, *Acer* L., quod aliquantulum aberrat calyce deciduo et fructu

samaraceo, hinc sub familia propria, Acerinae dicta, separatum, sed ex unico genere familiam vix admitterem.

283. ACER *Pseudo-platanus* L. foliis obtuse 5-lobis.
Arbor ex montibus subalpinis (etiam Norvegiae) apud nos, secund. Retzium, ante 60—70 annos introducta, jam ubique ad urbes, pagos, saepes vulgaris et proprio semine sponte propagatur v. c. in silva Alnarpensi. *Racemus pendulus!*

284. A. *Platanoides* L. foliis acuminato-5-lobis.
Arbor montana, in Gothungia et S. Åsen plerisque jugis montosis frequens. *Panicula erecta glabra!*

285. A. *campestre* L. foliis obtuse 3-lobis, pubescent.
Frutex campestris, prope Brännemölla par. Suedala in Nauerbacken copiose, utique semina maturans. (Ros. Scan. praef.) *Cyma pauciflora, pubescens, cernua.*

Famil. XXI. ARALIACEAE Juss. ex em. Decand.

Char. Calyx subadnatus, fructum coronans. Petala 5-10 per aestivationem valvata. Stamina totidem, alterna (in *Adoxa* simul opposita, e petalis, quae deficiunt, transformata). Styli nunc distincti, nunc conjuncti, stigmatibus tot quot ovaria connata. Fructus baccatus, 2-15-locularis, loculis monospermis. Semina angulata, testa crustacea. Albumen carnosum. *Arbores, frutices, rarissime herbae, saepius scandentes. Folia lobata l. composita. Inflorescentia subumbellata.*

Familia ex maxima parte tropica, hinc *Vitideis*, calyce liberato, illinc, omnium consensu, *Umbelliferis* proxima. Genera nostra, ut fieri solet extra optimam familiae patriam, tantillum aberrant. In *Hedera* calyx dentatus, petala, stamina et baccae loculi 5 l. 10. In *Adoxa* calyx lobatus, petala 0 (in stam. mutata), bacca 4-locularis.

286. HEDERA *Helix* L.
Per omnem Scaniam, campestrem denudatam si exceperis, vulgaris; arborescens, sero autumno florens in rupibus Hallandsås, Söder-åsen, Oppmanna; frequentior sterilis, humifusa late serpens in dumet.

287. ADOXA *Moschatellina* L.
In nemoribus frequens.

Fam. XXII. UMBELLIFERAE. Juss.

Char. Calyx adnatus, apice coarctatus, limbo obsoleto l. dentato. Discus epigynus nectarifer. Petala 5, cum staminibus totidem alternis disco extus inserta, basi unguiculata, aestivatione involuta. Styli 2, basi incrassati, demum divergentes. Fructus 2 *) sicci, uniloculares, monospermi, sed primo calyce tegente (ut in Rubiaceis) in unum cohaerentes, maturi vero discreti columella centrali ab apice bipartita. Semina pendula, albumine copioso subcorneo *Herbae* (exoticae etiam fruticosae); *caule subnodoso*, *fibris medullaribus* (more Monocotyledonearum) *intra substantiam sparsis*. *Folia alterna, petiolis vaginantibus*. *Inflorescentia umbellata.*

Familia, e zona calida exsul, in temperata vulgatissima, etiam apud nos sat dives cum Ranunculaceis, bene observante jam Jussieu et demonstrante Lindley analoga; maxime naturalis, indeque aegre naturae congruenter disponenda et in genera distribuenda. A singulis floris fructusque partibus (etiam ab involucris secundum Linnaeum) subtiliter examinatis genera limitata sunt, ut parum absit, quin tot genera proposita, quot species exstent primariae. Secundum solidissima KOCHII studia dispescuntur ex albumine intus sulco longitudinali, ob margines involutos, notato = *Crampylospermae*, vel intus plano = *Orthospermae*, quae e statu maturo, etiam a tirone, haud difficile dignoscuntur (et *Crampylospermae* jam foliis, veram affinatem magis, quam fingitur, sequentibus.) Porro attendendum ad figuram fructuum, utrum a dorso, an e latere compressi l. contracti sint; — ad *costas* externas, e nervis mediis et suturis sepalorum connatorum ortas, hinc primariae semper 10 sunt; sed in Dauco et Laserpitio e nostris etiam accedunt *juga secundaria*, quare haec genera *fructibus multicostatis* mox removentur — ad *vittas*, sed canales intra pericarpium gummiresina aromatica scatentes. Hae huic familiae maxime characteristicae sunt et tam essentiales, ut eo ipso *ex singula* earum *aberratione* l.

*) Hic numerus, qui omnibus normalis, nobis etiam typicus videtur, suadentibus *Rubiaceis* et omnibus praecedentibus schizocarpis. *Decandolle* in numero etiam quinario fructuum typum ponit, quorum 3 abortivi (?)

obliteratione ubique genus lacerare dubitarem, nam vereor, ut *typica* sit! Cfr naturalissimum Bupleuri genus, Sium aliaque. Clavis generum:

I. CRAMPYLOSPERMAE. Fructus a.) fusiformis, rostro contiguo aut obsoleto, vix costatus = *Chaerophyllum*; b.) ovatus, hispidus, rostro contracto distincto, vittis costisque nullis = *Anthriscus;* c.) subulatus, costatus, rostro ensiformi hispido = *Scandix;* d.) lanceolatus, evittatus, costis alatis cavis = *Myrrhis;* e.) ovato-compressus, evittatus, costis undulato-crenatis = *Conium;* f.) ovato-didymus, vittatus, costis setosis = *Torilis* (aculeatisve *Caucalis*).

II. ORTHOSPERMAE, *umbellis perfectis.* Fructus 1) a dorso compressus, *multicostatus*, costis secundariis a) aculeatis = *Daucus;* b.) alatis = *Laserpitium*; 2) dorso compressus marginibus *bialatus* (alis nempe ad suturam compaginatis) costis dorsalibus a) tribus, vittis clavatis deorsum evanidis = *Heracleum* l. aequalibus filiformibus = *Pastinaca*; b.) quinque = *Selinum*: 3) a dorso compressus, margine *quadrialatus* (alis nempe ad suturam patulis), costis a) omnibus membranaceo-alatis = *Conioselinum* l. b) tribus dorsalibus tantum elevatis = *Angelica*; 4) *elongato-teretiusculus*, ad suturam haud contractus, a) glaber, dentibus calycinis evidentibus = *Ligusticum*, nullisve = *Silaus*; b.) pubescens, dentibus calycinis a basi circumscissa deciduis = *Libanotis*, 5) *subglobosus* nec ad suturam contractus a) facile bipartibilis, calyce edentulo = *Aethusa* b.) maturus connatus, calyce dentato = *Oenanthe*; 6) ad suturam *contractus* aut didymus a) calyce dentato petalisque inflexo-acuminatis = *Cicuta*, cujus fructus globosus, costis latis — et *Sium,* cujus fructus oblongus, costis filiformibus; b.) calyce dentato, petalis inflexis obtusis = *Apium*; c.) calyce obsolete dentato, petalis ovatis patentibus = *Helosciadium;* d.) calyce edentulo, petalis acuminato-inflexis, valleculis multivittatis = *Pimpinella*, univittatis = *Carum;* evittatis = *Aegopodium*.

III. ORTHOSPERMAE, *umbellis imperfectis*, a) *simplicibus*, fructu tereti aspero = *Bupleurum* b) *capitulatis*, fructu hamoso-aculeato = *Sanicula* c) *capitatis*, fructu

squamoso = *Eryngium*; d) *subverticillatis*, fructu complanato biscutato = *Hydrocotyle*.

Aliam addem e foliis et involucris dianomen cum et tironibus passim inserviat et cum praecedente mere carpologica faciem externam conferre forsan intersit:

A.) *Folia pinnato-composita*, *foliolis decrescentibus et confluentibus* h. e. foliolis infimis petiolatis plus minus compositis, sursum sensim magis magisque sessilibus, confluentibus, ad typum primarium continuo incisis. a.) *chaerophyllaea*, foliolis dissectis, opacis, pilosis, involucellum semper definitum, involucrum vulgo nullum (*Chaerophyllum*, *Anthriscus*, *Scandix*, *Myrrhis*) vel e foliis simplicibus (*Conium*, *Torilis*) pinnatisve (*Daucus*) — b.) *latifolia*, foliolis indivisis; involucro utroque persistenter vel praesente (*Laserpitium*) vel deficiente (*Pastinaca*) vel universali deciduo (*Heracleum*, *Angelica*).

B.) *Folia pinnato-composita*, *foliolis plerisque conformibus et distinctis*, glabris; rigidis aut nitidis. a) involucro utroque praesente (*Conioselinum*, *Selinum*, *Silaus*; b) involucello tantum (*Cicuta*, *Oenanthe*, *Aethusa*, foliis ad chaerophyllaea accedentibus et involucello dimidiato insignis.

C.) *Folia ternato-composita*; involucro utroque (*Ligusticum*); (partiali tantum in *Imperatoria*); nullo (*Aegopodium*).

D.) *Folia aequaliter pinnata*, nempe pinnis omnibus conformibus, aeque sessilibus et incisis, involucro utroque (*Libanotis*, *Sium*), partiali tetraphyllo (*Helosciadium*) aut nullo (*Apium*; *Pimpinella*; *Carum* foliolis filiformi-partitis).

E.) *Folia simplicia* integerrima (*Bupleurum*), lobata (*Sanicula*) sinuoso-spinosa (*Eryngium*), peltata, crenata (*Hydrocotyle*).

288. CHAEROPHYLLUM *silvestre* L. fructibus turgidis laevibus.

In pratis ubique. Haec est notissima, vulgatissima, *officinalis* Chaerophylli species; *Linnaeo* typus generis, notis carpologicis, ut Bupleurum aliaque naturalissima,

forsan varii, cujus nomen igitur in *Anthriscum* aegre mutarem.

289. CH. *Cerefolium* Cr. fructibus subulatis laevibus.
Inter segetes, ad vias ad Cimbritshamn (It. Scan. 139); Lund alibique. *Scandix* L.

290. C. *temulum* L. fructibus subulatis sulcatis.
Ubique in umbrosis silvarum, in ipsis plateis Lundensibus. *Scandix* Wahlnb.

291. ANTHRISCUS *vulgaris* Pers. Scand. Anthrisc. L.
Ad omnes urbes et pagos campestri-litorales, praecipue ad aggeres e Fucis exstructos ad Öresund, (Lundae ad S. Tull.)

† Scandix Pecten L. In agris ad Wannås lectam accepi, sed adhuc incerta civis.

292. MYRRHIS *odorata* Sc. Scandix L.
Aboriginea e convallibus alpinis (etiam Norvegiae *Blytt*) in ruderatis pagorum nunc frequens; etiam in silva Pinelierne ad Gudmuntorp, in dumetis ad Benestad et copiose in agris ad templum Hörup obvia.

293. CONIUM *maculatum*. L.
Ad pagos, vias, agros passim.

294. TORILIS *Anthriscus* Gmel. Tordylium. L.
Per omnem Scaniam in dumetis, ad viarum margines usque ad Båstad et Oppmanna.

† CAUCALIS *Daucoides*. L. Inter Fjelkinge et Bäckaskog (cnf. Nov. Fl. Suec. p. 81.) in agris calcareis parce legi. Num persistens?

295. DAUCUS *Carota* L.
Ubique in campis. Inter Tranås et Tunbyholm varietatem notat *Rosen* Scan. 13. Alia gracilis, simplicior, glabriuscula infra Malmö in pascuis maritimis. Videtur D. *maritimus*. With.

296. LASERPITIUM *latifolium* L.
In Scania orientali ad Blekinge fines et ad Wemmerlöf, territorii Järesta (*Leche*) rarissime.
Laserpitia multa exotica habitu Daucum magis referunt.

297. HERACLEUM *Sphondylium* L. corollis radiantibus albis.
In pratis ubique semper amplum, crassicaule, latifolium.
H. *Sphondylium* Fl. Ups., corollis subconformibus luteovirescentibus, omnibus partibus tenuius et saepe angu-

stifolium e mente Kochii est H. *sibericum* L., H. *flavescens*. Dec.

298. PASTINACA *sativa*. L.
Per omnem Scaniam campestrem vulgaris; *silvestris* pubescens, radice lignosa, in collibus siccis v. c. ad Malmö, *glabrata* ad vias, saepes humosas ubique.

299. SELINUM *palustre* L. petiolis foliolor. rectis.
In palustribus silvaticis passim, vix in campestr.

300. S. *Oreoselinum* Mönch, petiolis foliolor. divaricatis.
In pratis asperis Scaniae orientalis et australis frequenter, sed in occidentali paucis locis, v. c. prope Lund ad Sularp, Öfvedskloster, Skabersjö.

301. CONIOSELINUM *Carvifolia*. Reichenb.
In dumetis humidis, Scan. orientalis occidentalisque aeque vulgare. Natura Selinum, ars Angelicam voluit.

302. ANGELICA *silvestris* L. fructu solido.
In palustribus passim. Hujus foliola terminalia plerumque integra, sed exstat *var.* fol. term. lobatis, pro sequ. saepe sumta.

303. A. *litoralis* Fr. fructu inflato, nucleis liberis.
Ad rivulos Scaniae, (*Retz.* Fl. Oec. p. 50 sub Ang. Archangelica); legi tantum ad aquas cum Heljeå communicantes v. gr. ad Ferlöfsholm, Vidsköfle.

304. LIGUSTICUM *scoticum* L.
Ad latus boreale montis Kullaberg; quo australiori loco vix in Europa occurrit.

305. SILAUS *pratensis* Bess. Peucedanum L.
In pratis dumetosis humidis, copiose ad Hörte, Almaröd (Retz. Suppl. 1.) alibique ejusdem regionis. Hoc demum anno frequenter lecta ad Malmö extra S. Värn a Cand. *Ringio.*

306. LIBANOTIS *montana* All. Athamanta. L.
In collibus pratorum nudis aridis (Linn. Fl. Suec. 87), sed raro admodum v. c. ad Öfvedskloster.

307. AETHUSA *Cynapium* L.
In cultis et agris ubique. Var. *Aeth. elata*, in dumetis, non separanda.

308. OENANTHE *fistulosa* L. foliolis caulinis fistulosis.
Ubique in palustribus region. campestris et frondoso-silvestris. Ima folia Selinoidea.

309. O. *Phellandrium* Lam. foliolis caul. conformibus planis. In aquosis frequens. Phellandr. *aquat.* L.
O. *crocata* Linn. Fl. Suec. n. 251. *Oenanthe n.* 21 Lech. Scan. p. 6. absque omni dubio est *Sium angustifolium* — nec vera umquam in Scania reperta. Cum *Oenanthe pimpinelloide* L. numquam commutanda, nec haec similibus locis quaerenda, sed in turfosis *marinis* cum Junco marit. (potius in Blekingia l. Calmariensi provincia, quam in Scania). Cfr *Fries nov.* p. 80.

310. CICUTA *virosa* L.
In paludibus, etiam pineto-montanis, passim.

311. SIUM *angustifolium* L. pinnis incisis.
In aquosis Scaniae totius, regione pineto-montana tantum excepta, ubique omnino vulgatissimum usque ad Båstad et Vejle-sjö. Hoc esse S. *nodiflorum.* Linn. Fl. Suec. jam pridem bene docuit *Retzius* in Obs. Bot. et Fl. Scand., qui nec S. *nodiflorum* dixit, nec varietatem quandam (mihi ignotam) ante oculos habuit. Sed hoc etiam est *Oenanthe crocata* L. Fl. Suec. Cfr. supra.

312. S. *latifolium* L. pinnis acute serratis.
Frequens in palustribus, priori tamen parcius. [Var. *longifolia* Fl. Hall. in Scania deest.]

313. S. *Falcaria* L. foliis caulinis ternatis cartilagineo-serrulatis.
Ad aggeres declives rivuli inter Ingelstorp et Glemminge, nec non in arvis ad Glemminge copiose.

314. HELOSCIADIUM *inundatum* Koch. Sison L.
In paludosis minime rara, sed ob subtilitatem vulgo praetervisa, per plurimas Scaniae plagas campestres a regione Christianstadiensi (*Ros. Scan.* 17 *It. Scan.* 397) et Engelholmensi ad Stora Hammar et Skanörs-Ljung copiose; etiam in plagis interioribus v. c. ad Roslätt, Tvet (*Ringius*) Maglarödsmad ad Söder-åsen (*Forsander*) Maglahult in Linderöds-åsen (*Lindblom*) e. a. p.

315. APIUM *graveolens.* L.
Ad fossas limosas litoris marini, haud frequens; sed absque dubio vere indigenum. A *Lecheo* aliisque prope Landskrona, a *Rosèn* ad Christianstad, a me inter Gessige et Hvellinge et ad Kabusa repertum.

316. PIMPINELLA *Saxifraga* L., caule tereti striato.

Ubique in pratis et pascuis siccis, saepe pubescens et, ut sequens, foliis dissectis.

* P. *nigra* Willd. radice coeruleo-lactescente!
In collibus calcareis ad Limhamn, ubi jam a Lecheo indic ta, valde opaca, foliolo terminali lobato. Valde insignis, non cum vulgari pubescente confundenda.

317. P. *magna* L. caule anguloso, foliis nitidis.
In pratis declivibus subudis, copiose ad Hallandsås prope Rosenhult etc., Kullaberg, Söderåsen in par. Torrlösa; ad Harlösa (Retz. Supl. 2. 6.), Esketorp prope Ottarp, Annelöf, Ryds skog etc.

318. CARUM *Carvi.* L.
In pratis et campis ubique.

319. AEGOPODIUM *Podagraria.* L.
In graminosis herbidis passim.

320. BUPLEURUM *tenuissimum* L. foliis linearibus.
In pascuis maritimis, a Landskrona ad Skanör ubique frequentissime, ad Ystad etc.; var. *agrestis* Fr. Nov. multis rationibus insignis, in agris ad Foglesång, Trolleleberg versus occid. merid. etc. [B. *rotundifolium* L., foliis ovalibus perforatis, locis cultis subinde occurrit.]

321. SANICULA *europaea.* L.
In nemoribus silvaticis ubique.

322. ERYNGIUM *maritimum* L.
In arena marina, non ubique. Copiose ad Helsingborg, Rydebäck, inter Lomma et Malmö (Leche), Böste, inter Hörte et Abekås, ad Ystad, Kåseberga, Sandhammar, Kivik, Stenshufvud, Raflunda (It. Scan. 126) alibique.

323. HYDROCOTYLE *vulgaris.* L.
In paludibus et ad ripas regionis pineto-montanae et silvestris ubique.

Fam. XXIII. LORANTHEAE. Rich.

Char. Calyx adnatus, limbo dentato obsoletove. Petala 4-8, basi lata, per aestivationem valvata, disco epigyno inserta. Antherae in petalis sessiles, oppositae. Stigma unicum. Fructus: bacca unilocularis, umbilicata, polysperma. Semen inversum, albumine carnoso. *Frutices parasitici, sempervirentes* (saepe salore imbuti l. colore *veneto!* clr Dec. Prodr. 4. p. 515. n. 203) *ramis*

articulatis, foliis oppositis integris l. nullis. Inflorescentia cymosa, racemosa etc.

Familia singularis, parasitica et chlorophyta tamen!, in tropicis luxurians; *Umbelliferis* manifeste (fructus primo biovulatus sit) sed forsan magis *Corneis* l. *Caprifoliaceis* affinis. Nobis unicum genus, floribus diclinibus, stylo o.

324. VISCUM *album*. L.

Supra Tilias et Pyros in regione Christianstadiensi, ubi jam a Lecheo lectum.

HAMAMELIDEAE, nobis exoticae (sed in hortis v. c. ad Krapperup colitur *Hamamelis virginiana*) exacte medium inter priores et Berberideas tenent locum et has classes connectunt.

Classis V. BASIFLORAE.

Char. Stamina amphigyna h. e. basi fructus, nec toro, inserta, petalis opposita l. indefinita. Petala libera, unguiculata cum staminibus inserta. Sepala et inter se et a toro discreta. Torus a basi fructus articulo discretus, non disciformis. Fructus semper superus.

Haec classis, Discifloris et Columnifloris intermedia, centrum Thalamiflorarum, a reliquis distinctissima. Insertio staminum optime perspicitur in Nymphaeaceis, *Papavere somnifero!* e. s. p. sed in omnibus revera eadem.

Clavis familiarum: *Placentae* 1) *laterales* in fructu a) simplici monostigmatico = XXIV. BERBERIDEAE, staminibus definitis — et abortu in *Ranunculaceis* paucissimis; staminibus indefinitis; b) e tot ovariis connato, quot stigmata juncta, sepalis 6 aut vulgo 4 = XXV. CRUCIFERAE vel 2 = XXVI. PAPAVERACEAE; c) composito ex ovariis pluribus, germine receptis = XXVII. NYMPHAEACEAE nostrae, l. omnino discretis = XXVIII. RANUNCULACEAE 2) *centralis* in fructu valvato 5-stigmatico = XXIX. BALSAMINEAE.

Fam. XXIV. BERBERIDEAE. Juss.

Char. Sepala 6 l. 4, petaloidea, decidua. Petala et stamina totidem, opposita, libera. Antherarum loculi a basi ad apicem valvula elastica dehiscentes. Stigma simplex orbiculatum. Fructus, aliorum defectu, ut e

situ obliquo patet, solitarius, baccatus l. siliquosus, unilocularis, placenta ad latus l. suturam, seminibus paucis. Albumen carnosum, embryone axili. *Frutices l. herbae, fol. exstipulata, plerumque composita l., ut in nostra, in spinas compositas mutata. Flores subracemosi.*

Nobis unicum genus, sepalis, petalis, stam. 6, bacca 2-3-sperma; (cfr. *Epimedium*, in hortis vulgare, numero partium quaternario, fructu siliquoso.)

325. BERBERIS *vulgaris* L.

Frutex normaliter rupestris (in Suecia primum occurrit versus septentrionem vere spontaneus in montibus Husquarnensibus etc. prope Jönköping, cujus regionis una cum *Aquilegia* maxime characteristica planta) in Scania tantum adventitius, licet circa Söfdeborg, ubi olim legit Leche, adhuc satis copiose.

ACTAEA vide Ranunculac. (Foliorum typum hujus familiae melius exprimit quam Berberis.)

Fam. XXV. CRUCIFERAE. Juss.

Char. Sepala et petala 4, cruciatim opposita, sed inter se alterna. Stamina 6, duo exterioris seriei breviora. Stylus simplex aut o, stigmatibus 2, plerumque connatis. Fructus, e 2 ovariis connatus, siliqua; typice bivalvis, bilocularis, placentis dissepimenti marginibus adnatis. Semina pendula, albumine nullo, sed embryone oleoso. *Herbae* raro suffrutices; *caule tereti, contiguo*; *foliis exstipulatis sparsis*; *floribus corymboso-racemosis*.

Genus *Reseda* L. ut aberratio, tertia parte aucta, sepalis nempe 6, placentis et stigm. tribus, staminibus subduodecim, siliqua ore dehiscente e. s. p. secundum ill. Reichenbach subjungitur.

Familia apud nos vasta, utpote Zonae frigidae potissimum priva; in *tropica*, vix nisi in montibus, parcissime obvia. Ob vires subacres et antisepticas *Antiscorbuticae* etiam dictae fuerunt. Dispositio difficultatibus premitur, ut fieri solet in familiis naturalissimis. Recentior e cotyledonibus, ad genera limitanda primaria, vix minoribus premitur difficultatibus ac notissima Linnaeana, quare hanc tironibus faciliorem hoc loco servamus. Subtribus hinc: I. SILIQUOSAE, sili-

quis inaequalibus aut elongatis, latitudine subaequalibus, II. SILICULOSAE, siliquis exacte globosis l. insiguiter dilatatis, (III. RESEDACEAE ut supr.)

Trib. I. SILIQUOSAE. Siliqua 1) *nucamentacea*, s. indehiscens, oligosperma, a) *bilocularis*, nec articulata, cotyledonibus spiralibus = *Bunias*, b.) *biarticulata*, articulo superiori l. pugioniformi, utroque fertili, cotyled. accumbentibus = *Cakile*, l. superiori globoso, inferiori stipitiformi sterili, cotyled. conduplicatis = *Crambe*; c.) *multilocularis*, cotyl. condupl. = *Raphanus*; 2) *dehiscens*, polysperma, a) seminibus subglobosis, cotyledon. conduplicatis, sapore miti = *Brassica* l. admodum acri = *Sinapis* *); b.) seminibus ovato-oblongis cotyledonibus incumbentibus, *stigmatibus vel conjunctis*, = *Erysimum*, cui siliqua exacte tetragona e valvulis uninerviis et *Sisymbrium*, cui siliqua angulato-teres e valvulis trinerviis, *vel discretis* conniventibus = *Hesperis* (siliqua compressa nervosa) *vel simplici* = *Arabis* (siliqua tereтiuscula subenervis); c.) seminibus compressis, cotyledonibus accumbentibus; valvulis compressis enervibus, lanceolatis = *Dentaria*, linearibusve = *Cardamine*; valvulis compressis nervosis = *Turritis*, carinatisve = *Barbarea* (siliqua subtetragona; valvulisve turgidis enervibus = *Nasturtium*. — *Nasturtia* siliculosa etiam occurrunt et flore tam luteo, quam albo. In reliquis florum color sat constans; luteus in *Bunia*, *Raphano*, *Brassica*, *Sinapi*, *Erysimo*, *Sisymbriis* plurr., *Barbaraea*; reliquis albus aut purpureus, etiam in n. 337.

326. BUNIAS *orientalis* L.
In arvis, ad vias, multis locis, sed adhuc non copiose v. c. ad Lund, Öfvedskloster, Ystad, Köpinge.

327. CAKILE *maritima* Scop. Bunias. L.
Ad litus marinum a Bâstad ad Sandhammar frequens, dein rarescens.

328. CRAMBE *maritima* L.
Copiosissime in Sandhammar, parcius Orskär (Retz. in

*) Aliam quam hanc pro tempore differentiam inter haec duo naturalia genera haud noro. Certiorem e nervis siliquae dedit summus *Koch*, sed vix naturalia exinde circumscribuntur genera. Meliora dabit forsan dies futura.

dum plantam *parum hirsutam* esse, saepeque (var. a) prorsus glaberrimam.

346. C. *impatiens* L. petalis obsoletis, foliis basi auriculatis! In declivibus umbrosis montosis haud frequens v. c. Stenshufvud (It. Scan. 129), Esperöd in territ. Albo, Gyaberg ad Steliag etc.

347. TURRITIS *glabra* L. seminibus subbiserialibus. In frutetis alibique passim.

348. T. *hirsuta* L. seminibus uniserialibus. In Scania orientali ab Ifö ad Benestad frequens; occidentem versus rarescit, passim tamen obvia ad Lund, L. Harje, Tågarp etc. Var. *glaberrima* ad Ö. Torp in extimo Sueciae angulo.

Legi semel, prope Öfveds-Kloster 1818, Turritin *curta siliqua* diversam, quam ut incertam numquam publicare volui, sed ex spp. amicis communicatis exstat jam descripta sub nomine *Arab. curtisiliquae* Dec. planta mihi prorsus dubia. (An *Turr. ciliata* Schleich. ?)

349. BARBAREA *stricta* Fr. foliis summis integris, parviflora. In spongiosis irriguis, primo 1817 ad Skårby *sub nomine allato* distincta et amicis communicata divulgataque (vide Bot. Zeit. 1822!) Hoc nomen (alii licet auctori adscriptum) jam a plerisque receptum est, cujus nescius in aptius (*Barb. parviflorae* Fr. Nov. 2. p. 207) mutare primo determinatori concessum finxi, sed ne confusio oriatur primum meum nomen recipere cogor. Dein multis locis silvaticis lecta, ad Foglesång, prope Tågarp, Mörarp, Christianstad e. s. p. omnibus partibus a sqq. distincta, floribus exiguis, siliquis strictis primo obtutu cognoscenda. Haec species Barbareae sola in Lapponia occurrit. Cfr. *Nov. Mant.* 1.

350. B. *vulgaris* Brown. foliis caulinis sinuato-angulatis. Ubique ad fossas in campestribus; in paludibus turfosis ad Bosarp etc. Erysimum Barbarea a Linn. ((β L. est prior.) Semper sapore acerbo.

351. B. *praecox* Br. foliis caulinis pinnato-partitis. In fossis agrorum ad Widsköfle copiosissime; ceterum ad urbes et pagos quasi magis adventitia, passim ut ad Lund, Öfveds-kloster, Åhus etc. Haec siliquis graciloribus, longioribus foliisque non sine difficultate a priori

dignoscitur, sed facillime *sapore grate acido*, unde in acetariis olim recepta — num primitus a priori cultura orta? nunc tamen constans est et fera. Nostra insuper omnino eadem est ac illa in Dania (Fl. Dan. t. 1759) aliisque adjacentibus terris B. *praecox* dicta, sed alia exstat in Eur. australi B. *praecox* forsan verior, quam in Horto Bot. coluimus, siliquis adhuc longioribus diversam. Cfr. *Reich. Fl. excurs. n.* 4357, 4358.

352. NASTURTIUM *officinale* Br. siliquis cylindricis, albiflorum.
In rivulis fontanis, ad scaturigines per omnem Scaniam campestrem et frondoso-silvestrem copiose. *Sisymbrium* L, ut sqq.
* N. *siifolium* Reich. amplum, natans, foliis cordato-lanceol.
In Höjeå prope Kjellby etc.

353. N. *palustre* Dec. siliquis oblongis declinatis, petalis luteis calyce brevioribus.
Ubique in limosis exsiccatis usque ad Båstad.

354. N. *silvestre* Br. siliquis linearibus patulis, petal. luteis.
Ad ripas locis campestribus a Christianstad per omnem Scaniam orientalem et meridionalem ad Landskrona. Saepe in agris limosis v. c. inter Lund et Höjebro.

355. N. *anceps* [Whlnb.! sub Sis.] siliquis oblongis ancipitibus, pet. luteis.
Inter praecedens et sequens, quae tres species eandem incolunt regionem; sed parcius v. c. ad Löddeström, Höjeå, Segeå, prope Löderup.

356. N. *amphibium* Br. siliquis subglobosis, petal. luteis.
Cum praecedentibus, magis in ipsa aqua et in regiones silvestres adscendens, ut ad Ringsjö.

357. N. *Armoracia* L. (sub Cochlear.) siliquis ovalibus, petalis albis.
Ad aquas regionum magis montosarum (?Smolandiae, Ostrogothiae), nobis manifeste adventitia sed sat frequens ad piscinas (Leche) vitiumque infestum agrorum limosorum v. c. ad Wemmerlöf, Walleberga anguli orientali-meridionalis. Ne levissima quidem generica nota a priori differre jam exposuerunt *Koch* et *Meyer* in

dum plantam *parum hirsutam* esse, saepeque (var. a) prorsus glaberrimam.

346. C. *impatiens* L. petalis obsoletis, foliis basi auriculatis! In declivibus umbrosis montosis haud frequens v. c. Stenshufvud (It. Scan. 129), Esperöd in territ. Albo, Gyaberg ad Stehag etc.

347. TURRITIS *glabra* L. seminibus subbiserialibus. In frutetis alibique passim.

348. T. *hirsuta* L. seminibus uniserialibus. In Scania orientali ab Ifö ad Benestad frequens; occidentem versus rarescit, passim tamen obvia ad Lund, L. Harje, Tågarp etc. Var. *glaberrima* ad Ö. Torp in extimo Sueciae angulo.

Legi semel, prope Öfveds-Kloster 1818, Turritin *curta siliqua* diversam, quam ut incertam numquam publicare volui, sed ex spp. amicis communicatis exstat jam descripta sub nomine *Arab. curtisiliquae* Dec. planta mihi prorsus dubia. (An *Turr. ciliata* Schleich. ?)

349. BARBAREA *stricta* Fr. foliis summis integris, parviflora. In spongiosis irriguis, primo 1817 ad Skårby *sub nomine allato* distincta et amicis communicata divulgataque (vide Bot. Zeit. 1822!) Hoc nomen (alii licet auctori adscriptum) jam a plerisque receptum est, cujus nescius in aptius (*Barb. parviflorae* Fr. Nov. 2. p. 207) mutare primo determinatori concessum finxi, sed ne confusio oriatur primum meum nomen recipere cogor. Dein multis locis silvaticis lecta, ad Foglesång, prope Tågarp, Mörarp, Christianstad e. s. p. omnibus partibus a sqq. distincta, floribus exiguis, siliquis strictis primo obtutu cognoscenda. Haec species Barbareae sola in Lapponia occurrit. Cfr. *Nov. Mant.* 1.

350. B. *vulgaris* Brown. foliis caulinis sinuato-angulatis. Ubique ad fossas in campestribus; in paludibus turfosis ad Bosarp etc. Erysimum Barbarea a Linn. ((β L. est prior.) Semper sapore acerbo.

351. B. *praecox* Br. foliis caulinis pinnato-partitis. In fossis agrorum ad Widsköfle copiosissime; ceterum ad urbes et pagos quasi magis adventitia, passim ut ad Lund, Öfveds-kloster, Åhus etc. Haec siliquis gracilioribus, longioribus foliisque non sine difficultate a priori

dignoscitur, sed facillime *sapore grate acido*, unde in acetariis olim recepta — num primitus a priori cultura orta? nunc tamen constans est et fera. Nostra insuper omnino eadem est ac illa in Dania (Fl. Dan. t. 1759) aliisque adjacentibus terris B. *praecox* dicta, sed alia exstat in Eur. australi B. *praecox* forsan verior, quam in Horto Bot. coluimus, siliquis adhuc longioribus diversam. Cfr. *Reich. Fl. excurs. n.* 4357, 4358.

352. NASTURTIUM *officinale* Br. siliquis cylindricis, albiflorum.
In rivulis fontanis, ad scaturigines per omnem Scaniam campestrem et frondoso-silvestrem copiose. *Sisymbrium* L, ut sqq.
* N. *siifolium* Reich. amplum, natans, foliis cordato-lanceol.
In Höjeå prope Kjellby etc.

353. N. *palustre* Dec. siliquis oblongis declinatis, petalis luteis calyce brevioribus.
Ubique in limosis exsiccatis usque ad Båstad.

354. N. *silvestre* Br. siliquis linearibus patulis, petal. luteis.
Ad ripas locis campestribus a Christianstad per omnem Scaniam orientalem et meridionalem ad Landskrona. Saepe in agris limosis v. c. inter Lund et Höjebro.

355. N. *anceps* [Whlnb.! sub Sis.] siliquis oblongis ancipitibus, pet. luteis.
Inter praecedens et sequens, quae tres species eandem incolunt regionem; sed parcius v. c. ad Löddeström, Höjeå, Segeå, prope Löderup.

356. N. *amphibium* Br. siliquis subglobosis, petal. luteis.
Cum praecedentibus, magis in ipsa aqua et in regiones silvestres adscendens, ut ad Ringsjö.

357. N. *Armoracia* L. (sub Cochlear.) siliquis ovalibus, petalis albis.
Ad aquas regionum magis montosarum (?Smolandiae, Ostrogothiae), nobis manifeste adventitia sed sat frequens ad piscinas (Leche) vitiumque infestum agrorum limosorum v. c. ad Wemmerlöf, Walleberga anguli orientali-meridionalis. Ne levissima quidem generica nota a priori differre jam exposuerunt *Koch* et *Meyer* in

Fl. Altaic. Hic sub Armoracia ut genere distincto jungit utramque, sed characterem dedisse genus, nec, ut decet, versa vice, manifestum est.

Trib. II. SILICULOSAE. Silicula 1) *nucamentacea septo evanido* indehiscens unilocularis monosperma complanata samaraeformis = *Isatis* l. globosa = *Neslia* (semina sq.); 2.) dehiscens, bilocularis, *dissepimento* lato valvulis *parallelo*, a.) seminibus ovatis cotyledonibusque incumbentibus = *Camelina* b.) seminibus compressis, cotyledonibus accumbentibus = *Alyssineae* Dec., quae abeunt in plura genera e staminibus dentatis = *Alyssum*; edentulisve, silicula stipitata = *Lunaria*, sessili a dorso compressa = *Draba*, a latere compressa absque nervo dorsali = *Subularia*; turgida, nervo dorsali praesente = *Cochlearia*, aut nullo = *Nasturtia* n. 356, 357. 3) dehiscens, bilocularis, *dissepimento* angusto *transversali* a) seminibus ovatis, cotyledonibusque incumbentibus, siliculae loculis nunc monospermis, indehiscentibus didymis = *Coronopus* vel dehiscentibus = *Lepidium*: nunc 2-oo-spermis = *Capsella*; b) seminibus compressis cotyledonibusque accumbentibus, staminibus simplicibus = *Thlapsi* aut basi squamula appendiculatis = *Teesdalia*.

358. ISATIS *tinctoria*. L.
Ad Ahus *Retzius*; recentius tantum in insulis in Saxaviken lecta.

359. NESLIA *paniculata*. Desv. Myagrum. L.
In agris Scaniae campestris, praecipue meridionalis copiose.

360. CAMELINA *sativa* Cranz. siliculis pyriformibus.
Var. *silvestris*, hispida, foliis integerrimis, in campis arenosis et incultis; *glabrata*, foliis saepe dentatis, inter segetes. (Hanc solam, etiam inter Linum, nec umquam sequentem in Suecia media hactenus vidi.) Myagrum. L.

361. C. *dentata* P. siliculis inflato-globosis.
In agris, praecipue inter Linum, in Scania silvestri (sola in Smoland. occid. obvia.) Perperam e specc. siccis comparatis in Nov. Fl. Suec. cum priori jungebam; vivas et cultas comparatas omnino diversas inveni. *Mant. Nov.* 1. — Folia basi angustata, plurima sinuato-repanda.

362. ALYSSUM *calycinum* L. petalis emarginatis flavis,
In clivis arenosis ad Brösarp Scaniae orientalis.

363. A. *incanum* L. petalis bifidis albis.
In arenosis Scaniae occidentalis frequenter v. c. ad Skanör (It. Sc. 227), Malmö (l. c. 208) Skabersjö, Klågerup, Hollenby, Brågarp, prope Lund (Leche) versus Råby, W. Karaby ad Dysiebro etc., Saxtorp etc. usque ad Helsingborg.

364. LUNARIA *rediviva* L. siliculis lanceolatis.
In umbrosis succosis praecipue ad pedes montium v. c. Kullaberg, ad Svansjö, Ölvedskloster, Gudmundtorp, Orup, circa Krageholm v. c. insula Lybeck (Leche) e. s. p. etiam in Hörte skog usque descendens.

365. DRABA *muralis* L. petalis integris.
In regione ad Cimbritshamn prope Esperöd, Stenshufvud etc. copiose lecta ab *Areschoug*.

366. D. *verna* L. scapo nudo, petalis bifidis.
Omnes campos steriles incolit, jam Martio saepius florens; rarius autumno seriori, Novembri.

367. SUBULARIA *aquatica*. L.
In ripis glareosis Gothungiae passim. dein sequitur Helgå ad Christianstad usque (Ros. 67. I. Scan 597.) Cotyledones flexuosae!

368. COCHLEARIA *officinalis* L. foliis caulinis sessilibus.
In scopulis montis Kullaberg copiose, in ipso litore maris rarior v. c. ad Raus (söder om åen. *Forsand.*)

369. C. *danica* L. foliis petiolatis deltoideis.
Ubique ad litora maris; rarescens tamen in orientalibus.

370. CORONOPUS *depressa* Mönch. Cochlearia. L.
In ruderatis et campis incultis maritimis Scaniae occidentalis frequenter usque ad Ramsjö.

271. LEPIDIUM *latifolium* L. foliis lanceolatis glabris.
Ad litora Öresund, copiose ad Landskrona (Leche) ostium fluvii Lödde ström, prope L. Hammar alibique.

372. L. *campestre* Br. foliis basi sagittatis villosis.
Per omnes campos solo argillaceo. Linnaeo *Thlaspi* ob siliculam alatam.

373. L. *ruderale* L. foliis imis pinnatifidis.
Locis subhumidis ad pagos et vias frequens.

374. CAPSELLA *Bursa Pastoris* Vent. silicula obcordata.
Locis cultis et incultis ad pagos etc. ubique. Thlaspi L. De genere vero cfr. *Nov. Mant.* 1, ubi huc referendum demonstravi *Lep. procumbens* L., consentientibus Meyer in Fl. Alt. et Koch. Ab hoc unice seminibus paucis differt sq.

375. C. *petraea* Fr. silicula ovali tetrasperma.
In arenosis praeruptis ad mare prope Kåseberga. *Lepidium* Linn.

376. THLASPI *arvense* L.
Inter segetes nimium.

377. TEESDALIA *nudicaulis*. Br. Iberis L.
In glareosis, etiam montanis, ubique ad Hallandsås.

Trib. III. *Resedaceae*, Dodecandrae, petalis irregularibus multifidis — ad Cruciferas sese habent ut Argemone ad Fumariaceas, exponente Reichenbach.

378. RESEDA *Luteola* L!
Locis arenosis incultis, ad vias, ut ad Åhus, Gladsax copiose (Retz. oec. 589), Cimbritshamn (It. Scan. 137), circa Ystad multis locis (I. S. 205), Malmö, Lund, Landskrona (Leche), Helsingborg (I. S. 309) minime rara.

Fam. XXVI. PAPAVERACEAE. Juss.

Char. Sepala 2, decidua. Petala 4, (aut duplicatis seriebus 8, 12 in exoticis), cruciatim opposita. Stam. 4 l. pluriserialia l. indefinita, germinis basi inserta. Stylus 1 l. 0, stigmatibus 2 l. pluribus in disco radiantibus. Fructus e duobus pluribusve connatis siliquosus l. capsularis, placentis intervalvularibus, dissepimentis tenuissimis l. incompletis. Semina horizontalia, albumine carnoso, cotyledonibus liberis foliaceis. *Herbae foliis alternis exstipulatis, saepius dissectis.*

Conjunctim hoc loco saltim tractare debemus tribus infra distinctas, cum *Hypecoum* etc. differentias manifeste tollant. Cfr. *Bernh. diss. in Linn.* Tribus:

1. *Fumarieae.* Petala inaequalia. Stamina 4, uniserialia. *Succus herbae aquosus.*
2. *Papavereae.* Petala aequalia. Stamina pluriserialia 8—24 l. indefinita. *Succus lactescens, coloratus.*

Trib. I. FUMARIEAE. Typum regularem video in Hypecoo, Papaveraceis adscripto, petalis staminibusque 4 (antheris perfectis) liberis; in nostris corolla labiata, unicalcarata, stamina diadelpha', antheris lateralibus fissis, quare vulgo 6 numerantur stamina, 2 intermedia antheris bilocularibus, 4 lateralia antheris unilocular. — Siliqua nucamentacea, abortu monosperma = *Fumaria* l. dehiscens, bivalvis, polysperma = *Corydalis*. Linnaeo hujus species etiam *Fumariae*.

379. FUMARIA *officinalis* L., pedicellis rectis.
In agris et campis frequens. Var. *tenuifolia*, valde insignis, colore et foliis sequentis, sed floribus exiguis F. *parviflorae*, lecta ad Lund, Krageholm etc.
† F. *capreolata* L. pedicellis fructiferis arcuatis. Vitium hortorum et semel copiose in agro ad Lund.

380. CORYDALIS *bulbosa* Dec. racemo virgin. cernuo. Bracteis palmatis in Scania orientali usque ad Krageholm, ubi admodum copiosa.
* C. *fabacea* P. minor, bracteis integris.
In nemoribus occident. et montanis.

381. C. *cava* Whlb. racemo erecto, radice cava.
In silvis humosis usque ad Hallandiae et Blekingiae fines, ubique copiosissime. Saepe occurrit bracteis palmato-incisis!!, qualia omnia specc. in nemore umbrosissimo ad Hemingberga versus Gyaberg.

Trib. II. PAPAVEREAE. Capsula siliquosa, unilocularis = *Chelidonium* l. ventricosa, semimultilocularis, poris sub stigmatibus, in disco peltato junctis, apice dehiscens = *Papaver*.

382. CHELIDONIUM *majus* L. succo luteo.
Ubique in saepibus et ruderatis. Herba Lundae frequentissima; in cujus hortis occurrit petalis crenatis, quae *insign. var.* silvestris ad Klinta.

383. PAPAVER *Argemone* L. capsulis hispidis.
In maritimis, aggeribus, campis, inter segetes totius Scaniae campestris ab Årup ad Helsingborg.

384. P. *dubium* L. capsulis clavatis glabris.
Cum praecedente aeque vulgare et adhuc latius vagans. [P. *hybridum*, capsula subglobosa, ne ut adventitium quidem visum est in Scania.]

Fam. XXVII. NYMPHAEACEAE. Decand.

Char. Sepala 4, raro 5, 6, persistentia. Petala multiserialia, indefinita, haud unguiculata cum staminibus multiserialibus contigua et germinis basi inserta. Filamenta plana, antheris introrsis. Styli tot quot ovaria, plerisque libera, sed in nostris in discum umbilicatum radiantes (ut in Papavere). Ovaria plura, discreta, (in *Nelumboneis* et *Cabombeis* omnino libera, sed) in nostris pericarpio cum pulpa gelatinosa inclusa (hinc gemen 1, sed ovaria plura). Semina pendula. Albumen farinaceum. Cotyledones 2 foliaceae, sed primo sacculo proprio vaginatae. *Herbae aquaticae, rhizomate valido, foliis amplis floribusque longissime pedunculatis natantibus.*

Familia valde insignis, sed nobis nulli adsunt e typis eandem ad Schizocarpos tam manifeste ducentes, ut summi viri de limitibus harum et Ranunculacearum dubitent v. c. de *Podophylli* loco. Nostras sub prisco genere Linnaeano h. l. servamus.

385. NYMPHAEA *lutea* L. petalis (luteis) sepalis 5 breviorib. In aquosis frequens.

386. N. *alba* L. petalis (albis) sepala 4 superantibus. Praecedente fere vulgatior.

Fam. XXVIII. RANUNCULACEAE. Juss.

Char. Sepala et petala libera, numero varia, utraque saepe corollina et e situ tantum discernenda cum staminibus multiserialibus indefinitis receptaculi basi inserta. Styli tot, quot ovaria discreta, stigmatibus simplicibus. Fructus plures, capsulares, semper inter se discreti; rarissime, ut e situ obliquo facile patet, defectu unicus l. baccatus. Albumen corneum ad basin embryoneum minutum fovens. Cotyledones foliaceae, absque vagina. *Nostrae herbae acres, subvenenatae, foliis alternis petiolis basi dilatatis amplexicaulibus.*

Familia multiformis cum Nymphaeaceis (mediante Podophyllo et *Poeonia Moutan*, ovaria in urceolo fovente) fere contigua; Umbelliferis prioris classis respondens; Dicotyledonibus *Vaginatis*, sensu Linkii, adnumeranda. Tribus:

I. PAEONIEAE. Antherae introrsae (ut in Nymphaeac.) Fructus polyspermi (nostr. baccatus.)

II. RANUNCULEAE. Antherae extrorsae. Fructus monospermi indehiscentes.

III. HELLEBOREAE. Antherae extrorsae. Fructus polyspermi, sutura longitudinali dehiscentes.

Trib. I. PAEONIEAE. Nobis tantum infimum genus sepalis petalisque 4; infima species monocarpica, baccata.

387. ACTAEA *spicata* L. racemo ovato.
In umbrosis, ad radices montium.

Trib. II. RANUNCULEAE. Perianthium 1) subsimplex, corollinum, absque nectariis, fructibus costatis alatisve = *Thalictrum*; laevibus, piloso-caudatis = *Pulsatilla*, ecaudatisve = *Anemone*: 2) manifeste duplex, exterius herbaceum, interius basi fovea nectarifera: fructibus in receptaculo rotundato sessilibus = *Ranunculus*, l. e cornuto pendulis = *Myosurus* (stam. 5, 10.)

388. THALICTRUM *aquilegifolium* L. fructibus trialatis! panicula corymbosa.
Speciosum, foliolis stipulatis!, in succosis scaturiginosis ad pedes montium copiose, ut ad Söder-åsen a N. Wram ad S. Rörum multis locis; circa Romeleklint ad Krageholm, Simontorp (Leche), Heckeberga, Foglesång etc.; dein in Scania orientali fere ubique a Stenby ad Årup. (It. Scan. 101, 107.)

389. TH. *flavum* L. panicula verticillata floribusque erectis.
Ad ripas et in pratis humidis sterilibus per omnem Scaniam campestrem sed sparsim, v. c. ad Kullaberg, versus Foglesång, Snogeholm, Bäckaskog.

390. TH. *simplex* L. panicula racemosa erecta, florib. subcern.
Ad latera sterilia montium, copiose locis declivibus Hallandsås in par. Houf, ad Rosenhult, ceterum rarius v. c. ad Blentarp (Thal. n. 31. *Lech. Scan. p.* 25. (Sequenti perperam adscript.) *)

391. T. *minus* L. floribus sparsis racemosis cernuis.
In pratis subhumidis litoralibus inter Landskrona et Kullen tantum, v. c. ad Lundåkra, Glumslöf, Rå s. Raus.

---

*) Thal. Galioides Nestl., a cujus manu ultra viginti accepi specimina, quod juxta *Th. simplex tenuifolium* vix ab ullo autopa separandum cultum vidi, ab hoc maxime diversum adhuc censeo.

392. PULSATILLA *vernalis* Willd. flore erecto patente.
In ericetis ad Örkelljunga, raro. *Anemone* L. ut sqq. — Sepala tria exteriora, ut in Anemonibus, petalis similia.

393. P. *vulgaris* W. flore cernuo campanulato.
Ubique in campis et collibus exsuccis.

394. P. *pratensis* W. flore pendulo connivente, apice reflexo.
Per omnem Scaniam orientalem arenosam ubique copiose; dein occidentem versus tantum in convalli fluviorum Löddeström et Saxân forma minor flore dilutiori, intus livido-flavescente.

395. ANEMONE *Hepatica* L. petalis 6-9 elongatis (cyaneis).
Ubique in nemoribus et silvis. Involucrum pro calyce triphyllo facile sumunt tirones.

396. A. *nemorosa* L. petalis 6 ovalibus (albis.)
Ubique in pratis et pascuis sterilibus.

397. A. *Ranunculoides* L. petalis 5 rotundis (luteis.)
In nemoribus humidis ubique, ad intimos medios Smolandiae fines v. c. Ousby.

RANUNCULUS. Hujus generis triplex typus probe discernendus. *) *Ran. veri*, fructibus laevibus, floribus in nostris luteis, radice perenni; **) *Philonotes*, fructibus granulosis aculeatisve, flore luteo, radice annua; ***) *Batrachia*, fructibus transverse striatis, flore albo, ungue lutea — *aquatica*.

398. RANUNCULUS * *Ficaria* L. foliis cordato-angulatis.
Ubique silvarum decus et hortorum vitium.

399. R. *Lingua* L. erectus, foliis ensiformibus.
In aquis limosis frequens; etiam in montanis, v. c. ad Ask in summis jugis S. Åsen.

400. R. *Flammula* L. declinatus, foliis integris.
In aquosis ubique; folia, internodiis breviora, vulgo lanceolata, sed occurrunt etiam ovata, cordata — et in ripis glareosis lacuum v. c. Ringsjö. Ifö-sjö. foliis linearibus s. *R. reptans* L. (Reptans etiam occurrit typica forma.)

401. R. *auricomus* L. glaber, foliis caulin. sessilibus digitatis
In pratis et dumetis ubique. — Var. *fallax* Wimm. et Grabowsk. foliis cauliuis latis incisis ad Kullaberg. (Hic

est spurius s. occidentalis R. *cassubicus* Auct.; verus orientalis; circa Petropolin frequentissimus! et occidentem versus ultra Silesiam haud progrediens, in Uplandia Sueciae tantum a me visus est.)

402. R. *acris* L basi glabratus, pedunculis laevibus.
Ubique in pratis et pascuis; in sterilibus Hallandsås ad Båstad magnam vidi copiam constanter unifloram. (Hic a nostratibus pro R. *montano* passim sumtus, nil habet cum vero commune.) *Pedunculi trium sqq. sulcati.*

403 R. *polyanthemos* L. hirtus, erectus, foliolis linearibus.
In pratis raro v. c. inter Lund et Dahlby, Björstorp; frequens in angulo boreali-orientali, ut Årup, Widsköfle (I. S. 110) etc.

404. R. *bulbosus* L. hirsutus, patulus, bulbosus, calyce refracto.
Ubique in pratis et pascuis siccis.

405 R. *repens* L. sarmentosus, radicans, foliolis ternatis.
In cultis et agris; valde villosus in limo fagetorum; fere glaber ad aquas frigidas.

** *Philonotes*, seminib. granulatis aculeatisve.

406. R. *arvensis* L. fructibus compressis echinatis.
In agris Scaniae praecipue occidentalis a Trelleborg ad Landskrona frequens, praecipue vero in planitie Lundensi; in orientali raro ut ad Efveröd.

407. R. *Philonotis* Ehrh. fructibus compressis ad margin. granulatis.
Ad Trelleborg, raro; et forte ad Blekingiae fines.

408. R. *sceleratus* L. fructibus ovatis subtiliter granulatis.
In aquosis fimetosis et stagnis marinis ubique. Fructus minimi, non compressi aut marginati, sed ad sqq. typum potius corrugati.

*** *Batrachia*, aquatica.

409. R. *hederaceus* L. foliis omnibus obtuse 5-lobis.
In Scania occidentali ad Össjö. (*Retz. Obs.* 1. 19.) A me loco indicato, obiter tamen lustrato, non visus.

410. R. *aquatilis* L. foliis petiolatis divaricate capillaceo-multifidis (emersis, si adsint, 3-5-partitis.)
Ubique in aquis, foliis nunc omnibus capillaceis (et locis exsiccatis laete viridibus), nunc summis natantibus lobatis. Ob proteas hujus formas affines species ra-

riores vulgo praeterviduntur vel in praesente quaeruntur. Dubia sustulit accurat. *Koch*, qui differentias plene exposuit. *Caulis obtusangulus* et *fructus junior hispidus* ut *in sequente;* verus R. *fluitans* — caule tereti, foliis omnibus capillaceo-multifidis, corolla polypetala, fructibus glaberrimis — in Scania nondum certe observatus est. Inquirendus in Helgeâ l. mari orientali.

411. R. *circinatus* Sibth., foliis sessilibus omnibus capillaceo-multifidis circinato-planis. R. pumilus *Poir.* - *Fl. Hall.* In fluviis Scaniae occidentalis; v. c. in Löddeström ad Kjellinge, densis caespitibus priori intermixtus, sed e longinquo discernendus. In stagnis minor, pumilus.

412. MYOSURUS *minimus* L.
In agris, fluviorum ripis etc. ubique.

Trib. III. HELLEBOREAE. Perianthium 1) *regulare*, (totum corollinum) 5-phyllum absque nectariis = *Caltha*; (exterius 5-phyllum, petalis 10 tubulosis = *Helleborus*:) polyphyllum, interius (petala) in nectaria basi tubulosa, apice plana mutatum = *Trollius*; utrumque 5-phyllum, interius (petala) in nectaria cucullata postice calcarata mutatum = *Aquilegia* (styli subquini) 2) *irregulare*, (typice trigyna) *exterius 5-sepalum*, *sepalo superiori cucullato;* interius diphyllum in nectaria calcarata mutatum = *Aconitum*; l. *sepalo superiori calcarato*, interius 4-l. coalito-monopetalum, processu calcari immerso nectarifero = *Delphinium.*

413. CALTHA *palustris.* L.
Prata paludosa, vere, ubique illustrat.
† *Helleborus viridis* L. In hortis neglectis et coemiterio profanato Skartofta; olim indigenum fore suspicatur *Retzius* in V. A. II. 1769.

414. TROLLIUS *europaeus* L.
In pratis frondosis et montanis ubique.

415. AQUILEGIA *vulgaris* L.
Planta montana generis ceterum alpini (absque dubio aboriginea ut abundantissima in montibus et pinetis desertissimis Smolandiae supremae rupestris et Ostrogothiae adjacentis, vix Scaniae nisi forte) in Gothungia passim descendit usque ad Odersberga, sed per omnes campestres regiones tantum hinc inde adventitia. Flore atroviolaceo minori, staminibus exsertis, passim intercurrit.

416. ACONITUM *Napellus* L. capsulis divergentibus.
Copiose in dumetis paludosis infra Hasslemölla, ad latus boreale montis Romeleklint. [Quod in Hortis ubique colitur capsulis convergentibus, est A. *Cammarum* L. s. Stoerkeanum. Reich.]

417. DELPHINIUM *Consolida* L. unicapsulare.
In clivis, versuris, dumetis magis quam in agris, apud nos pervulgatum est.

Fam. XXIX. BALSAMINEAE. Rich.

Char. Sepala 2, decidua. Petala 4; 2 exteriora, quorum superius fornicatum emarginatum, inferius integrum calcaratum; 2 interiora aequalia subbifida. Stam. 5, filamentis apice conjunctis. Stylus nullus; stigmata 5. Fructus capsularis, elastice quinquevalvis, placenta centrali demum libera, seminibus pendulis. Albumen nullum. *Herbae succo aqueo, foliis simplicibus exstipulatis.*

Haec est descriptio ad plantam nostram irregularem, qualis primo obtutu *apparet*, facta. Acutiss. *Röper* typum ejusdem sagaciter exposuit sequenti ratione: «Sepala 5 (l. abortu 3). Petala 5, inaequalia, (petalis 4 interioribus plus minus connatis, summo libero symmetrico)». Reliqua ut supra. Hunc typum genus Hydroceratis Blum. sepalis petalisque 5 liberis extra dubium posuit. — Familia haec parva, in tropicis praecipue obvia, medium tenet locum inter *Basifloras* et *Columnifloras*; Gruinales praecipue et Caryophylleae fructus fabrica analogae sunt, sed partium insertio in Balsamineis magis praecedentium.

418. IMPATIENS *noli tangere* L.
Locis humidis succosis umbrosis ubique; etiam in litore marino ad Båstad.

Classis VI. COLUMNIFLORAE.

Char. Stamina inserta toro, haud disciformi, a calyce discreto. Perianthium utrumque perfectum; sepalis plus minus conjunctis, herbaceis, basi saltim persistentibus, petalis numero aequalibus alternantibus. Fructus liber.

Classis vere naturalis, licet in Flora nostra, exceptis Caryophylleis, ex omnibus sectionibus adsunt tantum genera e diversis sectionibus divulsa absque formis mediis connectentibus. Hinc tot fere propositae familiolae, quot nobis sunt genera. Hoc loco eadem ad certos typos reducere necesse fuit. — Ipsa classis est Thalamiflorarum ad Calycifloras transitus. Nunc torus inter calycem columnae instar prominet, nunc stamina in columnam conjunctae, quae, aptiori nunc haud praesente, rationem nominis dederunt.

Clavis familiarum hoc loco receptarum: Fructus 1) *ex ovariis pluribus coalitus* (placenta haud centrali solitaria), stigmate simplici = XXX. CISTINEAE; stigmatibus pluribus, placentis valvulis adnatis = XXXI. HYPERICINAE; seminibusve angulo loculorum centrali affixis, monostylae = XXXI. TILIACEAE; (polystylae = GRUINALES, vide infra); 2) *e pluribus, demum discretis, verticillatus* staminibus indefinitis, antheris unilocularibus = XXXIII. MALVACEAE; l. definitis antheris bilocularibus = XXXIV. GRUINALES; 3.) *simplex placenta centrali* = XXXV. CARYOPHYLLEAE.

Fam. XXX. CISTINEAE. Juss.

Char. Sepala 5, inaequalia, aestivatione imbricata subtorta. Petala 5, late unguiculata, per aestivationem normaliter contorta cum staminibus hypogyna s. a germinis basi libera. Stylus 1, stigmate simplici. Germen simplex, sed e tot ovariis (3 l. 5) connatum, quot placentae nerviformes lineares valvulis adnatae. Fructus capsularis, ab apice dehiscens, seminibus indefinitis, obliquis, albuminosis. *Herbae aut frutices, foliis petiolatis simplicibus substipulatis eglandulosis.*

Duo nostra genera: *Viola* flore irregulari, sepalis basi appendiculatis, petalo infimo in flore scilicet resupinato calcarato appendices stam. infim. includente, antheris 5 conglutinatis et, filamentis secedentibus, germen calyptrae instar tegentibus etc. — et *Helianthemum*, sepalis haud appendiculatis, 2 minoribus; corolla regulari ecalcarata; staminibus indefinitis liberis capsula incomplete triloculari — primo obtutu admodum diversa apparent, hinc *Violariae* vulgo separantur; sed formis intermediis luculenter connectuntur, *Alsodineae* a Violis non differunt nisi flore regulari; in *Lechea*,

a Florae Scanicae primate dicta, stamina definita, licet Cistineis adscripta. Hae in tropicis abeunt in *Bixineas*, Malvacearum habitu. *Viola*: *Cistus* : : *Fumaria*: *Chelidonium*. [In *Viola* stamina calyci fere inserta apparent, ut in aliis hujus classis, ob sepala toro adnata. Aestivatio Violae haec est: Petalum infimum (scilicet ut apparet in flore resupinato) ab uno margine ad alterum convolutum a proximis duobus lateralibus involutis amplectitur et duobus superioribus imbricatis obtegitur.

419. VIOLA *palustris* L. acaulis, glabra, foliis reniform.
In palustribus, praecipue pineto-montanis et jugium Hallandsâs, S. Åsen copiose. Apud nos non nisi folia serotina in formam late cordatam tendunt, quo diversa tam ab hujus var. *cordata* (floribus simul saturatioribus) quam vera V. *uliginosa* Schrad. sequenti proxima [quam indigitante primo inventore *Hartman* in insulis Dalelfven vidimus.]

420. V. *hirta* L. acaulis, villosa, foliis cordatis.
In nemoribus ubique. Ad Trolleberg alibique adest var. inter hanc et sequentem fere media floribus saturatius coloratis odoratis, quae V. *umbrosa Hopp.* (nec Fries) teste Koch in litt.

421. V. *odorata* L. stolonifera, foliis cordatis glabriuscul.
In dumetis ad radicem Kullaberg nec non in graminosis suburbanis ad Malmö, Lund, Helsingborg etc. frequenter. [Planta Ölandica in vivo ulterius observanda; fructifera haud parum diversa mihi videbatur.]

422. V. *mirabilis* L. caulescens, flore radicali corollato.
In dumetis frequens. Vulgo flos radicalis sterilis, caulini fertiles apetali; vidimus tamen et radicalem fertilem et caulinos inferiores corollatos. Plures ceterum species Violae variant floribus serotinis apetalis v. c. V. *palustris* et exinde varietates V. *caninae* haud fingendae.

423. V. *canina* L. cauliflora, stipulis ciliosis.
Species haec, latiori sensu ut in Novitiis Fl. Suec. sumta, eoque etiam V. *montanam* Fl. Suec. necesse includens, a plurimis et quidem gravissimis Auctoribus in plures species resolvitur, quod minime inpugnamus, licet ob formas medias difficiles hoc loco conjunctim tractemus. Sunt

* V. *arenaria* Dec. pumila, subvelutina, parviflora, stipulis ovatis, foliis reniformi-cordatis.
In arenosis Scaniae orientalis v. c. ad Åhus (et dein per omnem facile orientalem Sueciam, sed nullibi in occidentali, ubi analoga forma *rupestris* glabra in Hallandia.)

* V. *silvatica.* Lam. elatior, stipulis scariosis, foliis profunde cordatis supra hispidulis.
In pinetis et nemoribus campestribus ubique.

* V. *Riviniana* Reich. priori similis, sed flores duplo majores, calcare decolore emarginato, stipulae minus scariosae.
Hanc formam in Scaniae silvis obviam, supra Scaniam lectam haud novi. Aegre tamen a priori divellenda.

* V. *ericetorum* Schrad. glabra, foliis oblongo-cordatis.
Sub multis formis in collibus, versuris etc. v. c. extra portam orientalem ad Lund. Stipulae herbaceae et flores obscurius coeruleae.

424. V. *persicifolia* Schreb. cauliflora, stipulis dentatis.
Duplex forma; altera erecta, stipulis minoribus ad ripas fluvii ad Vegeholm, lacus ad Häckeberga (V. stagnina Kitaib. et Auct. pl. qui V. *persicifoliam* Schreb. et Roth. contra auctoritatem et naturam ad V. *elatiorem* Clus. ducunt); altera diffusa, humilior, stipulis majoribus in pratis depressis intra jugum arenosum prope Kåseberga et ad Öfvedskloster. [Haec minime confundenda cum in vivo diversissima V. *lactea* Smith, s. V. *pratensi* Koch.]

425. V· *tricolor* L. cauliflora, stipulis pinnatifidis.
Ubique fere. Praeter communem in cultis et arvis vulgatam formam exstant: *arvensis*, flore exiguo pallido in agris; *campestris*, subperennans, pilosula, flore unicolori coeruleo in campis arenosis nec a V. *rothomagensi* Bot. Gall. essentialiter differt; *lutea*, flore sat amplo luteo, in rupestribus.

426. HELIANTHEMUM *vulgare.* Gärtn. Cistus Helianth. L.
In collibus et campis siccis vulgare, foliis semper fere utrinque viridibus. Cfr. *Fl. Hall.* [H. obscurum P. hujus speciei varietas quidem est, sed verum nostro insignius.]

Fam. XXXI. HYPERICINAE. Juss.

Char. Sepala 5, aequalia, aestivantia imbricata, basi subcontigua. Petala totidem basi attenuata, per aestivationem contorta cum staminibus (haud monadelphis) vere hypogyna et ab his discreta. Stigmata *cum stylis* libera tot quot ovaria (3 l. 5) connata. *Fructus* (nostris) capsularis, raro unilocularis, saepissime e valvularum marginibus introflexis 3 l. 5-locularis. Placentae parietales, valvulis haud inflexis axi, eisdem magis involutis marginibus valvularum adnatae. Semina indefinita; embryo rectus, radicula hilum spectante. *Herbae, exoticae simul fruticosae, foliis simplicibus, exstipulatis, glandulosis, glandulis nunc stipitatis* (Drosera), *nunc immersis* puncta pellucida *referentibus.* (*Hypericum.*)

Genera apud nos obvia inter se insigniter differunt. In *Drosera* stamina 5, capsula unilocularis, semina arillata valvis adfixa, fere Cistinearum more. In *Parnassia* stamina perfecta 5, interioria sterilia pentadelpha, apice glandulosa (vulgo nectaria dicta), dissepimentorum margines utrinque revoluti seminiferi. In *Hyperico* stamina indefinita omnia perfecta, interiora triadelpha, capsula trilocularis, placentis ad marginem dissepimentorum centralem in columnam connatis, semina exarillata. *Drosera*, Decandolleo suae familiae typus, aliis genus Cistineum. *Parnassia* vulgo Droseraceis adscripta, *Hyperico* affiniorem statuit Don. *Hypericineae* tandem in tropicis in formas arborescentes abeunt.

427. DROSERA *rotundifolia* L. foliis orbiculatis.
In paludosis sphagnosis Scaniae praecipue silvestris.

428. D. *longifolia* L. tetragyna, foliis spathulato-lanceol.
Cum priori locis magis aquosis.

429. D. *intermedia* Hayn. trigyna, foliis obovatis.
Praecedente vulgatior, etiam in Skanörs ljung.

430. PARNASSIA *palustris* L.
In pratis humidis Scaniae praecipue silvestris, sed etiam campestris ut ad Dagstorp, Vidsköfle, Löderup etc.

431. HYPERICUM *tetrapterum* Fr. caule 4-alato.
In paludosis Scaniae orientalis copiose v. c ad Vejle sjö, Widsköfle, Segesholm, Benestad, Stenby; in australi frequens circa Ystad, Krageholm, Roslätt; rarius in

occidentali ad Reften, Glumslöfs tegelbruk, N. Wram. Sepala lanceolata.

432. H. *quadrangulum* L. caule quadrangulo.
In pratis siccis ubique. Sepala elliptica.

433. H. *perforatum* L. caule ancipiti erecto.
Cum priori vulgare.

434. H. *humifusum* L. caule ancipiti humifuso.
In tota Scania orientali arenosa locis humentibus a Cimbritshamn ad Träne et Gualöf plurimis locis abunde. Nuperius quoque copiose lectum inter Weberöd et Hasslemölla; ad Kabusa prope Ystad c. s. p.

435. H. *montanum* L. caule tereti glabro.
In montibus haud frequens v. c. in Kullaberg. in S. Åsen ad N. Wram et Åfvarp, Stenshufvud, Forsakar prope Degeberga, Ifö-Klack.

436. H. *hirsutum* L. caule tereti villoso.
In silvis Scaniae meridionalis v. c. Dahlby, Alnarp, circa Krageholm et Marsvinsholm etc. ubique copiose et orientalis usque ad Lillö, sed in plaga boreali-occidentali vix nisi in Åfvarps Linde ad pedes boreales jugi S. Åsen. Calyx in hoc et priori margine nigro-glanduloso.

Fam. XXXII. TILIACEAE. Juss.

Char. Calyx plus minus partitus, per aestivationem valvatus, deciduus cum pedunculo basi articulato contiguus. Petala libera, unguiculata, per aestivationem valvata, cum staminibus subliberis indefinitis hypogyna. Stylus 1, sed stigmata tot quot ovaria connata. Fructus multilocularis, in angulo loculorum centrali semina plura gerens. Albumen carnosum. *Arbores l. frutices, foliis simplicibus, stipulis liberis.*

Familia in tropicis vasta, sequenti, etiam cortice mucilaginoso, admodum affinis familiolisque intermediis cum eadem fere confluens, licet notis essentialibus, etiam antheris bilocularib., polline laevi differat. Unicum nobis genus:

437. TILIA *europaea* L. foliis glabris.
Ubique in silvaticis et montanis adest T. parvifolia Ehrh. — *Tilia vulgaris* Hayn. colitur ad vias, pagos et spontanea in silvis ad Baldringe etc., sed non specie

differt. [*T. grandifolia* Scop., foliis villosis, passim in ambulacris culta, species est vere diversa.]

Fam. XXXIII. MALVACEAE. Juss.

Char. Calyx 5-fidus, per aestivationem valvatus, persistens, saepe bracteis calyculatus, toro columnari. Petala 5. obcordato-cuneiformia, mediante staminum tubo ima basi cohaerentia, torum arcte amplectentia, vix adnata, aestivatione spiraliter contorta. Stamina hypogyna, indefinita, monadelpha, *antheris unilocularibus*! Pollinis granula hispida. Styli et stigmata plurima. Fructus plurimi, circa axin tori plerumque verticillati et stipati, maturi vero discreti, in angulo centrali semina solitaria l. plura enitentia. Albumen nullum. *Arbores l., ut nostrae, herbae mucilaginosae, foliis saepe palmato-lobatis, stipulis liberis.*

Familia in tropicis admodum luxurians, in frigidis rara. Nobis tantum duo genera: *Malva*, involucro triphyllo et *Althaea*, involucro 6-9-fido.

438. MALVA *rotundifolia* L. pedunculis aggregatis cum capsulis marginatis rugosis deflexis.
Solo pingui ad pagos et vias regionis campestris. Petala parva, albida.

439. M. *vulgaris* Trag. pedunculis aggregatis cum capsulis immarginatis laevibus deflexis.
Locis similibus, sed etiam solo macriori et in regione silvestri. Flores duplo majores, carnei.

440. M. *silvestris* L. pedunculis aggreg. arrectis.
Ad saepes, vias, margines agrorum totius regionis campestris usque ad Helsingborg copiose. Flores rubri. Varietas caule prostrato.

441. M. *Alcea* L. pedunc. solitariis, capsulis glabris.
In dumetis Scaniae frondosae, copiosissime in tota convalli fluvii Köpingensis a Ramsâsa ad Högestad, sed per totam fere provinciam dispersa v. c. ad Bäckaskog, Gualöf, Öfvedskloster (Leche), Harlösa, Foglesâng, Wiks Fiskeläge alibique. Flores speciosi rosei.

442. M. *moschata* L. pedunc. solitariis; capsulis villosis.
«Variis Scaniae locis» *Retzius*, at raro. Flore albo in

dumetis ad Björstorp legi; flore incarnato in convalli ad Högestad. Hae duae formae non parum differunt et ulterius comparandae. Utraque graveolens.

443. ALTHAEA *officinalis* L.

Inter Scanicas recepit *Retzius*, sed sine loco natali. In maritimis inter Yngsjö et Furuboda Pastor *Lantmansson* (similibus Daniae locis haud raro). Equidem tantum in regione campestri litorali ad saepes sporadicam rarius vidi, et frequentiorem in arvis extra S. Värn ad Malmö.

Fam. XXXIV. GRUINALES. L.

Char. Sepala 5, raro 4, persistentia, per aestivationem imbricata. Petala totidem, unguiculata discreta, sepalis alterna, aestivatione spiraliter contorto-convoluta, facile decidua. Stamina ima basi annulo conjuncta, leviter monadelpha, definita, alterna, sed saepius biserialia, interioria petalis opposita. Stigmata tot quot ovaria, stylis plus minus distinctis. Antherae biloculares. Fructus 5, circa centrum nunc distincti, nunc in capsulam connati, maturi vero secedentes. Semina solitaria aut definita, angulo centrali adfixa. Albumen nullum (except. Oxalid.) *Herbae*, exoticae simul fruticosae, *succo aquoso, foliis variae*; *perfectiores stipulatae.*

Typum familiae sistunt *Geranieae*, Malvaceis prope accedentes, recentius distinctas familiolas *Oxalideas* et *Lineas* hoc loco haud separavimus. Has, olim cum Caryophylleis confusas, ad Hypericinas referendas esse multis rationibus probavit Cel. Reichenbach. — Fructus 1) *discreti circa columnam centralem* (Geranieae) aristis spiralibus retrorsum barbatis = *Erodium*, cui stam. 10, sed 5 sterilia, vel aristis rectis revolutis nudis = *Geranium* (stam. 10, omnia fertilia), 2) *connati in capsulam* a) quinque-locularem, 5-valvem, valvis medio septiferis = *Oxalis* (stamin. 10.) b.) valvulis loculisque duplicatis (8, 10), pentamerum = *Linum*; tetramerum — *Radiola*. In ultimis duobus generibus proprie etiam ovaria 5, 4, singulum dispermum.

444. ERODIUM *cicutarium*. L' Herit. Geranium. L.

In arvis, campis arenosis etc. ubique. Umbella multiflora ab omnibus sequentibus differt.

GERANIUM. Duplex sectio, *) radice nodoso-tortuosa vere perenni n. 445—449; **) radice fusiformi, verticali, annua n. 451—457 l. tantum perennante n. 450. Pedunculi biflori, exc. 445.

445. * G. *sanguineum* L. pedunculis unifloris.
In dumetis siccis frequens. Caulis laxus ut in sq.

446. G. *palustre* L. pedunculis bifloris reclinatis.
In dumetis humidis ut in Kullen usque ad Ramlösa et praecipue copiose circa Söderåsen v. c. N. Wram (Osbeck), Risekastlösa, Hässlunda etc. usque ad Stehag; ceterum sparsim ut ad Reften; Röddinge, Benestad, prope Christianstad.

447. G. *phaeum* L. pedunculis oppositifoliis erectis.
Locis succosis ad radices montium, ad S. Åsen copiose prope N. Wram (Osbeck) et infra Romeleklint prope Krageholm magis adventitium. Caulis erectus ut in duobus sqq. Flores sub anthesi cernui.

448. G. *pratense* L. pedunc. axillaribus, pedicell. cernuis.
In pratis Scaniae. *Whlnb. Fl. Suec.* Vix nisi in hortis graminosis vidi, ut in Paradislyckan ad Lund, prope Björstorp parcius. Flores coerulei.

449. G. *silvaticum* L. pedunc. axillaribus arrectis.
In pratis silvaticis passim, floribus vulgo lilacino-rubellis; sed in var. omnino constanti, magis *fastigiata* hispida, integra sanguinea.

450. ** G. *pyrenaicum* L. calyce circulari apice glanduloso.
In ruderatis, ad vias circa Lund, Årup alibique rarius. Specimina pyrenaica ad unguem congruunt.

451. G. *molle* L. calyce circ. mutico, fructu glabro.
In campis incultis, praecipue maritimis, ubique.

452. G. *rotundifolium* L. Suec. calyce pr., fructu pubescente.
In ruderatis, ad vias ubique. Nomen ambiguum, forsan omittendum. Est plene G. *pusillum* L. mant. 2.

453. G. *viscidulum* Fr. calyce circul. aristato, petalis integris.
In cultis et aggeribus ad Lund et in regione adjacente sporadicum at saepe copioseque lectum. G. *rotundifolium.* Linn. Mant.

454. G. *dissectum* L. calyce circul. aristato petala emarginata aequante.

In saepibus et arvis a Dybeck ad Årup et Torekow frequens.

455. G. *columbinum* L. calyce 5-gono aristato laevi.
In arvis Scaniae meridionalis frequens, dein sporadicum ut in S. Åsen supra Åfvarp etc.

456. G. *lucidum* L. calyce pentagono corrugato.
In Scania orientali, ut in monte Trollarestuga par. Glimåkra (Leche), ad Oppmanna, in Iföklack, ad Stenshufvud, prope Rörum (territorii Albo).

457. G. *Robertianum* L. foetidum, calyce 10-angulari.
In rupestribus, umbrosis frequens; in paludosis prope Trelleborg lectum.

458. OXALIS *Acetosella* L. scapo unifloro.
In nemoribus silvaticis ubique.

459. O. *stricta*, pedunc. bifloris strictis.
In cultis (ut etiam in Suecia media), agris, dumetis omnino indigena facta, sub jove sine dubio per hiemem perdurans, ut ad Lund, Malmö, Vegeholm, Åkersholm etc. [Vitium taediosum insuper hortorum est O. *corniculata*, pedunculis bifloris demum refractis, caule declinato foliisque stipulatis diversa, sed hanc adhuc inter indigenas recipere nolui.]

460. LINUM *usitatissimum* L. foliis sparsis.
Linum humile *Milleri*, quod alii specie distinguunt, in omni agro inter Trelleborg et Dybeck copiosissimum, semina ante messem maturans et strepitu dispergens. Communis sativa forma in clivis, ubi Linum antecedente anno cariei gratia stratum fuit, v. c. inter Höj et Kjeflinge passim legitur, sed haec vere indigena non est.

461. L. *catharticum* L. foliis oppositis.
In pratis humidis. Gracile, albiflorum.

462. RADIOLA *Millegrana*. Sm. Lin. Rad. L.
Per omnem Scaniam ab Hagestad ad Smolandiae fines, a Skanör ad Båstad vulgare ad vias, in ripis et terra glareosa subhumida.

Fam. XXXV. CARYOPHYLLEAE. L.

Char. Calyx persistens, a toro discretus. Petala 5, raro 4, discreta, alterna, unguiculata. Stamina libera, de-

finita, exteriora petalis alterna, interiora ungüi petalorum inserta, raro o. Styli liberi, 2-5. Fructus capsularis, valvis dentibusve definitis dehiscens. Placenta centralis, libera, seminibus indefinitis. Albumen farinaceum. *Herbae, caulibus nodoso-articulatis; foliis oppositis, integris, basi petiolisve connatis.*

Familia vasta, eximie naturalis, abit in duas tribus:

I. SILENEAE. Torus elongatus. Sepala coalita in tubum 5-dentatum.

II. ALSINACEAE. Torus depressus, a quo articulo discreta sepala libera.

Trib. I. SILENEAE. Styli 1) quinque, calyce coriaceo-indurato lobato = *Agrostemma* l. membranaceo-herbaceo dentato = *Lychnis;* 2) tres, calyce reticulato basi saccato-laxo = *Cucubalus*, l. costato basi constricto, torum amplectente = *Silene*; 3) bini, calyce basi bracteis involucrato = *Dianthus* vel nudo cylindrico dentato = *Saponaria* campanulatove lobato = *Gypsophila.*

463. AGROSTEMMA *Githago* L.
In agris et versuris frequens.

464. LYCHNIS *viscaria* L. caule viscido, petalis integris.
Ubique in clivis et campis arenosis.

465. L. *Flos Cuculi* L. petalis quadrifido-laciniatis.
In pratis humidis frequens.

466. L. *silvestris* Rafn. petalis bifidis diurnis.
In nemoribus et ad montium pedes vulgaris. Haec et sequens *flore dioico* a ceteris differunt, quare sub L. *dioica* a Linn. junctae. Herba hujus laete virens, sparsim pilosa, folia latiora, capsula rotundata, dentibus recurvatis, Petala vulgo rubra, sed vidimus etiam omnino alba!

467. L. *pratensis* Rafn. petalis bifidis noctifloris.
In arvis pratisque campestribus flore albo ubique, rarissime incarnato ad Benestad. Herba canescenti-villosa, folia lanceolata, capsula conica dentibus erectis.

468. CUCUBALUS *Behen* L. caule adscendente.
In pratis Scaniae pineto-montanae, in Kullaberg copiose, sed in campestribus admodum rarescit. [Haec in Ölandia alibique mire varia species apud nos non mutatur.] Saepe dioica!

469. C. *maritimus* Smith., (Sil.) caulibus procurrentibus.
In scopulis ad Torekow raro; copiose in Hallandia finitima. Planta paucissimis cognita, vulgo in forma prioris *petraea* Ölandica et baltica, caule humili subunifloro, quaesita, quacum viva comparata nil commune habet. — Radix manifeste repens, caulibus procurrentibus laxis ramosissimis. Folia carnosa, glauca, subsecunda, admodum conferta, laevia. Pedunculi terminales 1-3, erecti, ebracteati. Capsula rotundata, unilocularis. Cfr. *Mert. et Kooh Deutschl. Fl. III.* [Greges quasdam naturales ab immenso Silenis genere separare necessitas urget; characteres haud magis momentosi alia genera hujus familiae separant.]

470. SILENE *nutans* L. panicula secunda nutante.
Sola inter nostras perennis in clivis siccis et arenosis Scaniae omnis; in Gothungia et circa Efverlöf copiosissime. Var. *glabrata* in Ifö klack, ad Ö. Torp.

† S. *viscosa* Pers. pedunculis verticillatis erectis.
In Europa prima vice lecta fuit ad (Kulla —) Gunnarstorp Scaniae. Linn. Suec. p. 148. sub Cucubalo. Ibi prorsus evanuit, sed in Dania et Blekingia nunc legitur.

471. S. *noctiflora* L. pedunculis axillaribus solitariis.
In arvis Scaniae campestris a Landskrona ad Blekingiae fines, copiose ad Fjälige, Malmö, Hvellinge, Trelleborg, Ystad, Benestad, Widsköfle, Christianstad, Årup, Ifö innumerisque aliis locis. (Calyx basi constrictus.)

472. S. *anglica* L. pedunculis alari-racemosis, solitariis.
In arvis ad Malmö circa Högste backar etc. copiose. Var. S. *quinquevulnera* L., in cultis.

473. S. *Armeria* L. glabra, corymbosa.
Non tantum in cultis passim; sed in agris etiam ad Bunkeflo etc. copiose lecta.

474. DIANTHUS *prolifer* L. floribus capitato-involucratis.
In clivis praeruptis arenosis ad Kåseberga copiose.

475. D. *Armeria* L. floribus fasciculato-fastigiatis.
In aggeribus et dumetis hinc inde, copiosissime in convalli ad Stenby; ceterum ad Helsingborg, Foglesång *Leche*, Malmö, Hvellinge, Gillesg., Aby etc.

476. D. *superbus* L. floribus paniculatis.
Locis innumeris Scaniae campestris; in tota planitie

circa Landskrona usque ad Wrams - Gunnarstorp prope S. Åsen, Norrviddinge, Löddeköping — in planitie Lundensi interiori v. c. Reften, Skarhult — in planitie australi ab Ö. Torp ad Gillesgrufvan, Hagestad mälare; dein circa Christianstad in Näset, Ö. Ljungby, Härlöf, Åby e. s. p. Var. *pumila*, subsimplex albiflora — ad Gislöf, Skårebo in litore marino. Haec caute admodum a sequente distinguenda; est *Dianth. plumarius* Vahl.! e Finmarkia.

477. D. *arenarius* L. caule unifloro, petalis fimbriatis. Hujus rarissimae plantae optima patria est Scania nostra, a qua in litora finitima parcius migravit. Omnes tegit campos arenosos Scaniae orientalis; inde nocte fragrantes, a Cimbritshamn ad Fjelkinge et Kjugebacke; ceterum tantum, ut *Anemone pratensis* socia, in convalli fluviorum Löddeström et Saxån.

478. D. *deltoides* L. floribus solitariis, petalis crenatis. In pratis macris Scaniae totius et praecipue in pineto-montanis; *albiflora* (a vero Dianth. glauco diversa) inter Annelöf et Tågarp Ros. Scan. 62, ad Ö. Torp, Valjö etc.

479. SAPONARIA *officinalis* L. In saepibus et aggeribus, in tota regione circa Ö Torp omnium vulgatissima planta, segetis instar gregaria, ceterum per totam Scan. campestrem frequenter dispersa.

480. GYPSOPHILA *fastigiata* L. floribus fastigiatis (albis). Nobis var. major (G. arenaria Kit.) in litore arenoso lacus ad Snogeholm.

481. G. *muralis* L. floribus axillaribus solitariis (rubellis) In Scania exteriori haud frequens v. c. in par. W. Karup ad Måsinge; ad Rosenlund; inter Lund et Kjeflinge olim (*Retz*. V. A. H.); ad Cimbritshamn, Årup Balsebergetc.

Trib. II. ALSINACEAE. Capsulae valvulae aut dentes stylis 1) *duplae*, a) petalis bifidis, capsula 5-valvi, valvis apice bifidis = *Malachium* (styli 5); vel sexvalvi, valvis integris = *Stellaria* (styli 3, raro plures); vel integra, apice 6-10-dentata = *Cerastium* (styli 3-5): b) petalis dentatis = *Holosteum* (styli 3, raro 4, 5): c) *petalis integris* = *Arenaria* (styli 3): 2) *numero aequales* a) glandulis nectariferis cum staminibus alternantibus = *Halianthus* aut b) nul-

lis, trigynae = *Alsine*, pentagynae *Spergula*, tetragynae tetrandrae = *Sagina* [Ultima tria genera pure artificialia sunt, quare plures recentiorum e praesentia (Lepigonum) l. defectu stipularum distinguunt et stipulatas ad Portulacaceas, ordinem analogum sequentis classis, referunt; sed insertio staminum eadem ac Alsinacearum et sepala basi articulata a toro discreta a Calycifloris removent.

482. MALACHIUM *aquaticum*. Fr. Cerastium. L.
In aquosis Scaniae totius; ad Lund extra portam occidentalem etc. Var. *saxatilis*, minor, caule tetragono, diffuso, inter saxa canalium ad Öfvedskloster.

483. STELLARIA *nemorum* L. foliis cordatis.
In umbrosis nemorosis silvarum ubique ad Hallandsås et Ryssbergen usque. Caulis ex apice stolonifer in Scania.

484. S. *media* With. foliis ovatis, caule linea pilosa.
In cultis, umbrosis silvarum, ad saepes et litus marinum glabrata. *Alsine media*. L.
Stell. neglecta, major, decandra, locis limosis ad rivulos fagetorum.

485. S. *Holostea* L. foliis lineari-lanceolatis, panicula foliata.
In dumetis ubique vulgaris flore specioso.

486. S. *palustris* Retz. panicula terminali bracteata erecta.
In pratis humidis copiose, admodum rigida, petalis calyce duplo longioribus. Nomen *antiquius* servandum; duplex enim forma; altera laete viridis (*Stell. Dilleniana* Mönch), altera glauca. (*St. glauca* With.)

487. S. *graminea* L. panicula termin. bracteata divaricata.
In silvaticis ubique frequenter. Styli saepe 4.

488. S. *longifolia* Fr. panicula axillari bracteata, sepalis enervib.
In sterilibus rupestribus, fere alpestribus, jugi S. Åsen, v. c. ad Skäralid. *Ahnfelt*. — Stell. Friesiana. *Decand.*

489. S. *uliginosa* Murr. pedunculis alaribus aggregat. multifloris.
Ad fontes, rivulos ubique.

490. S. *crassifolia* Ehrh. pedunc. alaribus solitariis unifloris.
In udis submarinis, praecipue ad Öresund ubique; etiam

in palustribus v. c. circa Trelleborg, et ad lacuum litora graminosa v. c. ad Vejlesjö.

491. CERASTIUM *arvense* L. radicans, bracteis ciliatis.
In clivis et aggeribus Scaniae australis frequenter, a Malmö ad Ystad fere ubique, etiam in ipso litore marino ad Trelleborg, Böste. Ceterum magis dispersum Foglesång, Simontorp (Leche) etc. Perenne, radice repente.

492. C. *vulgatum* L. stoloniferum, bracteis scarioso-margin.
In clivis, pascuis, ad vias ubique, interdum glabrescens ut ad Kjeflinge, Gedenryd, non ita vero ut ad var. nostram *Holosteoides* possit referri. Sed alia insignis var. *pygmaea*, quam pro C. *pumilo* ex Anglia accepi, abunde nascitur in campis sterilissimis exsuccis ad Lackalänge, et fere ubique locis similibus. Ineunte Aprili floret; simplex, haud pollicaris, glabra, 1-3 flora, petalis calycem longe superantibus. Hoc et sequens persistentia sunt.

493. C. *viscosum* L. stoloniferum, bracteis foliaceis.
Serotina haec species, apud nos vix ante Julii mensem (nisi per hiemem persistens) floret in pascuis humidis; frequentissimum est in arvis post messem Octobri et Novembri.

494. C. *strigosum* Fr. fugax, canostrigosum, bracteis foliaceis, pedicellis fructiferis arcuatis.
In Scaniae orientalis convallibus, ad Cimbritshamn, Stenby etc. copiose, ceterum ad Foglesång alibique. Petala, ut in ceteris, longitudine variant.

495. C. *glutinosum* Fr. fugax, bracteis foliaceis, pedicellis seminiferis patentibus.
In clivis arenosis passim. C *pumilum* Curt. idem esse, ut jam ex icone in Nov. finxi, testantur Mertens et Koch, sed ex Anglia sub isto nomine veniunt C. *vulgatum* pygmaeum et C. *strigosum*. Ceterum magnitudine variant omnes species.

496. C. *semidecandrum* L. fugax, bracteis scarioso-marginatis, pedicellis seminiferis refractis
Ubique in campis et clivis arenosis. Si C. *tetrandrum* distincta species, Scanicum non verum.

497. HOLOSTEUM *umbellatum* L.

In campis et clivis arenosis Scaniae orientalis ubique fere copiose usque ad Kåseberga; dein in convalli fluvii Löddeström ad Kjeflinge, Lackalänge, Höj, Stäfvie etc. frequenter, ceterumque ad Malmö in Körsbärsbackarne etc. Arvense apud nos numquam vidi.

498. ARENARIA *serpyllifolia* L. capsulis erectis.
In campis et agris arenosis ubique.

499. A. *trinervia* L. capsulis cernuis, foliis imis petiolat.
In nemoribus silvaticis passim.

500. HALIANTHUS *Peploides*. Fr. Arenaria. L.
In arenosis litoris marini totius passim. [*Adenaria* Rafin. nomen, a Decandolleo receptum, nostro recentius est ceterumque *Adenariae* Dec. prorsus consonorum. *Honkenyam* dicunt Reichenbach et Frenzl, sed *Honkenyam* Willd. Decand. Spreng. longe aliam esse constat.]

501. ALSINE *viscosa* Schreb. foliis setaceis exstipulatis.
In clivis et campis arenosis Scaniae orientalis a Cimbritshamn ad Ifötofta frequenter.

502. A. *rubra*. Whlnb. foliis stipulatis, mucronatis.
In campis glareosis, ad vias, passim.

503. A. *marina* With. foliis stipulatis muticis
In litore marino, passim; ad Öresund optima.

504. SPERGULA *arvensis* L. foliis stipulatis subtus sulcatis.
In arvis, campis sterilibus etc. copiose. In rupestribus sterilibus occurrit forma *pentandra*, gracilior, cum sq. non comparanda. Inter *Linum* var. Spergula maxima Weih.

505. S. *pentandra* L. foliis stipulatis cylindricis curtis.
In arenosis Scaniae tantum orientalis usque ad Ryssbergen. Cfr *Lindbl. Stirp. Rottn.* ubi de hac et affinibus egreg. observ.

506. S. *nodosa* L. exstipulata, pedunculis erectis.
In Scania campestri et litorali frequenter. Variat pubescens.

507. S. *subulata* Sw. exstipulata, pedunculis seminiferis cernuis.
In jugis montanis sterilibus, Hallandsås usque in Torekow-ö (Retz. Phys. S. Handl. 314.), Kullaberg usque ad Kulla-Gunnarstorp etc. Sub anthesi et seminibus

evacuatis pedunculi arrecti, ut in Cerastiis, Holosteo ceterisque seminiferis cernuis. Saginae spec. ex Frenz.

508. SAGINA *ciliata* Fr. diffusa, sepalis cuspidatis.
In campis et arvis quiescentibus Scaniae australis v. c. ad Gessige, Hvellinge, Snårestad, Sandhammar copiose. Cfr. *Mert. et Koch III. p.*

509. S. *procumbens* L. ramis procumbentibus, capsula cernua.
In pascuis humidis, ad vias ubique. — Var. *maritima* Fr. Nov. ad sequentem accedit, sed adest caulis centralis sterilis.

510. S. *stricta* Fr., stricta, capsula arrecta.
In litore marino turfoso aut rupestri a Båstad usque ad Årup frequenter. Sepala semper obtusissima.

Obs. ELATINE, *Caryophylleis* vulgo adscriptum genus, ad sequ. classem pertinet. Recentiores ad *Onagreas* (potius Halorageas cfr. *Elatine*. *Alsinastrum* et Hippurin) ducunt, sed styli plures etc. Portulacacearum.

SERIES III. *Calyciflorae.*

Perianthium plerumque duplex; exterius semper praesens, herbaceum, persistens, e sepalis coalitis monophyllum; interius, nisi deficeret, discretum exteriori insertum. Torus calyci adnatus. Stamina e toro oriunda, corollae simul rarius adnata, sed ejus lobis vix respondentia, ut in *Corollifloris*. *Petala semper articulato-discreta, facile decidua.*

In *Corollifloris* utrumque perianthium essentiale, interius staminiferum; in *Thalamifloris* perianthium corollinum cum staminibus ab utroque discretis; in *Calycifloris* vero calyx ut staminifer. In *Thalamifloris* utraque series hinc passim corollina apparet; in *Calycifloris* vero etiam interior, v. c. in Rumice etc., calycina. Corolla in hac serie sensim obliteratur, nam ex hac ad vere Apetalas transitus evidentissimus; in infimis saepe ut glandulae, stamina sterilia e. s. p. tantum apparet vel omnino deficit — in aliis insuper petala

coalita h. e. utpote a seriei idea peregrina minus constans est quam calyx.

Classes e toro epi-perigyno (*Fauciflorae*), amphigyno (*Toriflorae*) centrali l. hypogyno (*Centriflorae*).

Classis VII. FAUCIFLORAE.

Char. Stamina libera, inserta fauci calycis, toro perigyno h. e. e fundo calycis laminae instar tenuis expanso vel calycem cum ovariis in germen inferum conglutinante (tum epigyno) vel supra insertionem germinis extenso limitato. Petala unguiculata. Stipulae nullae! tantum in Rhamneis quibusdam adsunt deciduae! *Quo magis calyx expanditur eo magis liberatur germen, eo profundius stamina inserta ut fere hypogyna appareant — idque in singulo ordine et intra genus Saxifragae.*

Classis eximie naturalis, jam stipulis nullis l. saltim non adnatis persistentibus a Torifloris diversa, plurimas complectitur plantas succulentas — in tropicis ditissima, sed nobis pauper. Analogia hinc cum Disciloris illinc cum Bracteifloris probe attendenda. Fructus 1) *syncarpus, placentis in columnam centralem junctis, stigmate unico* = XXXVI. CALYCANTHEMAE 2) *syncarpus, placentis discretis, stigmatibus pluribus*, staminibus oppositis = XXXVII. RHAMNEAE, alternisve = XXXVIII. RIBESIAE; 3) *schizocarpus*, corniculatus, placenta ad suturam = XXXIX SUCCULENTAE; 4) monocarpicus, placenta centrali, stylis pluribus = XL. PORTULACACEAE, quibus et ob formas manifeste intermedias et e charactere subjungendae essent CHENOPODIEAE, sed ut constanter apetalas loco his respondente inter Apetalas, more consueto, recepi. Qui ad hanc organicam gradationem et parallelismum classium analogarum non attendit, dispositionis nostrae rationes numquam rite percipit. Probe etiam tenendum omnes classes, in summo evolutionis gradu distinctissimas, in infimo puncto confluere, ut etiam animalia et plantae. Hinc tanta analogia inter Portulacaceas, Paronychieas, Caryophylleas, Chenopodieas, Plantagineas etc. Quae vera natura ratio omnem dispositionem uniserialem et adaptatam tollit, constructam vero vindicat; ab infimis, nec perfecte evolutis, progredientes omnino turbat.

Fam. XXXVI. CALYCANTHEMAE. L.

Char. Calyx tubulosus, limbo (nostris saltim) paripartito (2, 4, 6, 8, 12), per aestivationem valvato. Petala semper libera, calycis fauci inserta, ejusque lobis alterna et numero aequalia. Stamina cum l. infra petalis inserta; definita, eundem numerum servantia, sed saepe duplicata l. triplicata. Fructus ex ovariis definitis arcte connatus, plerumque capsularis, placentis in columnam centralem junctis. Semina indefinita, albumine nullo, embryone recto. *Frutices l. (nostrae) herbae. Folia typice opposita, sed saepe sparsa, simplicia exstipulata. Flores in racemo, saepe foliato (hinc alares).*

Familia vasta, sed prior tribus potissimum Americana, altera tropica, hinc nobis pauca genera. Conjungimus nempe hoc loco familias Jussieuanas, ut tribus:

I. ONAGRARIAE. Germen inferum, 2-4-loculare. Aestivatio petalor. complicata.

II. LYTHRARIAE. Germen superum, septicidum. Aestivastio petal. contorta.

Trib. I. ONAGRARIAE. Calycis tubus 1) ultra germen productus, stamina petalis dupla s. 8; a) seminibus nudis = *Oenothera*, papposisve = *Epilobium*; b) germen haud superans, stamina petalaque 2 = *Circaea*.

511. OENOTHERA *biennis*. L.
Planta Americana (sed per maximam Europae partem et apud nos) inter Landskrona et Helsingborg multis arenosis locis sedes perennes fixit. Ceterum aliis locis magis sporadica.

512. EPILOBIUM *angustifolium* L. floribus irregularib. racemosis.
In Scania silvestri copiose, sed etiam in campestris nemoribus (Foglesång) et agris (It. S. 70) passim. *In seqq. omnibus flores regulares, alares.* Hujus stigma 4-fidum, ut in n. 513, 514 et passim in 518; reliquis integerrimum.

513. E. *hirsutum* L. caulibus caespitosis teretibus strictis.
Ad amnes et rivulos. Ab occidente incipit circiter ad Landskrona, dein copiose ad Löddeköping, Annelöf, Kjeflinge, Foglesång, Roslätt innumerisque locis usque

ad Ö. Wemenhög. Orientem versus a Krageholm per convallem fluvii Köpingensis, Vidskölle, Åsum, Christianstad etc. ad Årup usque. Radix multiplex repens, multicaulis, quo ab omnibus differt. Flores speciosi. — *Glabrum* etiam ex Lech. Scan. p. 7. n. 27.

514. E. *pubescens* Roth. caule tereti basi declinata radicante. In paludibus Scaniae totius, vulgo pubescens et parviflorum, sed ad aquas frigidas glabrum v. c. Hallandsås; locis limosis flores majores: E. *rivulare* Whlb. ad Stehag.

515. E. *palustre* L. caule tereti fibroso-radicato, foliis linear. In palustribus ubique; inter Fucos ad litus marinum ramosissimum, fere pyramidatum.

516. E. *montanum* L. caule prior., foliis ovatis dentatis. In montosis, silvis, nemoribus ubique. Var. *acinifolia* Reichnb. (E. *collinum* Gmel.) ad Forsakar. [E. *hypericifolium* Smolandicum simillimum, foliis integerrimis recedit.]

517. E. *roseum* Schreb. caule ancipiti, foliis petiolatis. A Båstad (ubi in litore marino) ad Blekingiae fines, locis squalidis, haud raro. Subrubens, floribus virgineis cernuis; sqq. erecti.

418. E. *virgatum* Fr. caule anguloso, foliis sessilibus. In silvis caeduis passim, in Gothungiam usque. Caulis basi stolones filiformes emittit; sequens radice gaudet vero sobolifera, foliis turionum lingulatis, inter alias primaria differentia. Stigma, typice 4-fidum, vulgo arcte conglutinatum; coelo sereno et sicco tantum expanditur.

519. E. *tetragonum* L. caule tetragono, foliis decurrentibus. Raro locis subhumidis; prope Lund (yttra N. vallgatan vid vägen åt Ö. Thorn) Weberöd, Efverlöf, Rörum in terr. Albo etc. Glabrum, nitidum; stigma semper capitatum.

520. CIRCAEA *lutetiana* L. erecta, pubescens, ebracteata. Locis succosis ad pedes montium et in fagetis umbrosis fere ubique, vix vero ad Hallandsås, nec supra Christianstad.

521. C. *intermedia* Ehrh. geniculata, bracteata, petiolis teretibus.

In aquosis ad rivulos frigidiores, ut Hallandsås, S. Åsen, Pålsköp ad Helsingborg multisque aliis locis.

522. C. *alpina* L. geniculata, bracteata, petiol. alatis.
Copiose in Gothungia supra priorum limitem v. c. Hofdala, Åby, Blekmåsa etc., sed etiam in Scania inferiori ad Stehag, Jularöd, Baldringe, Raflunda, Forsakar, Årup etc.

Trib. II. LYTHRARIAE. Dodecandrum = *Lythrum*; hexandrum = *Peplis*.

523. LYTHRUM *Salicaria*. L.
Ad ripas frequens.

524. PEPLIS *Portula*. L.
Locis limosis ubique frequenter.

Sequuntur *Myrtaceae* multaeque eisdem affines familiae exoticae, fruticosae.

Fam. XXXVII. RHAMNEAE. Brown.

Char. Calyx subtubulosus (germini adnatus l. liber) lobis 4, 5 per aestivationem valvatis. Petala libera, saepius minima, et stamina *opposita* lobis calycinis numero aequalia et fauci calycis inserta, semper uniserialia. Styli tot quot ovaria connata, plus minus conjuncti. Fructus loculosus, capsularis l. nostris bacca drupacea. Semina in loculis solitaria, erecta. Albumen carnosum. *Frutices, foliis simplicibus, stipulis o. l. deciduis.*

Analogia cum Celastrineis manifesta, hinc locis correspondentibus collocatae. Utraque familia a Syngynis ad Monogynas abit. Rhamneae plurimae in regionibus calidioribus.

525. RHAMNUS *Frangula* L. inermis, foliis integerrimis.
In dumetis paludosis passim. Flores pentameri, hermaphroditi, stigmatibus junctis, hinc genere separatur: *Frangula* Mönch.

526. R. *catharticus* L. spinosus, foliis serratis.
In dumetis siccis. Flores tetrameri, polygami, stigmatibus distinctis.

Fam. XXXVIII. RIBESIAE.

Char. Calyx urceolatus, limbo 5-fido, per aestivationem imbricato. Petala 5, libera, exigua et stami-

na totidem *alterna* calycis fauci inserta. Styli duo, plus minus juncti, stigmatibus discretis. Fructus unilocularis, baccatus aut potius pepo, placentis 2 parietalibus. Semina numerosa, pulpae immersa, funiculo suspensa. Albumen corneum. *Frutices foliis alternis lobatis exstipulatis.*

Ribes est solum genus huic familiae vulgo adscriptum, sed monente Reichenbach *Escalloniae* aliaeque e familiolis exoticis inter has et Saxifrageas mediae olim addendae et character dilatandus. *Cacteae* habitu praecipue differunt.

527. RIBES *Uva crispa* L. aculeatum, pedunc. 1-2-floris. Ad vias, saepes frequens; vere indigenum in Ifö, Kjuge backe, Bäckaskog, Valjö, Snogeholm etc. R. *Grossularia* in territorio Ingelstad etc. *Sequentia inermia.*

528. R. *nigrum* L. racemo laxo, foliis subtus glandulosis. Ad rivulos silvaticos v. c. Simontorp (Leche) Hasslemölla, Vidsköfle, Blacke ad Lillö (It. S. 80), Färlöf etc. Styli, ut in priori, subliberi.

529. R. *rubrum* L. racemo laxo, foliis subtus pubescentibus. Eisdem omnibus locis (Leche et Linn. l. c.), sed frequentius, v. c. Pålsköpsbäck, Snogeholms-sjö, Krageholms-sjö, Valjö, Wankilva etc.

530. R. *alpinum* L. racemo erecto, foliis subtus lucidis. In dumetis Scaniae australis frequenter v. c. N. Wallåkra, Belteberga, Skabersjö, ad omnia latera jugi Romeleklint, etiam ad Foglesång, Ryd; in orientali parte a Benestad ad Årup et Valjö, ubique.

Cucurbitaceae h. l. inserendae, si perianth. duplex assumere velis.

Fam. XXXIX. SUCCULENTAE. L.

Char. Calyx multipartitus, lobis aestivatione imbricatis. Petala eisdem numero aequalia (in quibusdam exoticis in corollam monopetalam connata) basi attenuata, per aestivationem imbricata. Stamina biserialia, exteriora praecociora tori margini, interiora seriora petalis inserta. Styli distincti, stigmatibus simplicibus. Fructus: capsulae definitae, folliculares, corniculatae, sutura interna seminifera dehiscentes, uniloculares, polyspermae, vulgo liberae, sed paucis calyce adhaerente

spurie connatae (utrumque in Saxifragis). Albumen carnosum, embryone recto. *Herbae, foliis carnosis succulentis exstipulatis.*

Ordo vastus, exoticis *Philadelpheis* et *Ficoideis* ad praecedentes accedens; in Flora nostra vero pauper.

I. SAXIFRAGEAE DC. Digynae, capsulis 2 plerumque calyce adnato cohaerentibus.

II. SEDEAE DC. Capsulis pluribus, omnino liberis.

Trib. I. SAXIFRAGEAE. Decandrae, flore pentamero = *Saxifraga*; Octandrae, flore tetramero apetalo = *Chrysosplenium.* In hoc septum capsularum inferne deficit.

531. SAXIFRAGA *granulata* L. radice granulata.
In pratis tam humidis, quam siccis, frequens.

532. S. *Tridactylites* L. radice fibrosa annua.
In arenosis siccis Scaniae orientalis ubique ab Årup et Bäckaskog ad Cimbritshamn, (Ros. 61, 85; It. S. 77), dein per meridionalem passim usque ad Limhamn; rarior in occidentali prope Trolleberg, juxta Löddeström, ad Ottarp etc.

533. S. *Hirculus* L. radice stolonifera, foliis lanceol.
In paludibus profundissimis 1) Scaniae medio-australis inter Skabersjö et L. Roslätt (Ros. 29), ad Hyby etc. 2) Scaniae orientalis inter Ölseröd et Yngsjö (Retz. obs. 1. 13.) Ugerup, Vidsköfle.

534. CHRYSOSPLENIUM *alternifolium* L.
In succosis scaturiginosis ubique. Exeunte Martio flores vulgo explicat.

Trib. II. SEDEAE. Dodecandrum, hexagynum l. ultra = *Sempervivum*; Decandrum, pentagynum = *Sedum*, tetrandrum (alterna scil. interiora sterilia squamulaeformia), capsulis 4 polyspermis, medio haud constrictis = *Bulliarda.*

535. SEMPERVIVUM *tectorum* L.
Planta montana, suspertitione olim introducta et in tectis plantata, quotannis rarescens; non amplius ad Lund, ut Lechei tempore; sat frequens vero in Scania orientali, ut ad Röddinge, Hjelmaröd par. Hvitaby, Ahus etc.

536. SEDUM *Telephium* L. foliis latis planis.
In acervis lapidum, praec. in silvaticis.

* S. *purpureum* Fl. Hall. corymbo folioso.
In muris et coemiteriis Scaniae campestris v. c. ad Lund, supra sepulchra forsan olim plantata. Videtur species distincta.

537. S. *rupestre* L. foliis subulatis quinquefariis.
In monte Stenshufvud (Linn. Fl. Scan. 129), ubi frequens. *S. annuum* vero, a Lecheo indicatum, desideratur.

538. S. *sexangulare* L. foliis gibbis sexfariam imbricatis.
In collibus siccis haud frequens. Legi ad Söfdeborg et in Kjugebacke. Alii indicaverunt Kullen etc. — Seda in genere solo Scanico parum convenire videntur.

539. S. *acre* L. sarmentosum, foliis ovatis gibbis sparsis.
In saepibus lapideis locisque siccis passim.

540. S. *annuum* L. erectum, basi simplex, foliis sparsis.
In montibus Scaniae boreali-orientalis ut ad Näsum, in Höklack etc. rarius. Primus hujus plantae inventor est Leche, sed loco Scanico ab ipso indicato vix occurrit.

541. BULLIARDA *aquatica* Fr. Tillaea L.
In Scania superiori, admodum frequens circa Hallandsås, ut ad Ramsjö, Torekow, Rosenhult et in Kullen ad Farhult, Rögla etc. locis limosis exsiccatis — dein ad litus boreali-orientale ad Årup, Ljungby. [Bulliarda differt a *primaria* Tillaea non tantum partium numero, sicut reliqua genera Crassulacea, sed etiam capsula medio haud constricta nec definite disperma.]

Fam. XL. PORTULACACEAE. Juss.

Char. Calyx 2-partitus, rarius 3-5-partitus, nunc adhaerens, nunc ut nostris liber. Petala 5, interdum connata, per aestivationem imbricata. Stamina numero mire varia, definita. Stigmata plura, libera, stylo brevi aut nullo. Capsula circumscissa (in *Portulaca*) l. (nostris) valvata, valvis tot, quot stigmatibus. Placenta centralis, 1 l. polysperma, seminibus majoribus scabris, saepe figuratis, albumine subfarinaceo, embryone curvato. *Succulentae, foliis simplicibus integerrimis exstipulatis.*

Familia Succulentis proxima, Alsinaceis et Paronychieis eximie analoga. *Elatinem*, illis adscriptam, ob sepala coalita, tor[illegible] contiguum, situm staminum reliquasque no-

tas huc retuli. Singularis est seminibus curvatis, sed haec in Portulaca jam reniformia. Terras calidiores inhabitant, nobis tantum duo genera recedentia aquatica; alterum calyce 2-3-partito, petalis coalitis, seminibus subrotundo-compressis = *Montia* (stam. et stigm. 3); alterum calyce 3-4-partito, petalis liberis, seminibus curvatis (ut in *Utricularia* aliisque sub aqua germinantibus exalbuminosis) = *Elatine* (stigmata 3, 4; stam. 3—8.)

542. MONTIA *fontana* L.
Major in fontibus et rivulis, *minor* in uliginosis, utraque frequens. Saepe 3-sepala, pentandra.

543. ELATINE *Hydropiper* L. foliis oppositis.
Ad ripas inundatas, ut ad Helgeå, Löddeström ad Höj alibique. [Ulterius explorandum, an plures sub hac lateant species. Vidi porro fragmenta plantae, 1826 in regione Krageholmensi lectae, quae ad E. *Alsinastrum* L., foliis verticillatis, pertinere possent.]
SCLERANTHUS, inter Portulacaceas, Chenopodieas et Paronychieas medius, inter has receptus est.
HALORAGEAE genuinae tam e charactere, quam ex affinitate ad hanc classem manifeste pertinent. Nostras vero recepi sub *Nudifloras*, quas conferas.

Classis VII. TORIFLORAE.

Char. Stamina basi conjuncta et inserta annulo tori amphigyni incrassato, nunc fundo calycis adnato, nunc supra faucem prominente. Corolla, calyci adnata, typo quinario, papilionacea aut rosacea, raro deficiens. Stipulae oppositae, subadnatae.

Classis naturalissima, suae seriei centrum; quare his *Calycifloraram* nomen, vulgo ad totam seriem, immo Semifloras et Discifloras simul, extensum praecipue adscribendum mallem. Familiae facillime dignoscuntur fructu; 1) *legumine* = XLI. LEGUMINOSAE; 2) *drupa* = XLII. DRUPACEAE; 3) *pomo* = XLII b. POMACEAE; 4) *schizocarpo* = XLIII. *Senticosae*; 5) *capsulari*, placenta centrali = XLIV. PARONYCHIEAE. [Ob torum magis manifestum, etiam ovariis calyci inclusis (tum in priori classe obliteratur) ut *Rosis*, *Po-*

maceis etc. annuli instar prominentem hanc Torifloras prae ceteris diximus.]

Fam. XLI. LEGUMINOSAE. Juss.

Char. Calyx liber, 5-fidus. Petala 5 (abortu rarius pauciora aut nulla), interdum coalita, unguiculata. Stamina petalis dupla, immo tripla et quadrupla in exoticis, enata e disco *amphigyno!* calycis fundo adnato, saepeque in filamentorum tubo prolongato. Stylus e superiori sutura ortus filiformis stigmaque simplicissima. Fructus: Legumen uniloculare l. articulationibus transverse multiloculare. Placentae duae, nerviformes, seminibus magnis seriatis, saepius indefinitis, horizontalibus. Albumen nullum. *Arbores, frutices l. herbae, foliis alternis, bistipulatis, typice compositis, sed interdum petiolus foliaceus, limbo vero abortivo* (phyllodia Decand.) *Flores subracemosi.*

In multis exoticis corolla regularis, petala omnia staminaque libera, embryonis radicula etiam recta. — Omnes nostrae sunt e *Papilionacearum* L. subordine, corolla papilionacea, cujus duo infima petala, unguibus licet discretis, in unum naviculare (carinam) coalita; embryo curvatus. Stamina 10, nunc libera (qualia vero etiam nobis desunt), nunc monadelpha, nunc diadelpha, 9 nempe coalita, decimo libero. Tribus nostratium:

I. GENISTEAE. Stamina monadelpha. Legumen continuum uniloculare. *Folia simplicia aut raro trifoliata l. pinnata, terminali maximo. Cotyledones foliaceae.* (544-550.)

II. TRIFOLIEAE. Stamina diadelpha. Legumen priorum. *Folia 3-(rariss.) 5-foliata. Cotyledones foliaceae.* (551—571.)

III. ASTRAGALEAE. Stamina diadelpha. Legumen sutura altera introflexa longitudinaliter biloculare. *Folia pinnata. Cotyledones foliaceae.* (572, 573.)

IV. VICIEAE. Stamina diadelpha. Legumen uniloculare polyspermum. Cotyledones carnosae! *Folia paripinnata plerumque cirrhosa.* (574-593.)

Trib. I. GENISTEAE. Legumen 1) *complanatum*, stigmate terminali = *Spartium l.* obliquo laterali introrso = *Genista*; 2) *turgidum*, calyce a) bi-partito bi-bracteolato = *Ulex*; (frutex aphyllus) b) tubuloso, 5-dentato, legumine

sessili = *Ononis* (suffrutices 1—3-foliati) stipitatove intra calycem vesicarium = *Anthyllis* (folia pinnata.)

544. SPARTIUM *scoparium* L.

In campis arenosis, praecipue in territorio Villands frequenter, ut ad Ifötofta, Gualöf (Leche), Århup etc. copiose; dein occidentem versus ad Skillinge (l. S. 352), Höja (Leche) Wikshögs Fiskeläge etc. Ceterum sporadicum, licet copiosum, olim forsan satum, ut ad Söfdeborg (Leche, Linn. I. S. 272) Thorup etc.

545. GENISTA *pilosa* L. ramis depressis nodosis.

In ericetis Scaniae mediae ad Spångbro, Ljungbyhed innumerisque locis in tota regione adjacente copiosissime nec minus frequenter in Gothungia ad Hörja, Finja etc. (Retz. V. A. H.)

† G. *tinctoria*, ramis erectis striatis.

In territorio Albo. *Lech. V. A. H.*, ut puto in plantationibus; similibus enim locis, v. c. ad Århup, legi, sed crescendi modus indigenam non esse testatur.

546. ULEX *europaeus*. L.

In campis arenosis incultis ad Thorup sat copiose, nunc omnino indigena factus, licet e traditione ad arenam volatilem coërcendam olim sit satus. Ringius, Areschoug.

547. ONONIS *spinosa* L. vexillo mucronato.

Per omnem Scaniam campestrem usque ad Blekingiae fines et Båstad copiose. Rami annotini semper spinosi, sed vetusta magis fruticosa inermis etiam legitur. Haec apud nos potissimum *procurrens* est, caulibus adscendentibus vel in arenosis omnino repentibus v. c. ad Efverlöf, ubi simul glabra, parvifolia, ut facile haberes pro O. *antiquorum* L.

* *dumetorum*, elatior, erecta, ramosa, inermis, foliis subrotundo-ellipticis utrinque glanduloso-pilosis, floribus raris sparsis minoribus.

In dumetis passim v. c. ad Foglesång. Pro praecedentis forma annosa habeo. Caules valde lignosi.

548. O. *repens* L. prostata, vexillo mutico.

In campis sterilibus, pratis passim. Junior semper inermis et *saepissime* pro sequente sumitur; vetustior inferne spinescit. Ex hac sumta observatio Loeseliana de On. primo anno miti, dein spinosa.

549. O. *arvensis* Retz. erecta, vexillo emarginato.
In pratis subhumentibus frequens.

550. ANTHYLLIS *Vulneraria* L.
In campis sterilibus ubique.

Trib. II. TRIFOLIEAE. Legumen 1) utriculare, seminibus definitis, nunc calyce inclusum = *Trifolium*, corolla emarcida persistente, floribus capitatis; nunc exsertum = *Melilotus*, corolla decidua, floribus racemosis: 2) falcatum aut cochleato-contortum = *Medicago*: 3) rectum, dehiscens polyspermum = *Lotus*.

TRIFOLIUM. Genus plures sectiones continet naturales, nobis h. l. sufficiunt * *floribus rubris* (551—554), ** *floribus albis aut albo incarnatis* (555—559) *** *floribus scariosis luteis* (560—562.) Lutea et n. 554, 555 annua sunt, reliqua perennia.

551. T. *pratense* L. adscendens, bracteatum, monopetalum.
In pratis et nemoribus ubique.

552. T. *medium* L. flexuosum, ebracteatum, monopet.
In pratis siccis praecipue Scaniae silvestris, sed etiam in campestribus ut ad Lund, St. Bjellerup.

553. T. *alpestre* L. strictum, monopet., capitulis geminis.
Rarissimum et parce florens; ad Roslätt (Agardh), ad Harlösa! in dumetis apricis. Etiam in Kullaberg. Dente calycis infima longissima, stipulis aristatis insigne.

554. T. *striatum* L. diffusum, dipetalum, calyce ovato nervoso.
In arvis, versuris, clivis apricis innumeris sane locis per omnem Scaniam campestrem, pervulgatum ab Helsingborg ad Blekingiam (per quam haud rarum usque ad Calmariensem provinciam et Ölandiam v. c. ad Ramsätra.)

555. T. *arvense* L. erectum, spicis oblongis calyce subaequali villosissimo.
In clivis arenosis frequens. Herba undique pilis longis albis tecta. Calyx 10-nervis.

556. T. *montanum* L. erectum, spicis globosis calyce aequali piloso.
In dumetis et pratis siccis passim. Dentes calycini longitudine aequales hoc et prius ab omnibus distinguunt;

in 551—554 superiores breviores, in 557—562 inferiores.

557. T. *hybridum* L. adscendens, calyce tubuloso glabro.
Per omnem Scaniam campestri-argillaceam passim, hinc in orientali parte rarescit.

558. T. *repens* L. radicans, calyce tubuloso glabro.
In pascuis et arvis ubique.

559. T. *fragiferum* L. repens, calyce inflato sericeo.
Ad litora maris et aquarum dulcium, etiam in agris argillaceis (Retz. Phys. Sällsk. Handl.) frequens, copiosissime circa Trelleborg.

560. T. *agrarium* L. foliolis sessilibus, spicis oblongis.
In pratis rarius v. c. ad Brunby in Kullen, Hardeberga, Gillesgruf, Stenby etc. *Foliola aequalia*; in sq. intermedium petiolatum.

561. T. *campestre* Schreb. foliolo medio petiolato, spicis subglobosis.
In campis, dumetis passim; copiose in Kullen, Glumslöf.
* T. *procumbens* L. Schreb. apud Sturm. caule decumbente.
In agris plagae orientalis raro. Insigniter a priori differt caule flexuoso fracto, herba viridi, capitulis et floribus minoribus; sed bis terve tantum lectum. Prius vulgo T. *procumbens* dicitur, sed huic nomen multo melius convenit.

562. T. *filiforme* L. foliolis subpetiolatis, spicis laxis.
In Scania campestri frequentissime. Manifeste abit locis aridis in T. *minus* Smith. caule pumilo pedunculisque firmioribus, capitulis multifloris, defloratis obscurioribus nec expallentibus. *Cfr.* Fl. Hall.

563. MELILOTUS *dentata* Kitaib. seminibus oblique cordatis turgidis, stipulis setaceo-dentatis.
In pascuis salsis ad Öresund raro, ut ad Borreby, prope Landskrona (*Düben Landskron.*) Flores sequentis triplo minores; folia rigescentia, argute denticulata.

564. M. *officinalis* Willd. seminibus oblongo-gibbosis compressis.
Ad saepes et ripas locis humidis Scaniae campestris totius frequens. Caulis erectus. Petala aequalia.

565. M. *arvensis* Wallr. leguminibus sessilibus, seminibus oblongis aequalibus.

Locis siccis in arvis, juxta vias, rarior. Radicula ut in sq.; non prominet ut in prioribus, hinc semina aequalia. Caulis diffusus, basi ramosissimus. Folia dentata. Carina alis brevior. [Jam in Novit. 1. 1814 hujus plantae mentionem feci.]

566. M. *vulgaris* Willd. leg. pedicellatis, seminibus ovatis solitariis.
In pratis humidis silvaticis ad W. Wram. *Flores albi* Multum ex habitu differt a forma ruderali in Succia media obvia.

567. M. *falcata* L. leguminibus falcatis.
In aggeribus, campis siccis, copiose.

M. *sativa* L., vix ulla certa nota diversa, nam flores per omnes modificationes versicolores (M. *media* P.) a violaceo in luteum abeunt, nunc temporis prorsus evanuit ad Tågarp prope Trelleborg, ubi olim lecta (*Retz. Supl.* 2.) Colitur in pratis quidem ad Malmö, commixta cum *Onobrychi sativa*, *Poterio Sanguisorba* etc., quas omnes e Fl. Scanica excludendas esse e proveniendi modo facile patet.

568. M. *lupulina* L. leguminibus remiformi-cochleatis.
In pratis et clivis ubique.

569. M. *minima*. Willd. leguminibus spiralibus hamulosis.
In clivis praeruptis maritimis ad Kåseberga copiose.

570. LOTUS *corniculatus* L. legum. cylindricis.
In pascuis et ericetis ubique. Var. *crassifolia* in salsis maritimis et *sericea* in arenosis plagae orientalis.
* L. *uliginosus* Schkuhr. caule erecto fistuloso.
In pratis udis (L. cornic. palustris *Ennes in Vet. Ac. Handl.* 1807), ad ripas Scaniae campestris frequens. (Linn. I. Scan. 153, Ros. Scan. 39.)
* L. *tenuifolius* Poll. gracilis, foliolis lanceolatis.
In pratis humidis a Landskrona ad Skanör copiosissime, sed non alibi. Hunc et praecedentem nec in natura nec cultura in vulgarem abire certum quidem est, sed notae ad easdem specie distinguendas leves videntur. Ad Sandby uterque eodem solo mixtus occurrit cum vulgari, sed sine omni transitu. Qui distingueret igitur, non erraret. L. *tenuifolius* magis differt quam L. *uliginosus*.

571. L. *siliquosus* L. leg. siliquosis quadrialatis.
Ad rivulos in clivis calcareis ad Benestad. *Lotum maritimum* L. foliis magis carnosis, jam omnes fere pro laevi hujus forma boreali-maritima rite habent. Haec copiosa in insula Hven.

Trib. III. ASTRAGALEAE. Nobis unicum genus, foliis impari-pinnatis, leguminis dissepimento dimidiato e sutura inferiori elevata.

572. ASTRAGALUS *glyciphyllus* L. glaber.
In dumetis frequenter; a Dybeck (Leche) ad Gothungiam et W. Karup

573. AST. *arenarius*, L. alboseriecus.
Statio primaria in arena volatili ad Vidsköfle, ubi copiosissimus, indeque ad Raflunda alibique in adjacentibus dispersus.

Trib. IV. VICIEAE. Stylus *semiteres*, latere plano introrso pubescente = *Orobus* (cirrhus tantum mucroniformis); complanatus anceps = *Lathyrus*; introrsum carinatus = *Pisum*; sub stigmate incrassatus, corolla longe exserta = *Vicia*, aut vix exserta = *Ervum*. Genera habitu bene diversa, licet levibus characteribus, styli pubescentia parum fida.

574. OROBUS *niger* L. fuscescens, caule ancipiti ramoso.
In latere australi totius Romeleklint frequenter, ad Foglesång (Leche), Röddinge, Stenby, Kjörndala alibique Scaniae praecipue orientalis.

575. O. *vernus* L. laete virens, caule tetragono.
Eadem loca eandemque regionem cum priori incolit.

576. O. *tuberosus* L. glaucescens, caule bi-alato.
Ubique in nemoribus et pratis sterilibus.

577. LATHYRUS *pratensis* L. caule tetragono, floribus ebracteatis flavis.
Ubique in pratis; extat var. foliis linearibus; insignior lanuginosa in Kullaberg. Folia acuta.

578. L. *tuberosus* L. caule tetragono, flor. bracteatis.
In agris et aggeribus; copiose ad Björstorp locisque adjacentibus; inter Glemminge et Hamenhög, ad Christianstad. Folia obtusa. Flores purpurei, ut sq.

579. L. *sylvestris* L. caule bialato, calyce labiato.
Var. *angustifolia*, foliolis binis ensiformibus acuminatis in dumetis apricis regionis campestris. Var. *heterophylla*

(L. heterophyll. L.) foliis summis bijugis, foliolis elongatis obtusis, in pratis regionis silvaticae, v. c. *Gothungiae;* var. *latifolia* (L. latifolius L. Suec. nec quem ex Europa australi accepi differt) foliolis 2, 3, 4 ovalibus ovatisque in nemoribus regionis maritimae et frondoso-nemorosae v. c. ad Ramâsa. Hae omnes in natura facillime confluunt.

580. L. *palustris* L. caule bialato, dente calycis infima longiori setacea.
In dumetis paludosis passim v. c. ad Christianstad (Retz. Obs. 1. 23), Träne, Tâgarp in territorio Skytts, versus Reften, W. Karaby plurimisque aliis locis, at non ubiqne. Folia raro bijuga, vulgo 3-4-juga. Flores, ut sequentis, violaceo-coerulei, subinde albi.

581. L. *maritimus*, caule triquetro. Pisum. L.
In litore Scaniae australis passim; copiosissime ad Ystad orientem versus, Abekâs. In insula Hven. (Retz. Oec. p. 520.) Folia multijuga. Prioris aperte congener. Cfr. quoque Reich. Fl. Excurs.

582. PISUM *arvense* L. pedunculis unifloris.
Per eas regiones, in quibus agri primo vere fruge annua quotannis conseruntur, vulgatum et infestum vitium, ut in Gothungia occidentali indeque ad Sötofta, Ludviksborg etc. supra Ringsjön et secus Hallandâs ad Grefvie, Forslöf etc. copiose, eximie agros ornans, ut *Vicia villosa* Upsalienses. [Sed nullibi tanta occurrit frequentia ac per Smolandiam occidentalem, ubi in omni agro ubique luxuriat, unde in intimas plagas silvaticas Hallandiae et Westrogothiae dispergitur. Certissimum est indicium regionis silvaticae et agrorum numquam quiescentium. Per regiones campestres agrosque quiescentes, qui *Piso sativo* conseruntur, certe nusquam hujus specimen a me visum est. Ad intimum nexum inter plantas hospitas agrorum agrorumque colendi methodos, quibus singulis sua agrorum vitia, parum nimis attenditur. Frequentissimi Pisi arvensis socii sunt *Artemisia vulgaris, Vicia angustifolia seget., Avena strigosa, Raphanus Raphanistrum,* numquam vero in eadem regione adsunt *Avena fatua, Sinapis arvensis, Centaurea* etc. Sed haec hactenus. Species paucis

nota, copia sua speciosa. Corolla venosa, semper vexillo pallide roseo-violaceo, alis vexillo brevioribus purpureis carinaque albida duplo longioribus. Legumen cylindricum, coriaceum, seminibus paucis cinereo-fuscis marmoratis. Speciem diversam habeo a *Piso sativo*, quod evidentissime tantum casu, ratione ab hac planta toto coelo diversa, ut alia cerealia inter regionis campestris cerealia dispersum occurrit; exstat vero *Pisi arvensis* varietas *sativa* pedunculis bifloris ad illud accedens.

VICIA. Duplex hujus generis sectio notabilis. A) *Craccae*, pedunculis elongatis racemosis, stylo undique piloseilo (583—588) l. glabrescente (n. 589) et B.) *Viciae* pr. s. d. floribus alaribus paucis subsessilibus, stigmate extrorsum piloso (n. 590 — 592.)

583. V. *dumetorum* L. laxa, scandens, stipulis laciniatis.
In dumetis raro. Locis Lecheanis ad Krageholm et Öfvedskloster evanuit. In Paradislyckan ad Lund forsan olim introducta. Sed in Scania orientali multis locis adhuc obvia ut ad Kaddsjö (Retz. Obs. c.), in Baldringe Skogen copiosissime, in Stenbyhäller, Gundralöf etc.

584. V. *silvatica* L. scandens, stipulis lunatis dentatis.
In silvaticis frequens.

585. V. *tenuifolia* Roth. rigida, fracto-flexuosa, stipulis bifidis integerrimis, leguminibus ensiformibus.
In dumetis, collibus apricis, occidentem versus parcius ut ad Tågarp, territ. Rönneberga; inter Höj et Kjeflinge, circa St. Hammar, Falsterbo; per australem passim, copiosissime in omnibus collibus ad Gyllerup et orientalis fere ubique usque ad Uddarp et Bäckaskog. Ad sequentem se habet, etiam loco natali, ut *Trif. flexuosum* ad T. pratense; et *Vicia polyphylla* Desf. ad V. *tenuifoliam* eadem ratione, ut V. villosa ad V. Craccam accedit. *Stipulae ut trium seqq. semisagittatae integerrimae.*

586. V. *Cracca* L. laxa, legumin. convexo-linearibus.
In dumetis, juniperetis, versuris etc. frequens. Praecedentem minime, sequentem omnino ab hac originem ducere censeo. Exstat varietas *leptophylla* in pascuis macris.

587. V. *villosa* Roth, laxa, legum. rhombeis planis.
In agris, alternis annis quiescentibus, hinc vix in Scania occidentali nisi ad Widarp lecta, sed in orientali ab Ystad ad Christianstad inter Secale multis locis copiosissima; speciosa admodum ad Borrestad, Degeberga in agris arenosis.

588. V. *cassubica* L. rigida, legum. planis 1—2 spermis.
Circa omnia latera jugorum a Romeleklint exeuntium, praecipue australia, sed etiam ad Hasslemölla, Silfåkra, Wasaholm (Ros. Scan. 38, 85), Foglesång, Häckeberga, Skabersjö etc.; dein per plagas interiores steriliores ab Höör supra Ringsjön per Gothungiam in Smolandiam mediam (optimam hujus patriam) frequenter; orientem versus quoque in Ifö, ad Årup, Stenbyhällar, scilicet ubique ubi solum sterile rupestre.

589. V. *sepium* L. pedunculis subtrifloris brevissim.
In dumetis frequens. Flores violacei.

590. V. *angustifolia* Roth. leguminibus subbinis sessilibus e sericeo glabriusculis, seminibus globosis laevibus.
In clivis graminosis, campis incultis, dumetis regionis campestris, nec in agris, minime rara ut ad Hörup, Foglesång etc. Praeter alias notas maxime differt a V. *sativa*, quod hujus semina autumno sata semper vere germinant, numquam vero V. *sativae*, quae clima nostrum non fert, nisi vere sata. *Vicia Bobartii* Forst. Linn. Transact. XVI. in arenosis intercurrit.
* V. *segetalis* Thuill. major, foliis truncatis mucronatis. Inter segetes annuas regionis silvaticae cum *Piso arvensi* passim. A V. *sativa*, seminibus compressis etc., quae ubique in agris seritur *campestribus*, nullibi vero ita efferata et persistens ut in Flora Scanica recipienda sit, omnibus prioris notis recedit. Videtur haec sola esse V. *angustifolia* Florist. nostr.

591. V. *Lathyroides* L., sericea, stipulis integris, legumine solitario glabro, seminibus granulatis
In campis sterilibus arenosis Scaniae orientalis (v. c. Christianstad, Cimbrishamn, Ystad) frequenter, etiam in parte australi et occidentali passim, ut ad Malmö, Kjellinge, Dagstorp etc. et in Scania media ad Snoge-

holm: paucis, innumeris locis, sed attentis oculis a formis V. *angustifoliae* separanda.

592. ERVUM *tetraspermum* L. leguminibus glabris.
In agris passim. Var. *tenuifolia*, quae potius forma primaria, in Kullaberg.

593. E. *hirsutum* L. leguminibus hirsutis dispermis.
In agris, campis passim, in litore maris ad Ö. Torp.

Exoticae Leguminosae, flore rosaceo icosandro, ad Papilionaceas accedunt fere ut Helianthemum ad Violam. — Papilionaceae legumine articulato s. Lomentaceae apud nos desiderantur; inquirendus praecipue *Ornithopus pusillus* in Selandia copiosus et ad Skepparkroken lectus, sed cum saburra navium introductus, quales plantas brevi evanescentes nulla mentione dignas censeo.

Fam. XLII. a. DRUPACEAE. L.

Char. Calyx 5-fidus, liber. lobis per aestivationem imbricatis. Petala 5, calycis lobis alterna, per aestiv. contorta cum staminibus indefinitis (circiter quadruplicatis) margine tori distantis inserta. Stylus stigmaque simplicissima; ille in nostris terminalis (in tropicis *Chrysobalaneis* e basi germinis ortus). Fructus drupaceus, unilocularis; putamine osseo, primitus biovulato, sed in nostris adulto monospermo. Funiculus lateraliter putamini adnatus, semine ab apice pendulo (sed in Chrysobalaneis erecto). *Arbores* l. *frutices, foliis simplicibus, stipulis liberis.*

Nobis unicum genus. Haec et sqq. 2 familiae sub ROSACEARUM ordine vulgo junguntur, sed fructu, quem in familiis limitandis praecipue respicimus, evidentius differunt, quam plurimae aliae ejusdem classis familiae.

594. PRUNUS *Padus* L. racemis pedunculatis.
In nemoribus humidis frequens.
† P. *Cerasus* L. umbellis pedunculatis.
Multis licet locis quasi spontanea occurrat (L. It. Scan. 83) et ad vias v. c. a Lund versus Höjebro plantetur, ut spontaneam recipere dubitavi cum *in Scania* copiosum et fixum locum ignorem. Hoc primarium mihi videtur; utrum ceterum planta introducta sit an aboriginea, quod vix umquam absolute statuendum, minus curo.

595. P. *Avium* L. umbellis sessilibus.
In silvis, regioni campestri finitimis, solo rupestri; copiosa ad latera jugorum a Romeleklint occidentem versus porrectorum ut ad Häckeberga (Linn. Suec. 165), Torup, Skabersjö, Gillesgrufvan, Grönby etc.; ceterum ad Belteberga et Hörup. *Radice palari*, numquam repente a prioris formis eximie repentibus et stoloniferis certissime dignoscitur.

596. P. *domestica* L. pedunculis geminis, fructu elliptico.
In nemoribus ad Lillö, Blacka (I. Scan. 80) etc. forma communis hortensis, subarborescens. Alia fera forma fruticosa, ramis torulosis, nodosis in dumetis campestribus v, c. in Helgonbacken copiose, huc quoque referenda est, donec fructus lectus fuerit. Videtur ad *Prunum insititiam*, e mente Kochii (fructu rotundo praecoci; nam autumno seriori fructus semper frustra quaesivi) pertinere.

597. P. *insititia* L.? Retz! pedunc. prior., fructu globoso serotino.
In Scania silvestri passim. *Retzius.* Legi in Gothungia occidentali, in Ifö!, in regione exteriori Hallandsås. Non ad P. *insititiam* Koch. (quam nos Sueci a Pr. *domestica* haud distinximus) referri potest, sed etiam a sequenti manifeste differt: radice maxime repente et stolonifera, ligno fusco, ramis nodosis nec spinosis, foliis praecocibus late ellipticis subtus pubescentibus, pedunculis geminis, pulpa gelu tacta dulci etc. Quae sub nomine *Krikon* in hortis colitur non differt nisi fructu majori sapidiori. [Hujus primitiva forma videtur Prunus in rupestribus Blekingiae aboriginea, sed ramis multo tenuioribus magis virgatis non parum diversa.]

598. P. *spinosa* L. pedunculis solitariis, ramis spinosis.
In dumetis vulgaris, alia forma foliis serotinis, alia coaetaneis, maxime ab utraque prioris varietate diversa.

Fam. LXII. b. POMACEAE. L.

Char. Plurima ut in Drupaceis, sed ovaria plura (2-5) in pomum calyce adnato coronatum connata. Styli tot, quot ovaria, stigmatibus simplicibus. Semina in loculis vel cartilagineis sutura centrali dehiscentibus pau-

ca vel in osseis indehiscentibus solitaria; suturae centrali adfixa. *Arbores l. frutices, stipulis liberis, foliis integris, lobatis pinnatisve.*

Pomum vel 1) e loculis osseis *drupaceum*, coronatum laciniis calycinis patentibus = *Crataegus* (styl. 1, 2) inflexisve carnosis = *Cotoneaster* (styl. 3, 4; nuculis fere liberis); vel 2) loculis membranaceis incompletis *baccatum* lac. calyc. inflexis, = *Sorbus* (styl. 2—4) vel 3) loculis cartilagineis, *carnosum*, lacin. calyc. patentibus = *Pyrus* (styl. 5.)

599. CRATAEGUS *monogyna* Jacqu. corymbo villoso, fructu oblongo.
In dumetis passim. Cr. cyrtostyla *Fingerh. in Linn.* 1830. cum ic. bene diversam fructus structuram exponente.

600. C. *Oxyacantha* L. corymbo glabro, fructu globoso.
Cum praecedente. Occurrunt hujus individua omnino monogyna (*Crat. monogyna* Fingh. l. c.), quae vero ad priorem transitum non efficiunt.

601. COTONEASTER *vulgaris.* Lindl. Mespilus Cot. L.
In Kullaberg et Stenshufvud.

602. SORBUS *Aria* Pers. foliis serratis subtus niveo-tomentosis.
In duabus cryptis montis Kullaberg.

603. S. *scandica* Fr. foliis incisis subtus cinereo- villosis.
In Gothungia ut ad Gyetorp, Wieseltofta etc. Ad Snogeholm et Svabesholm. *Leche.* Ad pagos et vias passim plantata.

604. S. *Aucuparia* L. foliis pinnatis.
In silvis, praecipue montosis.

605. PYRUS *communis* L. genitalibus liberis.
In Scaniae, praecipue australioris, silvis, praecipue circa pedes montium omnino fera et spinescens; sed etiam Scaniae mediae ut ad Simontorp (Leche), Heckeberga (I. S. 280), Stenby, Gudmundtorp, Belteberga, Kullaberg etc. Duplex omnino adest forma, altera foliis fructuque subrotundis glabris; altera foliis ovalibus subtus pubescentibus, fructu turbinato; sed diversa earum loca non separata sunt; de synonymis dissentiunt etiam qui specie diversas censeunt.

606. P. *Malus* L. stylis basi connatis.
In silvis et pratis Scaniae silvestris, praecipue borealis ut Gothungiae (It. Scan. 59, 392), ad Hallandsås copiose. Rarior in Scania campestri, ut in silvis ad Krageholm, Marsvinsholm, Belteberga e. s. p. Exstant quoque varietates hortenses efferatae. [Duplex hujus adest arboris typus vere silvestris; var. *amara* s. Beskapel Smoland. tam insignis, ut species diversas cum DeCandolleo pluribusque tandem agnoscere forsan cogamur. Jam fruticis habitu differt, insuper ramis nodosis nec spinosis, foliis subtus villosis, germine lanato, pomis ovatis sapore amaro, qui alteri acidus].

Fam. XLIII. SENTICOSAE. L.

Char. Calyx definite partitus, persistens. Petala lobis calycinis primariis numero aequalia et alterna, regularia, per aestivationem quincuncialia. Stamina tori annulo distante inserta et basi cohaerentia. Styli tot quot ovaria discreta eisdemque lateraliter inserta, nunc nuda, nunc calycis tubo recepta. Fructus varius, fructulis s. carpellis semper vero discretis, nunc nudis nunc calyci receptis. Semina exalbuminosa. *Herbae aut frutices ob medullam amplam laxam et defectum novorum ligni stratorum parum persistentes; folia pinnata, digitata aut sublobata; stipulae petiolo adnatae, persistentes.*

Familia vasta, Succulentis Ranunculaceisve e fructu quidem analoga, praecedentibus vero ita cognata ut sub ROSACEIS a plerisque junguntur. Hoc loco servantur Rosacearum tribus schizocarpae, nempe:

I. ROSEAE. Ovaria indefinita, cartilaginea, uniovulata, indehiscentia inclusa urceoli calycis, primo imbricati. (607—612).

II. POTENTILLEAE. Ovaria indefinita, aggregata, nuda uniovulata indehiscentia, a calyce valvato discreta. (614—635).

III. SPIRAEEAE. Ovaria definita (5, 10) verticillata, libera, demum capsularia, pluriovulata. (637, 636).

IV. SANGUISORBEAE. Ovaria definita, pauca (2—4) drupacea, calyce valvato recepta. (638—640) *Saepe apetalae, sed calyce duplicato.*

Trib. I. ROSEAE. Petala speciosa. Unicum genus:

607. ROSA *canina* L. fructu coriaceo subovato, foliolis laevibus convergenti-serratis.
Ubique in silvis, dumetis, sub plur. varietatibus, e foliorum pube, nitore, colore; pedunculis (saepe etiam fructu) hispidis, qualis foliis simul pubescentibus est vera R. *collina* Cfr. *Nov. Fl. Suec.* — Var. *dumetorum* l. c. forte separanda; hanc pro R. *tomentosa* descripsisse videtur Koch («fructu R. caninae» a nostra n. 611 diversissimo!)

608. R. *rubiginosa* L. fructu prior., foliolis subtus glanduloso scabris patenter duplicato-serratis.
Per omnem Scaniam campestrem passim (I. S. 277), copiosissima in arena volatili ad Falsterbo. Odor foliorum gratus.

609. R. *coriifolia* Fr. fructu carnoso globoso glabro, foliolis rugulosis eglandulosis patenter simpliciter serratis.
Frutex *silvatico-montanus*, in Gothungia frequens. Folia subtus villosa, demum coriacea.

610. R. *pomifera* Herrm. fructu carnoso globoso aculeato cernuo, foliolis tomentosis duplicato-patenti-serratis.
In dumetis; ad saepes prope Lund, Vegeholm, Kulla-Gunnarstorp. Wrams-Gunnarstorp etc., sed primitus introducta. Haec est primaria et verior R. *villosa* L.; sequens vero Fl. Suec.

611. R. *mollissima* Willd. fructu pulposo praecoci erecto, foliolis duplicato-patenter serratis.
Per omnem Scaniam, praecipue vero borealem, vulgaris. Petala saepe pulchre ciliato-dentata in forma pumila, sed in elatiori etiam integerrima. *Fructu mollissimo* a praecedentibus distinctissima; folia subinde glaberrima.

612. R. *cinnamomea* L. fructu pulposo praecoci (minimo) glabro, foliolis simpliciter serratis, aculeis stipularibus geminatis.
Tantum in arenosis ad Helgeå.

† R. *arvensis* Huds., flabelliformis, stylis conjunctis — Ad Vegeholm *Osbeck!*, sec. spec. in Herb. Agardh. servatum;

unde forsan etiam in Linn. Mant. indigena Sueciae dicitur. Frustra quaesivi, sed vidi fruticem *Rosae systylae* Desv. (R. columniferae mihi olim), quae omnium consensu est hybrida a R. *arvensi* et *canina*.

Trib. II. POTENTILLEAE. Carpella vel 1) *baccata* in receptaculo sicco = *Rubus*, vel 2) *nuda*, sine pulpa cingente aristaque, receptaculo carnoso, bacca perperam dicto = *Fragaria*, plano exsucco = *Potentilla*, spongioso prominente = *Comarum* vel 3) *aristata* = *Geum*.

613. RUBUS *idaeus* L. erectus, foliis pinnatis.
In silvaticis vulgaris.

614. R. *fruticosus* L. erecto-arcuatus, foliis digitatis.
In Scania silvestri frequens. Turiones angulati, glabri, aculeati. Sub hoc nomine plures latere species vix negandum est, sed tot, quot in Germania separantur, haud servandas esse nulli dubitamus. Lubricum et ancipitem hunc campum evitantes, Scanicarum formarum studium nimis neglexímus. E Suecicis Gothoburgenses solum a Cel. *Wahlbergio* plene expositae sunt. Sequimur hoc loco dianomen Suecicarum ab amic. *Hartman* communicatam, secundum quam separamus duas species inter R. *fruticosum* et *caesium* Lin. intermedias, sed ab initio meorum studiorum mihi cognitas et primo obtutu facile discernendas. R. *infestum* Weih. in Scania orientali simul me vidisse fingo, sed specimen Scanicum non adest.

615. R. *candicans* Weih. sarmentosus, angulatus, aculeatus, panicula elongata thyrsoidea.
In Scania interiori inter S. Åsen et Ljungby hed alibique, foliis subtus tum candidis, quam viridibus. Candidissima forma, in horto Lundensi culta, subtus viridis evasit. *Thyrsiflorum* potius dicerem.

616. R. *corylifolius* Sm. sarmentosus, subteres, panicula corymbosa aculeata.
In scopulis maritimis Torekow, Kullaberg. *Rubus corylifol. sublitoralis.* Fl. Hall. et Nov. ed. 1.

617.* R. *caesius* L. sarmentosus teres aculeolatus, foliis ternatis.
Ubique in arvis et dumetis campestribus. Fructus caesio-pruinosus.

618. R. *saxatilis* L. herbaceus, flagelliferus, foliis ternatis.
In Scania sylvatica (I. S. 392) usque ad S. Rörum, frequens; raro in campestribus v. c. ad Arup.

619. R. *Chamaemorus* L. herbaceus, uniflorus, foliis lobatis.
In paludosis turfosis Gothungiae, copiose ad Hofdala, Brönnestad, Perstorp, et secus limites boreales usque ad Hjernarp et Maglö (Leche); meridiem versus descendit circiter ad S. Rörum, Westerstad etc. regionis Ringsjö, in cujus litore australi quoque legitur in palude vasta ad Rönneholm, sed fructus vix maturat, utpote unacum nomine et usu ignotus.

620. FRAGARIA *collina* Ehrh, calyce erecto adhaerente.
Vulgatissima Fraga per omnem Scaniam campestrem; copiosissima ad Gyllerup.

621. F. *vesca* L. fructu aequabili deciduo.
In Scania, praecipue silvestri copiose. Carpella in receptaculo emersa, superficialia, conferta.

622. F. *elatior* Ehrh. fructu scruposo secedente.
Locis umbrosis ad rivulos et montium radices per Scaniam campestrem ut ad Helsingborg, Belteberga, Björstorp etc. Ad Lund in Helgonbacken etc. Planta hirsutior. Carpella rariora in scrobibus receptaculi immersa. Species omnino distinctissima, minime cum variet. majori polygama Fr. *collinae* commutanda.

623. POTENTILLA *anserina* L. foliis interrupte pinnatis.
Locis humentibus solo argillaceo frequens; in maritimis folia utrinque virescunt.

624. P. *reptans* L. radicans, foliis digitatis.
In aggeribus Scaniae campestris usque ad Båstad.

625. P. *procumbens* Sibth. prostrata, foliis pedato-digitatis dentatis, stipulis integerrimis. Torment. reptans L.
In pascuis humidiusculis inter Iuniperos ad Andrarum copiosa et speciosa! Flos sequentis duplo fere major, petalis subquinis! [Vulgo quaeritur in sequentis forma elongata parviflora, foliis petiolatis incisis Haec est quam e Tyska Bagareberget ad Carlskrona alibique lectam accepi.]

626. P. *Tormentilla* Scop. adscendens, foliis subsessilibus ternatis stipulisque incisis. T. erecta L.
Ubique in pascuis macris. Tetramera.

627. P. *norvegica* L. erecta, foliis petiolatis ternatis.
Rara admodum. A me inter Heckeberga et Simontorp in Romeleklint lecta. Alia forma diffusa, rara lecta in paludosis ad Öja, Annelöf (Angelin) etc., quae est P. *norvegica* Schum.! Fl. Saell. etiam in paludosis obvia. Sola annua inter nostras.

628. P. *argentea* L. suberecta, foliis petiolatis quinatis.
Locis siccis frequens, foliis vulgo subtus argenteis, sed variat foliis utrinque niveo-tomentosis et virescenti-nudiusculis. Locis calcatis prostrata fit.

629. P. *collina* Wib. caulibus circa rosulam centralem lateralibus diffusis perfecte foliatis.
In collibus siccis ad Andrarum. *Ljungstedt.* A priori differt crescendi modo, a sequentibus caulibus perfecte foliatis, foliolis inferne quinis, superne ternis. In nostra folia subtus argentea numquam vidi, sed virescentia l. cano-hirsuta.

630. P. *opaca* L. scapis laxis divergenti-pilosis.
In campis apricis sterilibus; copiosissime ad Löddeström v. c. Lackalänge multisque aliis locis. Dein altior forma ad Ryssbergen in par. Hötofta etc. *Scaposas* dicimus Potentillas [P. heterophyllae Lapeyr.], quarum caules imperfecte foliatae lateraliter exeunt e rosula foliorum perfectorum radicalium et anthesi peracta marcescunt. P. *opaca* foliola radicalia subseptenata; planta rubens longe pilosa. Flores ad meridiem tantum coelo sereno aperti.

631. P. *verna* L. scapis prostratis flexuosis arrecte pilosis.
In arenosis Scaniae orientalis (l. S. 77) copiose; a Beckaskog ad Ystad, australisque passim, ut Ö. Torp (in littore marino) Limhamn, Fågelsång etc. Virens nec rubens. Folia coriacea, lineata. Pedunculi laxi, reclinati, fructus in arena vulgo defossi. Petala flava, unicoloria, absque fovea crocea ad basin, vespere clausa. [Sed in P. *alpestri*, scapis adscendentibus strictis, quae P. *verna* Whl. Fl. Ups. flores etiam vespere aperti.]

632. COMARUM *palustre* L.
In paludosis silvaticis passim.

633. GEUM *rivale* L. petalis cuneato-emarginatis.
In dumetis humidis frequens. Variat *flore luteo*; v. c.

in Paradislyckan, quae forma a sq. differt calyce campanulato nec sub anthesi reflexo, receptaculo columnari etc.

634. G. *intermedium* Ehrh. petalis obovatis.
In dumetis calidioribus siccis v. c. ad Foglesång, Tågarp territ. Rönneberga, Benestad e. s. p.

635. G. *urbanum* L. flore erecto, petalis rotundis.
In dumetis frequens.

Trib. III. SPIRAEEAE. Nobis unicum genus = *Spiraea.*

636. S. *Filipendula* L. capsulis 10 rectis villosis.
In clivis apricis frequens.

637. S. *Ulmaria.* L. capsulis 5 contortis glabris.
In dumetis paludosis frequens.

S. *salicifolia* L. caule fruticoso, foliis lanceolatis.
Ad Maglö-gård. *Retz. in V. A. H.* 1769.

Trib. IV. SANGUISORBEAE. Stamina 15; calyce bibracteato 5-fido extus setis uncinatis coronato, petalis 5 = *Agrimonia*; [stamina numerosa polygama, calyce tribracteato 4-fido, petalis 0 = *Poterium;*] stamina 4 l. infra, calyce 4-fido quadribracteato s. duplici serie 8-fido; petalis 0 = *Alchemilla.*

638. AGRIMONIA *Eupatoria.* L.
In pratis ubique. [Inter hujus varr. in Suecia obvias latent plures recentiorum species. Var. *parviflora* Liljebl. *A. pilosa* Ledeb. E taeniis Ostrogothiae *A. odoratam* Ait. misit Stenhammar.] Vulgo ad Potentilleas refertur Agrimonia, mihi vero!, mediante *Acaena*!, manifeste ad Sanguisorbeas pertinere videtur.

† POTERIUM *Sanguisorba.* L. Vere spontanea in Dania et in pratis apud nos sata persistit v. c. ad Malmö pone arcem copiosa cum Medicag. sativa. *Sanguisorba officinalis*, floribus hermaphroditis tetrandris, in plantationibus hinc inde obvia.

639. ALCHEMILLA *vulgaris* L. foliis novemlobis.
Ubique in pratis et pascuis; glabra villosave.

640. A. *Aphanes* Leers. foliis 3-partitis, floribus axillaribus.
Annua species, abortu 1-2-andra, ubique in arvis et campis usque ad Båstad et Smolandiae Blekingiaeque fines. Fructus carpello saepe abortu solitario i. e. holocarpus.

Fam. XLIV. PARONYCHIEAE. S. Hil.

Char. Calyx liber, 5-lobus, lobis per aestivationem imbricatis, toro a calyce haud discreto. Petala minima, obsoleta filiformia l. in stamina, tum duplicata, mutata. Stamina typice 5 l. infra, tori margini inserta. Stigmata 2-3 in ovario unico centrali. Fructus utricularis, calyce persistente subtectus, monospermus, placenta centrali. Albumen farinaceum. *Herbae, l. fruticuli aridi, foliis suboppositis integerrimis, stipulis scariosis, floribus parvis virescentibus glomeratis.*

Unicum nobis genuinum genus, *Herniaria* calyce partito, petalis filiformibus, stamina sterilia vulgo dictis, sed jam in Dania et locis adjacentibus plura adsunt v. c. *Illecebrum*, *Corrigiola*, *Polycarpon* et in terris mediterraneis *luxuriant.*

Scleranthus [calyce urceolato, petalis 5 aut, flore decandro, o-] recedit a familia stipulis o, quia cum foliis basi vaginato-junctis coalita; hinc separatur a Cel. Bartling; mihi est punctum indifferens et intermedium in quo *Portulacaceae*, *Paronychieae* et *Chenopodieae* confluunt.

641. HERNIARIA *glabra* L.
In campis incultis frequens. Ad Limhamn occurrit *pubescens*, sed haec a vera H. *hirsuta* [Daniae quoque civi] omnino diversa est.

642. SCLERANTHUS *annuus* L. calyce acuto unicolori.
Ubique in arvis, sed etiam collibus incultis.
* *biennis*, calyce fructifero patulo.
In collibus siccis apricis. Proximis intermedius, ut diu haesitavi, cui subscriberem; credo priori, sed lobi calycis etiam subobtusi; non vero albomarginati. Flores magis quam in ceteris stipati, fere capitati.

643. S. *perennis*, calyce obtuso albomarginato.
Solo arenoso ubique.

Classis IX. CENTRIFLORAE.

Char. Stamina inserta centro floris s. calycis fundo, indeque hypogyna, tori annulo haud juncta. Torus

exiguus, in calycis centro adnatus, obsoletusque. Sepala coalita. Corolla, nisi deficeret, cum staminibus inserta. Fructus, excepto Vaccinio *), liber. *Stipulae* o, *l. membranaceae intrapetiolares. Folia sub simplicia.*

Infima haec classis inter petaliferas, quod corollam admodum variat in maxime affinibus, quod aperte testatur corollam jam minus essentialem esse, quam in superioribus classibus. Hinc haec classis, cui plures familiae, prioribus vulgo ut anomalae subjunctae, servatae sunt, primo obtutu magis artificialis videbitur, sed, praecipue additis plurimis familiis exoticis, seriem omnino contiguam efficit. In summis corolla ad petala coalescentia s. Monopetalas (v. c. *Ericeis* et exoticis *Styraceis*, *Sapoteis*, *Ebenaceis* etc.) tendit; intermediis petala libera; infimis calycina aut nulla.

Familiae apud nos obviae: 1) *Ovariis pluribus omnino connatis*, stigmate simplici = XLV. ERICINEAE, pluribusve loculis monospermis = XLVI. EMPETREAE (Petala et stam. 3) 2) *Ovariis* subdiscretis = XLVII. EUPHORBIACEAE. 3) *Ovario simplici*, monospermo, [capsulari, semine pendulo = XVI. PLUMBAGINEAE p. 46] nucamentaceo, semine erecto = XLVIII. POLYGONEAE (vaginatae) l. membranaceo-utriculari = XLIX. CHENOPODIEAE (evaginatae).

Fam. XLV. ERICINEAE. Juss.

(Bicornes. L.)

Char. Calyx 4-5-fidus, lobis per aestivationem imbricatis. Corolla toro imo calyci adnato disciformi inserta, nunc gamo-nunc polypetala, aestivatione imbricata. Stamina libera, centro floris inserta, petalis dupla.

---

*) Vaccinium sub hac classe ex affinitate servandum, et re ipsa e charactere nec ad aliam pertinere neque ab hac excludi potest. Manifeste ad seriem *Calycifloratum* pertinet et stamina centro inserta, h. e nulla re a Centrifloris differt. Sub anthesi tironibus semper stamina quoque hypogyna apparent, licet non (ut v. c. in *Arbuto* sub disco tori vere hypogyni 10-angulari) sub toro inserta sint, sed e toro cum germine connato sub grossificatione epigyna praecipue evadunt. Alias inter *Myrtaceas* et Rhamneas inserendum.

Antherae biloculares, rima porove dehiscentes, saepe appendiculatae. Stylus 1, stigmate simplici. Fructus baccatus l. capsularis, e tot ovariis, quot lobi calycis, connatus, placentis columnae centrali adnatis. Albumen carnosum, embryone axili recto. *Fruticuli aridi, foliis simplicibus exstipulatis. Flores hermaphroditi.*

Haec familia, quae in regionibus alpinis et silvatico-montanis maximam saepe vegetationis partem efficit, nec specierum numero nec individuorum copia in Scania campestri excellit. In tropicis quoque paene desiderantur. Tribus:

I. VACCINIEAE. Germen, toro cum calyce coalescente, inferum. Antherarum apices in tubulum pervium producti.

II. ERICEAE. Germen superum. Torus manifestus.

III. MONOTROPEAE. Germen superum. Torus obsoletus, ideoque sepala libera. *Plantae fungosae, abnormes.*

Trib. I. VACCINIEAE. Unicum nobis genus nisi *Oxycoccum* separare malles. Utique corolla 4-partita, laciniis reflexis multum recedere videtur a V. *Myrtillo* et *uliginoso*, quibus corolla ventricosa ore coarctato, laciniis minimis, sed *V. Vitis idaea* est media ratio. Hujus corolla nec ventricosa, nec ore contracta, sed ad medium fere quadrifida. Neque calyx differentiam suffulcit; hic enim in V. *Myrtillo* tantum turbinatus integer, in reliquis 4-fidus. Filamenta in V. *Myrtillo* et *uliginoso* glabra, in V. *Vitis idaea* hirsuta, in *Oxycocco* compressa punctulata, margine villosa. Appendices antherarum in V. *Myrtillo* incurvae, in *uliginoso* erectae longiores, in V. *Vitis idaea* brevissimae, sed nullae in V. *Oxycocco*, sed antherae tubulis longissimis bicornes. Non itaque deficiunt notae ad singulam speciem separandam subtiliores, et si Oxycoccus distinguatur, essentialis character ab antheris petendus mihi videtur.

644. VACCINIUM *Myrtillus* L. foliis deciduis serratis.
In regione pineto-montana passim; in jugis denudatis formationis primitivae parcius, v. c. Maltesholm, Simontorp (L. S. 101), prope Lund unico loco versus Dahlby.

645. V. *uliginosum* L. foliis deciduis integerrimis.
In eisdem fere regionibus, locis humidis, sed etiam

in regione campestri, licet parcius v. c. ad Fredshög (I. S. 221), Saxtorp.

646. V. *Vitis idaea* L. foliis perennibus obovatis.
In pineto-montanis usque ad S. Åsen, Blekmåsa, Maglaby; ceterum sporadice fere in jugis sterilibus.

647. V. *Oxycoccos* L. foliis perennibus ovatis.
In Gothungia, v. c. Brönnestad, copiose; ceterum rarius ut ad Hallandsås (Ros. 23), Maglaby, Silfåkra. Caules filiformes, repentes.

Trib. II. ERICEAE. Corolla 1) *monopetala*, a) fructu baccato = *Arbutus*; b) *capsulari* (valvis medio dehiscentibus), flore tetramero, octandro = *Erica*; l. pentamero, decandro = *Andromeda*; 2) *polypetala*, capsula a) ad margines inflexos valvularum dehiscens = *Ledum*; b) valvulis medio dehiscentibus = *Pyrola*.

648. ARBUTUS *uva ursi* L.
Non tantum in regione pineto-montana, sed locis etiam sterilibus denudatis usque ad Sandhammarn.

649. ERICA *vulgaris*. L. corollis campanulatis.
In montosis omnibus, etiam campis supra Röstånga copiose, ceterum parcior, nisi in Skanörs-ljung.

650. E. *Tetralix* L. corollis ovalibus umbellatis.
In paludosis Scaniae occidentalis usque ad Skanörs-ljung passim, copiose in Kullen, orientem versus rarescit, sed in Hagestads mälare (mälare = palus fluctuans) frequenter. Servo spec. bracteis quattuor coloratis omnino ut in praecedente.

651. ANDROMEDA *polifolia* L. foliis glaucis.
In Scania silvestri usque ad S. Rörum, Maglaby etc.

652. LEDUM *palustre* L. foliis subtus ferrugineo-lanatis.
Rarissimum; in Gothungia passim. Ad Bjersjöladugård, saltim olim ex Lecheo.

653. PYROLA *uniflora* L. pedunculo unifloro.
In Gothungiae silvis, copiose ad Gyetorp. [*P. umbellata*, pedunculis umbelliferis, fructu arrecto!, vix dubie in Gothungia olim reperiunda.]

654. P. *rotundifolia* L. racemo recto albifloro.
In silvaticis rarissima; lecta ad Roslätt, Bökebergs slätt, Ljungby etc. [Totius generis rarissima in Smol. occident.]

655. P. *chlorantha* Sw. racemo tortili, florib. ochroleucis.
In pinetis Gothungiae ab Ousby ad Fagerhult rarior.

656. P. *media* Sw. racemo aequali, flor. patulis carneis.
In Scania boreali ab Hallandsås ad Årup sat frequens. [Haec est species sui generis frequentissima per omnes provincias occidentales.]

657. P. *minor* L. racemo aequali, floribus conniventibus.
In nemoribus Scaniae totius, praecipue circa Ringsjö copiose. Flores rosei. [Vulgatissima generis in Scania.]

658. P. *secunda* L. racemo secundo.
In silvaticis passim; copiose ad S. Åsen, Gyetorp, in Ifö-Klack. [Haec species per totum regnum aequaliter distributa.]

Trib. III. MONOTROPEAE. Unicum genus, cum Orobancheis analogum.

659. MONOTROPA *Hypopithys* L.
Var. *hirsuta*, nempe genitalibus non glabris, in Gothungia sub pinubus [sed ad Femsjö in radicibus Fagi]. Var. *glabra*, minor, flore toto glabro, in fagetis ubique a Gillesgrufvan ad Baldringe, Gudmuntorp, copiosissima vero sub Pinubus sativis ad Åhus, Widsköfle. Illa igitur videtur forma silvatica, haec campestris. In se invicem haud transeunt, sed an cum plurimis dinstinguam haesito. Locis in pinetis l. fagetis haud constans est.

Fam. XLVI. EMPETREAE. Hook.

Char. Calyx liber, tripartitus, lobis imbricatis, toro haud prominente. Petala 3 cum staminibus totidem alternis, ob flores diclines, exacte centrum floris occupantia. Filamenta capillaria, antheris haud appendiculatis. Stigmata subsessilia, radiantia, numero ternario simplici l 2-3 plicato. Fructus baccatus ex ovariis 3-9 arcte connatis loculosus, seminibus solitariis. Albumen carnosum; embryo rectus axilis. *Fruticuli, habitu Ericae.*

Familia exigua, potissimum boreali-americana; non Ericineis, sed *Aquifoliaceis* (Ilex) et *Euphorbiaceis* proxime affinis. Unicum nobis genus, stigmate novem-radiato.

660. EMPETRUM *nigrum.* L.
Non tantum in silvestribus, sed in arena volatili simul frequens, ut ad Åhus, Skanör (It. S. 77, 221, 222.) Båstad; insuper in paludosis v. c. Maglaby torfmosse.

Fam. XLVII. EUPHORBIACEAE. Juss.
(Tricoccae. L.)

Char. Flores diclines. Calyx liber, definite partitus, toro haud prominente Petala calycis lobis alterna l. nulla. Stamina centro floris inserta, antheris haud appendiculatis. Styli 2, 3, stigmatibus divisis. Fructus 2, 3 (raro plures) primo angulis centralibus cohaerentes, demum secedentes, elastice secus suturam dehiscentes, pericarpio duplici Semina 1, 2, arillata, angulo interiori sub apice suspensa. Albumen carnosum; embryo axilis. *Arbores l. frutices saepe sempervirentes l., ut nostrae, herbae; saepe lactescentes. Folia simplicia, stipulis nullis l. membranaceis lateralibus! Flores saepe aggregati, imperfecti.*

Est inter vastissimas plantarum familias, viribus, licet saepe venenatis, insignis; in tropicis terris maxime communis (multasque vicinas familias secum connectens), sed nobis restant tantum duo ex infimis apetalis generibus; melior autem pars petalis ornatur. [Culta genera: *Buxus*, *Cneorum*, *Phyllanthus* etc. meliores typos offerunt.] In *Mercuriali* flores dioici, masculi enneandri, feminei trigyni; calyx utrisque 3-partitus, fructus dicoccus. In *Euphorbia* flos compositus androgynus, calyce communi 8-10-fido, laciniis alternis petaloideis, mares indefiniti, femina solitaria centralis, stylis coccisque 3. De mirabili hoc flore cfr. *Röper Enum. Euph. Germ. et Pann.* Florem e pluribus flosculis compositum esse manifestum quidem est, sed equidem etiam alios varios flores, quos omnes hermaphroditos dicunt, pro compositis habeo.

661. EUPHORBIA *Esula* L, perennis, foliis lanceolat.
In Scania orientali ad Huaröd. *Sandell.* Semina obovata, laevia.

662. E. *Cyparissias* L., perennis, foliis linearibus.
In collibus arenosis siccisve Scaniae orientalis ad Andrarum, Hvitaby (Retz. Supl. 1. p. 7), Maltesholm, Brösarp in coemiterio etc.; etiam prope Björstorp Scaniae

occidentalis. Semina prioris, cui valde affinis; folia ramulorum angustiora.

E. *palustris* L., e lapsu calami l. memoriae, Scaniae in Fl. Suecic. adscribi videtur. Locus nullus cognitus.

663. E. *exigua*, annua, foliis linearibus.
In Scania occidentali meridionali, copiosissime circa Trelleborg, ut ad Tâgarp, indeque ad Hvellinge et usque ad Malmö ubique; dein rarior ad Höjebro (Retz. Obs. 1.) et Trolleberg circiter desistens. Semina subtetragona, tuberculato-reticulata. In multis generibus observamus specierum annuarum fructus et semina magis in superficie inaequabilia, quam perennium; hoc sine dubio connexum est cum faciliori eorum germinatione.

664. E. *Peplus* L. annua, foliis obovatis integerr.
Frequens solo culto, sequente tamen minus copiosa et in pineto-montanis desiderata. Semina obtuse hexagona, lateribus quattuor punctorum serie exsculptis, duobus sulco longitudinali exaratis, bene observante *Röper*.

665. E. *Helioscopia* L. annua, foliis obovatis serratis.
Ubique nimia solo culto. Semina obovata, reticulato-exsculpta.

666. MERCURIALIS *perennis* L. foliis scabris.
In nemoribus silvaticis frequens; rarescens in parte occidentali-boreali. (M. *annua*, foliis glabris, in cultis raro sponte disseminatur.)

Fam. XLVIII. POLYGONEAE. Juss.

(Vaginales L.)

Char. Calyx persistens, typice 3-partitus (2-partitus in *Oxyria*), lobis per aestivationem imbricatis, toro fundo adnato. Petala persistentia, nunc totidem distinctam seriem interiorem sistentia herbacea s. calycina; nunc paucioria in calycem, hinc coloratum, immediate transeuntia Stamina centro floris inserta, definita, typice ad sepala gemina. Styli 2-3, liberi l. conjuncti, stigmatibus distinctis, passim plumosis. Fructus simplex centralis, nucamentaceus, monospermus, subtriqueter. Semen fundo affixum, albuminosum, embryone inverso,

Herbae, raro frutescentes, caulibus nodoso-articulatis nodis vaginis intrafoliaceis terminatis. Folia alterna.

Haec familia, infimarum more ubique terrarum parum mutata obvia, verum sistit ad Apetalas transitum, ne dicam ad Monocotyledoneas tota vegetatione et numero ternario typico. Cel. *Reichenbach* cum Alsinaceis stipulatis et Paronychieis sub Portulacaceis jungit, e quo analogia elucet, sed haud praetervidenda primaria forsan cum *Chloranthei*s et *Piperatis*, analogam classem in seq serie sistentibus, adhuc magis Monocotyledoneis. Tribus:

I. LAPATHEAE. Perianthium biseriale, utrumque herbaceum perfectum. Stamina ante sepala tantum geminata. *Petala* valvulae *dici solent.*

II. POLYGONEAE. Perianthii colorati series exterior in interiorem incompletam immediate transit. Stamina ante sepala geminata, solitaria ante petala.

I. LAPATHEAE. Nobis unicum genus hexandrum, trigynum, embryone curvato laterali = *Rumex*, inter cujus species separandae * *hermaphroditae* (667—675) et ** *diclines* (376, 377).

667. RUMEX *aquaticus* Linn. It. Scan. p. 147, 580 valvulis triangulari-ovatis integris, foliis lanceolatis strictis subtus glaucis.

Ubique in limosis, fluviis Scaniae praecipue campestris, species sui generis maxime spectabilis, sola vere *aquatica. Dynaskräppa* a rusticis dicta. *Rumex Hydrolapathum* Recent. — Valvulae variant graniferae et nudae (R. longifolius Dec.), quales juniores fere semper. *Linnaeana* descriptio nullo modo ab hoc, sed *foliis acutis* a R. *Hippolapatho* manifeste recedit. Ceterum Linnaeanas Lapathorum determinationes, quorum primo duo tantum, dein quattuor agnovit, justo latiores esse pluresque complecti sub singula specie [unde tot controversiae]; hunc vero genuinum esse R. *aquaticum* tum totius antiquitatis, quam primarium Linnaei [hic est, qui, teste Schlichtkrull, a omnibus Daniae etc. pharmacopolis pro R. *aquatico* venditur] eis, qui argumenta capiunt et pensitant, satis superque in Nov. fl. Suec. p. 111, 108 demonstrasse nobis videmur.

668. R. *domesticus* Hartm. valvulis cordato-rotundis integris, foliis cordato-oblongis undulatis. (Sub R. *crispo* L.)
In agris, ruderatis, ad vias etc. Scaniae superioris passim, in maritima usque loca v. c. Båstad, Forslöf; in campestri vero rarissima v. c. versus Igelösa et forma latior *pratensis* loco paludoso ad Skabersjö. [Haec fuit, quae ad hanc speciem cum R. *Hippolapatho* s. aquatico Auct. rec. conjungendam me olim duxit. Hic in Suecia meridionali prorsus desideratur indeque etiam R. *maximus* Schreb. et R. *conspersus* Hartm., hybriditates potissimum ejusdem cum vicinis. Hunc quidem R. *aquatico* aliis temporibus adnumerasse videtur Linnaeus, licet foliorum descriptio recedat, sed veteres a Lapatho aquatico semper distinguebant sub *Hippolapathi* nomine. Hinc ex genio nomenclaturae Linnaeanae hoc nomen servare coactus fui, licet me magis sollicitus vix ullus, ut nomenclatura graeca evitaretur. Cfr. nomina specifica Lichenum, fungorum etc. a me data cum aliorum.]

669. R. *crispus* L. spec. Pl. valvulis late cordatis integris, foliis elongato-lanceolatis crispatis.
In regione campestri, locis aquosis aut hieme inundatis, frequenter. [In Suecia media in loca magis sicca adscendit.] Hujus valvulae omnes graniferae, sed in Suecia meridionali unicum saltim granulum manifestum in priori saepe vidimus.

670. R. *cristatus* Wallr. valvulis cordato-oblongis dentatis, unica granifera, foliis acuminatis. R. *acutus* antiquor. et Linn. Spec. 2. in hunc solum, bene monentib. Mertens et Koch, exactissime cadit.
Planta spectabilis, habitu fere R. *aquatici* (ut primo obtutu facillime commutantur), sed sequenti certe proxima. Variis locis humidis Scaniae boreali-orientalis (et ad agrorum margines prope Andrarum), sed etiam in occidentali, v. c. ad Malmö *Areschoug*. [Dein per Hallandiam, Bahusiam (Aresch.), in omnem Norvegiam occidentalem copiosus *Myrin*. Sed etiam in Suecia media exsta; in Horto Bot. Ups. antiquitus ut videtur cultus.] Non dubitamus quin Linnaeus in opere laudato, ubi R. *obtusifolius* primum distinguitur, separatis jam

sensim sequentibus, primo sub Rum. acuto, v. c. R. *maritimo* in Fl. Suec. 1, comprehensis, verum Lapath. acutum Patrum, quod praesens, R. *acutum* dixerit et hoc nomen sic restituendum sit, praecipue cum utriusque nomen ab eorum affinitate et comparatione pendet.

671. R. *obtusifolius* L. valvulis triangulari-oblongis graniferis dentatis, foliis imis cordatis obtusis.
Locis succosis, ruderatis, agris etc. frequentissime. Rumex acutus *It. Scan. p.* 395, in agris, ad hujus variet. *agrestem*, magis rubentem, ut in loco expertus sum, omnino pertinet.

672. R. *Nemolapathum* Ehr.! valvulis lineari-oblongis integerrimis, unica granifera, foliis imis cordato-oblongis acutis.
In nemorosis humidis silvarum frequenter, ut loca specialia facile superflua sint, sed addem omnia latera australia jugorum Romeleklint, etiam ad Roslätt, Foglesång; circa Söder-Åsen ad Wram, Åfvarp; in Kullen usque ad Pålsköp; ad Hallandsås; circa Ringsjön ubique — et orientem versus a Benestad ad Gothungiam.

673. R. *conglomeratus* Schreb. valvulis angustato-oblongis integerrimis omnibus graniferis, verticillis foliatis.
In Scaniae occidentali-meridionalis ruderatis humidiusculis parce aliquot locis; optimus est fossae sepium versus Skanörs Ljung ad L. Hammar.

674. R. *palustris* Sm. valvulis ovato-oblongis graniferis subulato-dentatis, verticillis remotis, foliis laevibus.
In palustribus regionis campestris et australis frequenter, ut circa Lund, Suedala, N. Helgaröd, in planitie Trelleborgensi, Ystadiensi, Hammarlöf, Maglaröd; sed in litore marino etiam passim, loca vero seligit limosa, cum sequens arenosa. [Quem olim ex aliis provinciis pro R. *palustri* habuerunt, sequentis forma est.]

675. R. *maritimus* L. valvulis ovato-triangularibus graniferis setaceo-dentatis, verticillis confluentibus, foliis undulatis.
In litore marino arenoso, non ubique, v. c. Skepparkroken, Helsingborg, Lomma (Leche, ubi copiosius una cum R. palustri), St. Hammar, Trelleborg, Abekås,

Gislöf, Dybeck (It. Scan. 248) Ystad (sed magis orientem versus in schedulis meis etiam ad triviales species locupletissimis annotatum haud invenio). A mari remotum ad Benestad tantum legi.

676. R. *Acetosa* L. dioicus, foliis sagittatis.
In pratis etc. ubique.

677. R. *Acetosella* L. dioicus, foliis hastatis.
In clivis aliisque locis exsuccis copiose, arva quiescentia colore sanguineo-rubro ex hac planta gregaria e longinquo saepe corruscant.

II. POLYGONEAE. Genus Polygonum greges continet plures jam habitu et qualitatibus diversis acute limitatas, quare antiquiores plura separabant genera, eosque sequebantur Tournefort et Linnaeus in Gen. pl. ed. 1. Acute vero dein perspiciens notas e partium numero datas haud sufficere, in altera editione operis laudati eadem in unum conjungebat. Jam vero tot primi ordinis differentiae, praecipue studio Meisneri, e seminum fabrica innotuerunt, ut constans videatur, suadente jam acutis. Gärtnero, prisca genera resuscitare, nisi mallemus *Rheum*, *Oxyriam* etc. cum Rumice, plurima genera Chenopodiearum etc. conjungere, cum haec eisdem notis, minus vero externa facie et qualitatibus, separantur. Bene quidem novi genera ex eodem principio haud ubique esse separanda («haeresis summa Botanices L.»), indeque haud citavimus *Cruciferas* et s. p., sed in eadem familia, habitu suffragante, necessarium omnino censemus. Hujus vero plenior expositio ad opera generalia magis pertinet, hoc loco aptius ducimus nomina recepta servare, separantes tantum exotica *Fagopyra* achaeniis liberis, embryone axili, cotyledonibus contortuplicatis, albumine farinoso, (quare frumentum offerunt) inflorescentia e prolepsi composita cymosa. In nostris Polygonis achaenia calyce tecta, embryo unilateralis, sed admodum recedunt sectiones: * *Helxine*, albumine corneo, cotyledonibus accumbentibus, caule volubili, floribus racemosis (678, 679) ** *Avicularia*, albumine corneo, cotyled. incumbentibus, floribus axillaribus (680) *** *Persicaria* achaeniis obtusangulis l. lenticularibus, albumine corneo, cotyled. accumbentibus, floribus spicatis (681—685) et **** *Bistorta* albumine farinoso, cotyledonibus accumbentibus, caule monostachyo.

In planta florente vix distingui possunt lobi calycini et corollini, sed sub maturescentia fructus illi tantum grandescunt. In octandris semper tres, in hexandris vulgo duo, sed Persicariae variant etiam tribus, tum octandrae evadunt. Bina enim stamina singulo sepalo, unicum petalo (nisi intimus abortet) respondent.

† FAGOPYRUM *esculentum* Mönch. achaeniis laevibus. In Scaniae orientalis campis arenosis sat frequens, sed cum eisdem locis quibusdam annis seritur haud magis indigenum quam reliqua cerealia. Ceterum raro legitur, ubi non simul seritur, vix nisi in agris ad latera Hallandsås ut ad Grefvie, Forslöf.

[F. *tartaricum* Gärtn. ach. asperis, angulis sinuato-dentatis — in cultis et agris Scaniae orientalis.]

678. POLYGONUM *Convolvulus* L. volubile, achaeniis apteris.
In agris et frutetis.

679. P. *dumetorum* L. volubile, achaeniis alatis.
In dumetis Scaniae silvaticae totius, per meridionalem et orientalem a Benestad ad Årup et Ifööklack ubique; etiam in Gothungia passim; rarius in parte occidentali ut ad Foglesång, in Kullen usque a Pålsköp, S. Åsen ad Wram, Raustorp alibique; Hallandsås ad Forslöf, Rosenhult e. s. p.

680. P. *aviculare* L. humifusum, floribus axillaribus.
Solo calcato et vervacto ubique, multis sub varr. e caulis directione et foliorum forma; sola notatu digna videtur P. *litorale* Lk., crassifolium, in litore marino.

681. P. *minus* Huds. spicis erectis, foliis sublinearibus.
In Scania, praecipue vero occidentali et maritima, tum in paludosis, quum agris post messem; flores vulgo rosei, sed lactei ad Hvellinge, Helsingborg, Rögla e. s. p. Foliis angustiss. lanceolatis a sqq. differt.

682. P. *Hydropiper* L. spicis interruptis cernuis glandulosis.
Locis fimetosis pinguibus ubique.

683. P. *laxiflorum* Weih. spicis rarifloris laxis eglandul.
Locis similibus, sed rarius; foliis lanceolatis a P. *minori*, vaginis patulis ciliatis, floribus roseis, sapore miti a priori discernendum.

684. P. *Persicaria* L. spicis compactis erectis eglandul. In paludosis, plateis, agris etc. frequenter; Lundae copiosissimum. Persic. biformis. Whlb. dicendum.

685. P. *lapathifolium* L. spicis compactis erectis eglandul. In agris, paludosis, litore marino etc. copiose. foliis subtus saepe incanis. Qui *incanum* et P. *lapathifolium* distinxerunt v. c. Rafn, Retz. Suppl. 1. (ubi hoc ut exoticum tantum notat) P. *nodosum* pro vero P. *lapathifolio* sumserunt.

* P. *nodosum* P. parviflorum, geniculis tumidis. In fossis fimetosis, ripis limosis Scaniae campestris. Valde insigne est, mihi hactenus constans visum, ut forsan non errant, qui distinguunt. Cfr. *Reich. Fl. Exc. n.* 3699.

686. P. *Amphibium* L. perenne, spicis compactis 5-andris. Var. *terrestris* in agris, pratis udis frequens, foliis elongatis hirsutis; rara autem var. *aquatica* foliis natantibus, glabris, ovato-oblongis, nempe in paludosis Gothungiae, prope Christianstad, Wrams-Gunnarstorp ad S. Åsen. [In silvaticis v. c. in Smol. occid. tantum var. aquatica.]

687. P. *Bistorta* L. perenne, simplex, foliis cordatis. Ad aquas, in pratis humidis v. c. ad Vegeholm, Dufeke, Axelvold, Widsköfle etc. [Copiose in Paradislyckan ad Lund.]

Polyg. vivipari L., Scaniae perperam adscripti, maxime meridionalis locus in Suecia est par. Hagshult in Smoland. media; cum Pediculari Sceptr. Carol. circiter desistit.

Proximae *Nyctagineae* huc facile trahunt *Plumbagineas* p. 46.

Fam. XLIX. CHENOPODIEAE. Juss.

(Oleraceae L.)

Char. Calyx liber, definite partitus, post anthesin saepe auctus, lobis imbricatis; toro in fundo expanso. *Petala nulla!* Stamina centro calycis adnata, lobis calycinis opposita et aequalia, sed defectu saepe pauciora. Stigmata 2; raro ultra, quandoque connata. Fructus simplex, centralis, utricularis (Amarantheis

subinde capsul.), calyce persistente saepe auctus. Semen fundo loculi adfixo, albumine subfarinaceo, embryone curvato. *Herbae, passim frutices sempervirentes; folia simplicia typice opposita, sed saepe sparsa; stipulae vel vaginae o.!*

Optima familiae patria sunt campi salso-deserti orientis, nobis plures species praecipue ad litora maris. Sola est familia toro genuino absolute apetala. Maxime affines *Amaranthaceas* Juss., centro tropico, ob unicam speciem apud nos obviam separare in hac Florula superfluum duximus, et a Cel. Reichenbachio quoque conjunguntur. [Sed e principiis, quae nos sequimur, manifeste syncarpas *Ficoideas*, utique ante Succulentas inserendas, et *Tamariscineas*, necesse excludemus. Harum, nunc poly-nunc monopetalarum, locum ponimus inter *Ericineas* et *Empetreas* ex indigenis, ubi e fructu respondent Droserae in classe analoga Columniflorarum.] Tribus:

I. AMARANTHEAE. Calyx scariosus, bibracteolatus.

II. CHENOPODIAE (sens. strict.) Calyx herbaceus, ebracteatus.

Trib. I. AMARANTHEAE. Unicum nobis genus, utriculo circumscisso.

688. AMARANTHUS *Blitum*. L.

In plateis, locis squalidis, ad fimeta etc. ad Lund (Linné, Leche etc.) admodum copiose et certe indigenus censendus. [Locis cultis in Scania numquam vidimus; *Spinacia* Lundae non colitur!] Tam A. *Blitum* Rec., quam A. *adscendentem* Lois. apud nos prorsus spontaneos legimus.

Trib. II. CHENOPODIAE. Flores 1) *biformes*, hermaphroditi regulares, 5-fidi; feminei 2-partiti, lobis subrhombeis valvato-adpressis = *Atriplex* I. cuneato-conjunctis, cum auriculis conduplicatis compressis = *Halimus*: 2) uniformes, hermaphroditi, 5-partiti; a) albumine farinaceo, embryone circulari (*folia plana*) = *Chenopodium*; b) albumine nullo, embryone spirali (*folia cylindrica*) calyce fructifero immutato = *Schoberia*, vel grandescente, lamina interiori semen includente, exteriori patente = *Salsola*: 3) spadici immersi, calyce ventricoso integro (herba articulata, aphylla) = *Salicornia*.

689. ATRIPLEX *hortensis* L. erecta, valvulis ovatis integris. In vallibus, aggeribus, ruderatis multis locis; ad Malmö ut Linnaei tempore [It. Scan. 200] adhuc copiosa, licet ejus cultura longe abhinc obsolverit.

* A. *nitens* Rchb., foliis nitidis, subtus lepidotis.
Raro in maritimis et in campis incultis infra Malmö, ut videtur omnino indigena, sed maxime sporadica. Haud aliis notis a priori differt, quam in seqq. variis.

690. A. *rosea* L. divergens, valvulis rhombeis dentatis.
Rara in ruderatis campestribus (minime in litore marino) Scaniae occidentalis v. c. ad Borreby, Lomma. Nomen e *floribus glomerato-rosulatis* [nec e colore, qui albicans, vel subtus tantum, vel utrinque: A. *alba* Scop.] nec spicato-glomeratis ut in vera A. *laciniata* L. foliis laciniatis insuper diversa et ad litora maris occidentali-septentrionalis certe obvia! Neutra vero est *Atr. laciniata* Leche aut Linn. Fl. Suec.

691. A. *hastata* L. patula, valvulis ovatis dentatis.
In ruderatis pinguibus, in litore marino etc. copiose A. *patula* Smith. Haec absque dubio est A. *hastata* Lech. Scan.! et certissime etiam Linn. It. Öl. (semper ut speciei fonte citato.) Descriptiones datae et synonyma laudata hanc manifeste simul indicant. Speciem eximie exposuit nimis neglectus *Rafn*, cujus var. *macrotheca* nobis primaria, seqq. ut subspecies subjungens.

* A. *calotheca* Rafn. valvulis foliaceis laciniatis.
Manifesto est prioris forma luxurians et monstrosa supra Fucos putrescentes soloque pinguissimo enata, ubique ad litora obvia, abundantissima vera ad Öresund ut L. Hammar, Malmö, Lomma, Borreby, Löddeköping etc., diversa ut var. *calycida* Ver. agrestis a suo typo. Interea ita insignis, adeo copiosissima, ut hanc formam, ut litoribus freti Öresund maxime peculiarem, speciei instar distinctae lubentius propositam mallem, in vastis vero nostris Atriplicetis tanta formarum varietas, ut singulas ob silvam difficillimum est distinguere. — Primus hujus plantae observator est *Leche*, sed plantam tum temporis novam pro *Atr. laciniata* habuit et vera ratio est, icones hujus apud Patres aeque bene hanc referre, ut ab A. *rosea* diversisissimae sint.

Hunc secutus est Linn. in Fl. Suecica, ubi luce clarius hanc solam sub A. *laciniata* designavit. Accepta vero dein vera A. *laciniata*, hanc optime ad A. *hatatam* retulit in herbario, unde tot controversiae!

* A. *microtheca* Rafn. valvulis foliisque subtus candicantibus latioribus. A. *oppositifolia.* Dec. A. latifolia. *Sv. Bot. t.* 628. A. triangularis. *Willd.* Locis salsis sublimosis ad maris litora. Variat ut affines valvulis dorso laevibus et muricatis. Plures e recentius distinctas Atriplices apud nos crescere certum est. *Odoro duplicem speciem* sub A. *hastata* latentem, sed aliis rationibus, ac hactenus factum est, distinguendas.

692. A. *patula* L. divaricata, valvulis rhomboideis integris. In cultis, aggeribus, campis et litore marino ubique. Folia superiora prioris semper angustiora: A. *angustifolia* Smith. Mire variant, etiam dorso muricata, minus divaricata: A. *erecta* Smith. Seorsim notandae priori respondentes:

β. *phyllotheca*, decumbens, valv. foliaceis integris. Inter *A. calothecam* in Atriplicetis litoralibus herbaque eximie succosa et salsa cum eadem conveniens, sed directio ramorum, folia angustiora, valvulae nudae integerrimae ut in vulgari, sed majores quam in ipsa A. *calotheca*, unciales usque. Utramque e solo esse enatam certum est.

γ. *farinosa* prostrata, valvulis minimis dorso foliisque angustis argenteo-lepidotis.
Locis sterilibus ad litus marinum. Respondet A. *microthecae* Rafn.

693. A. *litoralis* L. erecta, valvulis glomerulosis muricatis. In atriplicetis, quorum magnam partem constituit, haec foliis linearibus subintegris facile dignoscitur, copiosissima quidem ad Öresund usque ad Båstad, sed etiam ad litora orientalia et viridis, minus succosa, valvulis subnudis locis pinguibus campestribus ut in agris et ad Lund in plateis squalidis.

* A. *marina.* L. foliis serrato-dentatis, valv. farinosis. Locis similibus, cum var. γ prioris analoga.

694. HALYMUS *pedunculatus* W. Atriplex. L.
Ad litora freti Öresund ut Skanör, Hammar, Hvellinge

Gessige, Landskrona (Retz. Obs. 1. 27.) Hven, Helsingborg (Leche), Kullen. Hanc esse A. *Portulacoides* Linn. Suec. primus observavit Forsander.

CHENOPODIUM. Acutissimus C. A. Meyer in Flora Altaica distinguit species, * *semine verticali* (695, 696), quae ad Blitum ducit (et re ipsa saepius 1-2-andrum Ch. *rubrum* Blito simillimum saepe fit) a reliquis ** *semine horizontali*. (697-703.)

695. C. *Bonus Henricus* L. foliis 3-angulis integerr.
Ad vias, saepes, pagos ubique.

696. C. *rubrum* L. foliis rhombeis sinuato-dentatis.
Solo pingui ad pagos. Exstat forma *Blito virgato* simillima, quam pro Bl. *Chenopodioidi* L. (e Succia!) habeo; num ipsa species sub hoc nomine olim proponenda?
* C. *crassifolium* Schrad. foliis latioribus crassiorib.
In Atriplicetis succosis, [specimina servo ad Hvellinge lecta] minus, diffusum, glomerulis magis condensatis, unde C. *botryoides* Smith. Vivum, a priori non distinguens, haud satis caute observavi quare hoc modo, ut accuratius observetur, notavi. Analogum quoque videtur Atriplic. salsis.

697. C. *urbicum* L. foliis triangular. dentatis.
Ad urbes et pagos campestres usque ad Båstad.

698. C. *murale* L. foliis ovatis, cymis nudis divaric.
Ad urbes et pagos campestres per omnem planitiem australem (copiose ad Trelleborg), Malmogiensem, Lundensem et per Kjeflinge, W. Karaby abit in Landskronensem (Leche.) Vulgo folia dentata sed habeo var. *salinam* crassifoliam, foliis integerrimis.

699. C. *hybridum* L. foliis angulosis nudis, cymis prior.
In cultis Scaniae totius passim. [Inquiratur sq. proximum C. *opulifolium* Schr. foliis ovatis trilobatis.]

700. C. *album* L. erectum, foliis rhombeo-ovatis dentatis, summis integerrimis.
Ubique solo culto, in aggeribus sub quadruplici varietate: α) spicis alaribus, glomeratis, abbreviatis farinosis; β. *virescens*, spicis ramosis pyramidato-confertis; γ. C. *viride* L., spicis ramosis elongatis terminalibus aphyllis excurvis (ut in Ch. *hybrido*); δ. *glomerulosum*, spicis

simplicibus terminalibus strictis aphyllis interrupte glomeruliferis. Ultimae duae varr. vix farinosae, laete virides, prope Lund frequentes.

† Ch. *ficifolium* Sm. foliis hastato-trilobis erosis, seminibus excavato-punctatis.

Ad Lund semel sat copiose lectum, dein frustra quaesitum.

701. C. *glaucum* L. diffusum, foliis oblongis repandis.
Locis squalidis ad pagos, fimeta, litus marinum, praecipue in plaga occident. Folia inodora, subtus pulverulenta.

702. C. *Vulvaria* L. diffusum, foliis rhombeo-ovatis integerr.
In plateis, ad vias urbium et pagorum passim copiose v. c. ad Landskrona, Löddeköping, Lund, L. Hammar, Ystad (I. S. 264), Kåseberga etc. Odor fastibilis, folia pulverulenta.

703. C. *polyspermum*, L. foliis ovatis integerrimis nudis.
In saepibus, cultis passim. Flores in cymis aphyllis divaricatis alaribus, sed in var. *acutifolia* conglomerati.

704. SCHOBERIA *maritima* C. A. Mey. foliis muticis.
Ad litora maris minime rara; copiosa ad Hvellinge, Malmö, Lundåkra, Helsingborg (Leche) Kullen etc. *Chenop. maritimum.* L — [Similis est KOCHIA *hirsuta*; in Atriplicetis Daniae obvia, sed praeter fructum Chenopodii, embryone Salsolae, recedit herba villosa, ramis fertilibus maturis spiraliter tortis-inquirenda.]

705. SALSOLA *Kali* L. foliis spinoso-mucronatis.
In litore maris arenoso hinc inde a Båstad ad Lomma et Hvellinge minime rara, majori vero copia ad litus australe et orientale, ut Skanör, Beddinge (I. S. 227, 248), Böste, Kalthus, Dybäck, Sandhammar, Kivik, Raflunda (It. Scan. 126), Åhus.

706. SALICORNIA *herbacea* L. internodiis obconicis.
In litore marino nunc *adscendens* erectave, nunc *patula*, nunc minor *prostrata* simplicior et rubens, passim; copiose ad Landskrona, Malmö, L. Hammar, Skanör Trelleborg etc.

* S. *radicans* Smith. erecta, basi lignosa radicansque, internodiis cylindricis. S. fruticosa. *Retz. Prodr. Scand.* 2. *n.* 2.

In insula Hven. *Retz! Herb.* In Scania a me non visa

[sed copiose in sinu maris ad Onsala Hallandiae, et in *ipso mari* nascens sine transitu vidi]. Priori multo major, omnium quidem consensu distincta, sed cum nemini vitio vertatur diversa conjungere, priori subjunximus mirantes potius omnes tam facilem viam haud sequi. Directi transitus observatu si difficiles, faciles inventu analogiae et theoreticae explicationes. S. *radicantem* v. c. inde ortam dicere possumus, quod in mari nascitur indeque basis a frigore arcetur et persistit.

SERIES IV. *Incompletae.*

(Vulgo Apetalae)

Flores variis rationibus incompleti et inconditi, praecipue recedentes *defectu tori*. Perianthium nullum l. asymetricum squamaceo-imbricatum, nec verticillatum l. e bracteis coalitis concentratis simplex, nunc corollinum, nunc calycinum. Stamina non a toro incrassato, ut in omnibus praecedentibus, sed e perianthio l. rachi orta. *Flores multis definite diclines indeque difformes.*

Haec infima, variisque rationibus atypica Dicotyledonearum series facile a prioribus dignoscitur, sed ob ipsius varietatem aegre verbis s. *charactere communi*, licet singula classis a prioribus facillime, limitatur. Typice adest *perianthium tantum e bracteis formatum*, nisi prorsus deficiat. Vulgo *Apetalae* dicuntur et quidem recte, licet multae apetalae huc non referendae sint, nam etiam his torus distinctus e pedunculi apice incrassato et dilatato ortus, a medulla pro staminum et *petalorum* formatione aucta. Hujus praesentia semper indicat florem typice l. in potestate completum; hujus *defectus* hanc seriem praecipue distinguit. Possunt enim etiam in hac classe bracteae s. squamae duplicatae et corollinae evadere ut in multis *Amentaceis*, *Iuglandeis*, e. s. p., quas exinde ad perfectiores series haud referes. Plura exempla infra — et in hujus seriei limitatione, nulla ratione ad petalorum praesentiam habita, verum systematis progressum vidimus.

Classes e perianthio s. bracteis gamosepalo-concentralis staminibus epi-l. perigynis (*Bracteiflorae*), bracteis squamaceis *imbricatis* inflorescentia amentacea (*Iuliflorae*); perianthio obsoleto aut nullo (*Nudiflorae*). Singula classis ita descendit ad Cryptogamas, ut Linnaeus *Ficum* Bracteiflorarum, *Equisetum* Juliflorarum, *Charam* Nudiflorarum in Cryptogamia receperit.

Classis X. BRACTEIFLORAE.

(S. potius *Perigoniflorae*, voce licet hybrida.)

Char. Perianthium simplex, concentricum, vulgo rude corollinum sed peri nthio interiori discreto ob torum haud dilatatum l. incrassatum absolute carent. Stamina e germine l. perianthio, nullo mediante toro, enata, opposita.

A sequentibus mox differunt perianthio evidenti concentrico et gamosepalo, staminumque situ. Eisdem haud toro centrali insertis a *Centrifloris* apetalis, alias sat similibus, sed vere calycinis!, mox dignoscuntur. Analogia major cum *Faucifloris*, ut adhuc nesciamus an *Combretaceae*, *Thymeleis* affines, haud melius huc ducantur. Eadem enim ratione sequentes classes ordinibus ambigue petaliferis incipiunt. Clavis familiarum, in nostra Flora mire pauperum. *Fructus* 1) *monostigmaticus*, semine subpendulo = L. VEPRECULAE, 2) *syncarpus*, *stigmatibus pluribus*, staminibus epigynis in flore hermaphrodito = LI. ARISTOLOCHIEAE l. perigynis in flore diclini = LII. CUCURBITACEAE 3) *schizocarpus* in receptaculo communi = ARTOCARPEAE (cultae tantum) 4) *simplex*, centralis, *semine erecto* = LIII. URTICEAE.

Fam. L. VEPRECULAE. L. Whlnb.

Char. Perianthium tubulosum, intus saltim coloratum, limbo saepius 4-partito. lobis per aestivationem imbricatis l. valvatis (in *Thesio*). Stamina definita (2, 4, 8) filamentis brevibus perianthii fauce inserta, lobis numero aequalia s. duplo pauciora vel plura, tum opposita. Stylus 1, stigmate simplici. Fructus drupaceus, monospermus. Semen typice pendulum, albumine car-

noso interdum nullo, embryone axili recto. *Plurimae frutices, paucae herbae, foliis integris exstipulatis, floribus sub-fasciculatis saepius hermaphroditis.*

In Flora Suecica, praeeunte Ill. *Wahlenbergio*, conjunctas tractare possumus familiolas *Thymelaeas* (perianthio corollino, fructu libero), *Elaeagneas*, (perianthio, cum tori indice, extus rudi, semine fructus liberi quasi erecto) et *Santalaceas* [perianthio persistente valvato ovario adnato], cum e singula unicum tantum nobis genus omnesque ad ordinem *Monostylum* hujus classis pertineant. Frequentes enim terras calidiores inhabitant, et potissimum hemisphaeram australem, cui maxime simul affinis et vastissima *Proteacearum* familia omnino priva est. Octandrum, *Thymelaeum* genus = *Daphne*, in Scania tantum certum est; sporadicum tantum dioicum, tetrandrum Elaeagneum = *Hippophaë*; incertum Santalaceum = *Thesium*.

707. DAPHNE *Mezereum* L.

In silvis humidis nemorosisque per maximam Scaniae partem, at non ubique, copiose ad Bosarp etc. prope Ringsjö, ad Lindholmen, Anderslöf reliquisque silvis jugorum a Romeleklint exeuntium.

† HIPPOPHAë *Rhamnoides.* L.

Quosdam frutices, in litore ad Beddinge enatos, in hortos introduxerunt perituros. [Sat copiose in oppositis Germaniae litoribus.]

"THESIUM *Linophyllum*" L. (T. ebracteatum Hayn., in Selandia et Germ. boreali obvium, potissimum). Rumor est in Gothungia nasci, sed falso ut Auctor citatur *Retzius*, qui Th. *Linophyllum* e Linn. Fl. Suec. tantum recepit nec Thesium ullum in Scania novit. Cfr. *Ejusd. Fl. Oecon.* In Herbar. Liljebladii servantur specimina, quibus saltim adscriptus est locus; *Scania.*

Fam. LI. ARISTOLOCHIEAE. Juss.

Char. Perianthium simplex, germini adnatum, intus saltim coloratum, limbo integro lingulato aut 3-6 partito. Stamina definita, 6, 12, epigyna. Styli tot, quot ovaria, sed conjuncta et cum staminibus monadelpha, stigmatibus discretis radiantibus. Ovaria 6, arcte connata calyceque inclusa in germen inferum, mutan-

dum in fructum baccatum l. capsularem 6-locularem, loculis polyspermis. Semina albuminosa. *Frutices l. herbae subarticulatae perennes, foliis exstipulatis glabris basi subcordatis, floribus axillaribus hermaphroditis.*

Familia potissimum tropica, potius facile pro Scizocarpica sumenda. Limbus perianthii tripartitus = *Asarum*; l. lingulatus = *Aristolochia.* [Aut utrumque aut neutrum genus ad Gynandriam referendum.]

708. ASARUM *europaeum* L.

Locis umbrosis humosis ad latera Romeleklint raro, nempe ad Heckeberga (Leche et adhuc reperiundum,) et Björstorp. [Tirones cotyledones Fagi pro hac planta saepe sumunt!]

† ARISTOLOCHIA *Clematitis.* L.

In aggeribus ad Helsingborg olim. *Forskåhl* ex Linn. Faun. Suec. 2.–Hi aggeres jam pridem cum ipsa planta l. c. evanuerunt. Sed in hortis neglectis ipsoque horto Botanico Lundensi radicibus longe repentibus vitium est.

Fam. LII. CUCURBITACEAE. Juss.

Char. Flores diclines. Perianthium simplex, marcescens, plus minus profunde 5. l. 10-partitum; tum laciniis alternis calycinis, alternis corollinis (sed corolla discreta non adest, ut optime videre licet in Bryonia), per aestivationem imbricatis; maris, absque ovarii rudimento, staminiferum. Stamina 5, saepe mono- l. triadelpha, antherisque passim cohaerentibus, passim liberis. Stigmata tot, quot ovaria connata s. placentae. Fructus compositus, indehiscens, *inferus*, plurimis pulposus (pepo) placentis parietalibus, polyspermis, raro monospermis. Albumen nullum. *Herbae, plurimae scandentes et cirrhiferae; stipulae nullae; folia subpalmata, hispido-scabra; inflorescentia varie aggregata.*

Vasta in tropicis familia, una cum variis tam affinibus, quam analogis. Nobis unicum superest genus typicum, cirrhiferum, inflorescentia racemosa, perianthio 10-fido, staminibus triadelphis, quinto nempe libero, stylo trifido, fructu baccato = *Bryonia*; alterum recedens cirrhorum defectu, inflorescentia ♂ capitata involucrata (incolucrum in multis

genuinis simul adest), perianthio 5-fido, antheris liberis; ♀ biflora, stigmat. 2, ovariis in fructum birostrem extus muricatum bilocularem dispermum coalescentibus = *Xanthium*. (Mihi cum Cel. Reichenbach *ex hac regione* potissimum videtur, olim vulgo *Urticeis*, hodie vulgo *Synantheris* adscriptum.)

709. BRYONIA *alba* L. floribus monoicis.
Ad saepes Scaniae totius passim, Lundae in Sandgatan. Copiosissima vero in plaga orientali ut ad Widsköfle, Raflunda (It. Scan. 112), Degeberga, Sönnerslöf etc.

710. XANTHIUM *Strumarium* L.
Olim copiose ad Lund et Ystad (Leche, L. It. Scan. 171.) His locis evanuit (sed maxime luxuriat *Dipsacus*, in multis vetustis herbariis pro *Xanthio* obvius) ad Landskrona superstes *Retz. Fl. Oec. p.* 776. Sed nec hoc loco post 1805, quo anno lectum servo, observatum noro, facile tamen ad pagos campestres, *Verbenae* more, delitescit, hinc festinanter excludere non debui, cum insuper circa Hafniam et in Germania boreali minime rarum, in Ölandia vero sporadicum, viderim.

Familiae, quae sequentur *schizocarpae*, nempe *Artocarpeae* (e quibus sub dio! culta genera *Ficus* et *Morus*) et *Monimieae* apud nos desiderantur.

Fam. LIII. URTICEAE. Juss.

Char. Flores diclines s. definite polygami. Perianthium herbaceum, calycinum difforme: ♂ 3-5-vulgo 4-partitum, staminiferum; ♀ varium obsoletumve. Stamina libera, perianthii lobis numero aequalia et opposita. Styli 2, basi l. omnino conjuncti, stigmatibus totidem saepe penicillatis. Fructus superus (perianthio tamen saepe inclusus), simplex, centralis, unilocularis, vulgo nucamentaceus. Semen erectum, albumine subnullo. *Herbae, paucae exoticae fruticosae, saepe stipulatae, ramis suboppositis* (ut folia typice), *foliis scabris integris aut palmato-divisis. Inflorescentia aggregata, in amentaceam sensim transiens.*

Plantae hujus familiae, quarum multae stimulis armatae, in tropicis admodum luxuriant, in frigidioribus vero numero admodum decrescunt. Locus analogas familias praecedentium

classium indicat nec praetervidenda sunt stamina in prima tribu induplicata ut in Plantagineis. Tribus:

I. URT. *verae.* Perianthium masculum (in nostris) 4-partitum. Stamina 4, primo induplicata, irritabilia. Embryo rectus.

II. CANNABINEAE. Perianthium ♂ 5-partitum. Stam. 5, recta, non irritabilia. Embryo curvatus l. spiralis.

I. URTICEAE verae. Flores omnes diclines, nuce nuda = *Urtica*; hermaphroditi immixti, nuce perianthio aucto recepta = *Parietaria*.

711. URTICA *urens* L. monoica, foliis ovatis.
Ubique in cultis, annua.

712. U. *dioica* L., foliis cordatis.
Ubique in silvaticis, ruderatis, ad saepes. Var. *holosericea* in nemoribus fertilibus umbrosis.

713. PARIETARIA *officinalis* L.
In saepibus lapideis ipsisque plateis ad Cimbritshamn copiose, sed vulgo depasta, ut rara specimina integra. Ad Malmö locis cultis parce.

II. CANNABINEAE. *Flores dioici, feminei* 1) axillari-geminati, perianthio spathaceo-fisso, nucem emittente = *Canabis*; 2) plures, singulis bracteatis, aggregati sub squamis maximis in amento strobilaceo, nuce e perianthii apice emersa = *Humulus*.

† CANNABIS *sativa* L.
A Retzio inter indigenas recepta nec quidem rara ad fimeta, vias etc. sed sporadica, haud majori jure in Flora nostra servanda ac reliqua cerealia.

714. HUMULUS *Lupulus* L.
In Scania silvestri, frequens in Gothungia, Ifö, ad W. Wram, Maglaby, Snogeholm, Heckeberga (I. S. 280) Gillesgrufvan; in occidentalibus vero rarescit.

Ulmus, media quasi inter hanc et sequentem classem, sub hac recepta est. Fructu syncarpo etc. ab Urticeis recedit.

Classis XI. JULIFLORAE.

Char. Flores diclines l. polygami, in receptaculo communi (*amento*) simplici aut ramoso, basi l. inter flo-

res squamoso-bracteato, congesti. Torus nullus. Perianthium propium accidentale, e squamis alternis s. bracteolis formatum, irregulare aut nullum. Stamina ex amento ipso l. bracteis squamosis enata. *Arbores l. frutices, anthesi praecoci ante folia rite explicata.* Accedit Cryptogamum aphyllum *Equisetum*, subherbaceum.

Classis distinctu facillima, inflorescentia et floribus squamosis, centrum hujus seriei. Dignoscuntur familiae *fructibus* 1) *syncarpis*, monostigmaticis = LIV. FRAXINEAE l. 2-3 stigmaticis, ovariis perianthio foemineo utriculatis = LV. AMENTACEAE; 2) pluribus discretis capsularibus polyspermis in receptaculo communi absque perianthio partiali, hinc *schizocarpi* dicendis = LVI. SALICINEAE; 3) *holocarpis*, distigmaticis = LVII. MYRICEAE, monostigmaticis = LVIII. CONIFERAE, quibus appendicis loco subjungitur astigmaticum = EQUISETUM.

Fam. LIV. FRAXINEAE.

Char. Flores polygami, in amento paniculato soluti; amentis praecocibus basi aphyllis ibidem tantum squamis oppositis bracteati; amentis ramulis foliosis pedunculatis singuli simplici l. duplici squamarum quaternatarum serie involucrati. Stamina 2, libera, pedicellorum apici inserta. Stylus 1, stigmate simplici. Fructus a duobus ovariis connatus, samara bilocularis, loculis monospermis. Albumen corneum; embryo rectus. *Arbores, ramis foliisque oppositis, exstipulatis, imparipinnatis integrisve.*

In nostra *Fraxino* amenta praecocia, indeque nullum perianthium partiale. In aliis vero adsunt squamae calycem, in aliis (*Orno*) et calycem et corollam mentientes, sed perianthium tam accidentale spurium censeamus *). Ex hoc

*) Squamas et calycinas et corollinas accidentales formari posse in veris *Julifloris* testantur non tantum *Ulmaceae*, sed etiam amenta feminea *Juglandis* (*Juglandineas* absque haesitatione omni ad hanc classem refero, vegetatione Fraxini, fructu Cupuliferarum proximo) *Betulae* e. s. p.

vero vulgo referuntur ad Corollifloras, at nec sic dicta sepala toro unita nec petala vere coalita, nec stamina eisdem inserta, ceterumque fructu samaraceo, loculis monospermis, albumine corneo etc. a *Jasmineis* abunde diversa videntur.

715. FRAXINUS *excelsior*. L.

In Scania silvestri, sed etiam in nemoribus campestribus ut in territorio Ingelstad, ad Hörte (Leche) Alnarp (R. Fl. Oec. 264); ubique ceterum plantata.

Sequuntur *Juglandineae* Dc. si a sq. separandae. *Juglans regia* copiose culta.

Fam. LV. AMENTACEAE L. Juss. (pr. p.)

Char. Flores monoici, raro androgyni, amentacei, squamis insidentes l. bracteati. Perianthium partiale vagum, squamaceo-concretum l. nullum; in femineis germini adcretum. Nectaria 0. Stamina definita, libera, numero quinario l. saepius quaternario simplici l. multiplicato. Styli tot, quot ovaria connata, basi conjuncti (rubelli). Fructus *ex ovariis* 2 *aut pluribus connatus*, sed abortu vulgo unilocularis, monospermus, nucamentaceus, perianthio plus minus manifeste inclusus. Semen pendulum, exalbuminosum, radicula versus apicem. *Arbores l. frutices ramis foliisque sparsis, his planis, penninerviis, in nostris deciduis; multis vero exoticis sempervirentibus. Stipulae liberae, marcescentes.*

Vasta familia, praecipue in temperatis et frigidioribus Americae et Asiae specierum copia excellens, apud nos vero, licet plurimas silvas et nemora sistet, e singulo genere unica tantum species. Vulgo separantur *Cupuliferae* et *Betulinae*, sed Carpinus est media ratio, quare has ut tribus aeque ac *Ulmeas*, a Decandolleo a Betulinis haud separatas, proponimus.

I. CUPULIFERAE. Squamae femineae inferiores vacuae in cupulam connatae. Fructus, nux, perianthio manifeste includitur.

II. ULMEAE. Squamae (floris androgyni l. abortu diclinis) in perianthium spurium et rude connatae. Fructus samaroideus, membranaceo-compressus e perianthio ♀ laxe cingente. Quasi *Betula* inversa.

III. BETULINAE. Squamae femineae conformes, 2-3-flo-

rae, masculae peltato-coalitae. Fructus, nucula, perianthio haud discernendo arcte inclusus.

I. CUPULIFERAE. Arbores glandiferae l. nuciferae, nempe *Quercus*, amentis filiformibus e gemmis foliiferis, floribus distinctis, ♂ 5-10-andris, perianthio 5-fido ♀ tristigmaticis, involucro imbricato-connato truncato lignescente, perianthio 6-dentato ovario adnato; *Fagus*, amentis capitatis, e gemmis foliiferis lateralibus, floribus ♂ 8-12-andris, perianthio 6-fido; ♀ binis perfectis tristylis, involucro lignescente quadrivalvi includente nuces binatas triquetras: *Corylus*, amentis ♂ denudatis, cylindricis, terminalibus, squamis cuneato-rhombeis imbricatis, gerentibus squamulas 2 trilobas perianthii, singula tetrandra; ♀ laterali-gemmaceis, haud exsertis, floribus sub squamis geminis distylis, nuce calyce foliaceo involucrata: *Carpinus*, amentis gemmaceis, laxe imbricatis, ♂ sessilibus, squamis subrotundo-concavis integerrimis versus apicem pubentem sphacelatis, infimis sterilibus, reliquis 8-16-andris absque perianthio; ♀ folioso-pedunculatis, squamis e basi ovata amplectente in apicem longissimum subreflexum attenuatis, bifloris, germine sessili lanato compresso-emarginato, perianthio nempe utriculato, unde nux costata involucro aperto recepta apice denticulata.

716. QUERCUS *Robur* L. * pedunculata.
Passim in silvis, ipsave silvas sistit v. c. Reften.
* Q. *sessilifolia*, glandibus sessilibus.
Solo macro [unde vulgatissima in provinciis occidentalibus interioribus], a quo omnino orta.

717. FAGUS *silvatica*. L.
Vastissimas et magnificas silvas, praecipue in jugis montanis, sistit, sed olim frequentiores, in hodiernos campos frugiferos descendentes, v. c. jam ante seculum fagetum in arvis borealibus Lundensibus.
E proximo genere, CASTANEA, colitur C. *vesca*, sed bis terve tantum nuces perfectas protulit.

718. CORYLUS *Avellana* L. nuce ovoidea.
Ubique in frutetis, sed horum numerus et ambitus quotannis cultura minuitur et cum his multae plantae rarescunt v. c. *Vicia dumetorum*, *Betonica* etc. [Colitur C. *tubulosa*, nuce cylindrica.] Floret saepe Febr.

719. CARPINUS *Betulus* L.
Frutescens per omnem Scaniam, dispersa, sed arborescens venustissimas silvas constituit in lateribus Romeleklint a Gillesgrufvan ad Krageholm et Benestad; inter Skarhult et Ringsjö; ad S. Åsen ad Wrams-Gunnarstorp, ad Ask; passimque in Scania orientali.

II. ULMEAE. Nobis unicum genus (*Celtis* vero colitur) essentialibus omnibus fructificationis partibus ceteris amentaceis simillimum, sed inflorescentia fasciculata (aliis vero hujus tribus perfecte racemosa) recedens. Perianthium ♂ cum Quercus v. g. comparandum, in centro gerit ☿ Betulae, hinc flos androgynus ut in *Euphorbia*.

720. ULMUS *campestris* L.
In silvaticis frequens fera — et ubique ad pagos et urbes sativa; *Ulmus major* Sm. intercurrit. In plateis ad Skanör folia laevia, glaberrima, nitida.

III. BETULINEAE. Duo tantum genera, a Linnaeo sub Betula juncta: 1) *Betula*, amentis cylindricis elongatis, ♂ (2-3) in ramulis terminalibus denudatis, sessilibus, squamis pedicellatis peltatis subquadratis biauriculatis, foventibus perianthium triphyllum staminaque ter quaterna (12); ☿ e gemmis lateralibus pedunculo foliato bracteatoque, solitariis erectis (hinc pulcherrime arcuatis in var. pendula), squamis squarrosis dilatatis demum trilobis 2-3 floris, perianthio vix conspicuo, fructu alato (germine viridi): 2) *Alnus*, amentis utriusque sexus (quaternis) in pedunculo ramoso approximatis, denudatis, ♂ cylindricis pendulis, squamis primo stipatis (nec imbricatis) peltatis e pluribus coalitis, angulosis, trifloris, squamulis stam. 4 foventibus, ♀ inferiora, elliptica, erecta, squamis subbifloris imbricatis ovato-subrotundis, dein spathulatis in strobilum induratis, fructu compresso aptero.

721. BETULA *alba*. L.
In omni Scania boreali, in S. Åsen, in regione circa Höör etc. copiose, sed in parte meridionali admodum rarescit. In varietate primaria rami resinoso-verrucosi; in B. *pubescente* Ehrh. in dumetis udis pubescentes; in B. *glutinosa* Wallr., circa Rösjöholm saltim lecta, laeves, vernicei. Has tres plurimi distinguunt.

722. ALNUS *glutinosa*. Willd. foliis utrinque viridibus.
Ad aquas Scaniae silvaticae passim. Ad S. Rörum, territorii Albo, juxta litus marinum forma repens, humifusa, valde singularis. [A. *incana* W., foliis subtus canovillosis, copiose aliquot locis culta.]
E plerisque generibus hujus familiae multae exoticae species simul coluntur.

Fam. LVI. SALICINEAE. Rich.

Char. Flores dioici, spicato-amentacei, singuli squama simplici bracteati. Perianthium o.!, nisi glandulas l. squamulam nectariferas huc trahere lubet. Stamina typice libera. Stigmata 2 saepe partita. Fructus: capsula unilocularis bivalvis Semina numerosa, valvulis medio placentiferis inserta, basi papposa, albumine nullo. *Arbores l. frutices, foliis simplicibus, alternis, stipulis liberis.*

Haec familia, praecipue borealis, non nisi improprie *Schizocarpica* dicitur ob capsulas bivalves, ad suturam haud placentiferas, nec nisi monstrosas videre licet capsulas vere schizocarpicas. Genera: *Populus*, nectario squamaceo-spathulato in superiori laminae parte antheris indefinitis subsessilibus tecto basique connexo cum pedicello squamarum imbricatarum. *Salix* nectario glanduloso, staminibus definitis (vulgo 2) squamisque sessilibus discretis.

723. POPULUS *nigra* L. patula, foliis deltoideis.
Ad pagos et ripas passim, antiquitus in Flora nostra recepta, licet non nisi ♂ plantatus occurrat. [P. *dilatata*, ramis virgatis arrectis diversa, ad vias et praedia colitur.]
┼ P. *monilifera* Ait. foliis subcordatis.
Ad vias plantata v. c. ad Lund — et in ipsa arena volatili inter Ystad et ostium Köpinge â fruticosa ut facile spontaneam credas. [P. *balsamifera* L. foliis ovatis — in arboretis.]

724. P. *tremula* L. foliis suborbiculatis glabrescentibus.
Per maximam Scaniae silvestris partem, vasta nemora ex hac arbore circa Ingelstorp etc. Varietas foliis magis villosis in Ifö, an P. *villosa* Lang.? sed fruticosa.

725. P. *alba* L. foliis cordato-subrotundis, subtus niveo-toment.
Locis humidis aquosis, raro, sed videtur indigena v. c. circa Krageholm variis locis; integra silvula in insula Hamburg; ad Oppmanna sjö prope Bäckaskog parcior. P. *canescens* Sm. passim plantata; etiam locis incultis, v. c. ad Lund (v. vallen).
SALIX. Vastissimi hujus generis duas habemus sectiones naturales; * *Amerina* (*Pil*), nectariis geminis (726—730) et ** *Vetrix* (*Vide* dicta) nectariis solitariis (731—745). Harum aliae frutices *viminales* stricti (731—735); aliae frutices torulosi emersi divergentes (736—740) alii fruticuli, trunco subterraneo, humifusi (741—745). Cultas a spontaneis difficillimum est discernere; multae illarum his etiam locis incultis vulgatiores sunt. Cfr. Nov. Mant. 1. — *Ubi de staminum numero nulla mentio, diandrae.*
726. * S. *pentandra* L. pentandra, petiolo multiglanduloso. Ubique in campis paludosis. Raro culta, arborescens, *Vekarepil* Scanis.
727. S. *amygdalina* L. triandra, foliis ovato-oblongis. Tam ad fluviorum ripas v. c. Borreby, quam in saepibus rarior; sed in toto angulo orientali-meridionali, ut ad Glemminge, Ingelstorp, haec in salicetis est vulgatissima et fere unica species. Introductam censeo, cum ♀ desideratur. Scanis *Bandpil.*
728. S. *fragilis* L. foliis lanceolato-acuminatis, serioribus sericeis, amentis pendulis.
Ad vias et pagos ♂, at rarior; copiose circa Weberöd. Hujus sane nullum individuum hominum manu primitus non plantatum apud nos occurrit. *Knäckepil* Scanis.
729. S. *viridis* Fr. foliis lanceol. glaberrimis, amentis erectis. Ad vias etc. ubique, sed uterque sexus, et in humidis locis spontanea. *Grön-pil* Scanis.
730. S. *alba* L. foliis lanceolatis sericeis, amentis interrupt. Vulgatissima arbor (♂ et ♀ paulo rarior) per omnem Scaniam campestrem; primitus tamen ubique plantata. *Hvit-pil* Scanis.
** 731. S. *purpurea* L. monandra, foliis planis, *imis oppositis* glabris.

In Scania boreali-occidentali ad ripas et in campis humidis e tota facie spontanea v. c. Kullaberg, Ingelstorp, Vegeholm; sed ubique fere colitur et ♀ tantum a me visa. *Amenti squamae nigrae.* Varietates plures. Scanis *Rödvide*, virgulae *Rödviar.* (S. *rubra*, similis, vimina praestantiora enitens, sed antheris discretis, foliisque sparsis diversa — raro colitur.)

732. S. *undulata* Ehrh., foliis lanceolatis undulatis glabris. Raro ♀ culta in Scania sed ob elegantiam et vimina praestantissima ceteris facile praeferenda; hanc in aliis provinciis Patriae magis inquilinam factam vidi. Nonnullis *Gulvide. Amenti squamae virescentes.*

733. S. *mollissima* Ehrh. foliis lineari-lanceolatis planis, subtus adpresse pilosis viridibus.
In salicetis ♀, cum sequente rarior, a qua vulgus nomine haud distinguit. *Amenti squamae testaceae.*

734. S. *viminalis* L. foliis linearibus revolutis, subtus albis. In saepibus salicinis. ♂ et ♀, copiosissima, e seminibus quoque enatam vidi. In desertis arenosis maritimis nunc fera apparet, sed ad arenam volatilem coërcendam primitus plantata. Scanis *Korgvide*, *Bandvide.* Var. *latifolia* Retz. Supl. est S. *stipularis* Smith.

735. S. *lanceolata*, foliis ovato-lanceolatis subtus canovillosis. In paludosis circa Ystad fruticosa; indigenam dicerem si marem vidissem; ubique culta et saepe arborea. Scanis *Bandvide*, (arborescens *Holländsk Bandpil*), sed periti oeconomi me certiorem fecere S. *Amygdalinam* esse genuinam, antiquitus *Bandpil* dictam.

Salicum systematica cultura, secundum cerealia maxime insignis oeconomiae privatae pars in Scauia, huic provinciae adhuc fere priva videtur — indeque incolae, contra morem, species tam subtiliter et accurate distinguunt. Plantatae sunt non tantum ad omnes vias, saepes, sed etiam in paludosis, desertis arenosis maritimis e. s. p. et semel introductae sine omni cura persistunt et multiplicantur. Utrum *antecedentes, quae omnes sativae*, introductae sint vel spontaneae, aegre saepe Botanicus, numquam tiro, dijudicare valet, hinc more recepto in Flora nostra servavi, licet multae numquam *proprio semine* multiplicentur. *Sequentes mere silvestres* [S. *Capraeam* tamen aliquot locis cultam vidi] magis mul-

tiformes. Cfr *Nov. Mant. l.* c. Seriem hoc loco ad Scanicas formas aptavi.

736. S. *Capraea.* L. foliis ovalibus subtus villosis, amentis ovatis.
In sylvis Scaniae totius; copiosior in Gothungia. *Sall*, *Sällevide* Scanis.

737. S. *aurita* L. foliis obovatis reticulato-rugosis, amentis oblongis.
In silvis et campis uliginosis campestribus, vulgatissima species. *Markvide* Scanis, i. e. Vetrix camporum incultorum.

738. S. *cinerea* L. foliis oblongis rugulosis cano-villosis, amentis cylindricis.
In silvis paludosis alibique, praecedente rarior. Scanis *Gråvide*. Ramuli crassiores et gemmae villosae; prioris glabrae. [S. *silesiacam*, aliarum provinc. occid. civem, puto me vidisse ad Hässlunda inter sequ., sed omnia specimina Scanica periverunt. Media inter praecedentem, foliis novellis ferrugineō-maculatis crispato-villosis, et sq. foliis adultis glabris, sed haud nigricantibus.]

739. S. *nigricans* Smith, foliis oblongis repando-serratis glabratis, amentis sessilibus aphyllis.
Admodum copiosa in regione orientali circa Helgeâ ab Ârup ad Lillö; dein in campis uliginosis Scaniae occidentalis ad Hässlunda. Variabilis, sicca nigricans. Scanis *Grönvide*.

740. S. *hastata* L. foliis ovatis glabris insigniter stipulatis, amentis folioso-pedunculatis, capsulis glabris.
Pumila apud nos, tam in paludibus profundis v. c. Borreby, quam parcior in arena ad Kulla-Gunnarstorp.

741. S. *depressa* L. *γ. bicolor*, foliis ovalibus glabris subtus glaucis, amentis laxis, capsulis sericeis.
Circa Helgeâ; copiose ad Âsum. Primus legit in Scania Prof. *Åkerman*. Apud nos humifusa, in Lapponia arborescens, foliis villosis etc.

742. S. *incubacea* L. foliis obovato-ellipticis, nervis depressis lineato-plicatis, amentis densis bracteatis.
In paludosis humidisque Scaniae borealis; ad Rosenhult copiose. S. *plicata* Fl. Hall. Non cum pumilis S. *auri-*

tae formis confundenda; vegetatio et capsulae breves tumidae magnopere distinguunt genuinam. Smolandis cum sq. *Jordvide*.

743. S. *repens* L. foliis subellipticis nitidis elevato-nervosis, amentis cylindricis.
Ubique in pascuis macris, mire varia foliis, locis inundatis, glaberrimis et in arenosis maritimis utrinque argenteo-villosis (*Salix argentea* Smith); orbiculatis per omnes modificationes ad linearia. In hoc statu a multis falso pro S. *rosmarinifolia* sumitur. Scanis *Marvide*.

744. S. *angustifolia* Wulf. foliis lanceolato-linearibus acuminatis revolutis, amentis ovalibus subsessilibus.
In arenosis inundatis maritimis; ad ostium Köpinge â copiose. Folia fere S. *viminalis*.

745. S. *rosmarinifolia* L. foliis linearibus planis, amentis foliatis subglobosis.
Nondum ipse legi, sed tam in Scania australi, quam circa piscinas ad Andrarum genuinam vidi lectam. Rami erecti, stricti.

Fam. LVII. MYRICEAE. Richard.

Char. Plurima ut in *Salicinis*, sed stamina submonadelpha, amenta foeminea demum strobilacea, et in floribus ♀ adest perianthium proprium squamulosum in pericarpium exterius constrictum. Maxime vero tam ab his, quam Amentaceis differt germine holocarpo, jam primitus uniloculari, ovulo centrali, fructu drupaceo, semine erecto. *Frutices, plures resina aromatica, foliis simplicibus deciduis exstipulatis.* (*Numerus typicus ternario-duplicatus.*)

Parva haec familia re ipsa *Coniferis* tam multis et floris et fructus rationibus, quam succo resinoso propior videtur, nam folia decidua et explanata (nec acerosa) etiam inter Coniferas occurrunt. Subtilis observator, *Richard*, cum *Casuarina*, quae Equisetum phanerogamum, quoque combinavit.

746. MYRICA *Gale* L.
In paludosis et ad ripas Scaniae silvestris frequens; per campestrem dispersa usque ad Skanörs-ljung (It. Scan. 222 etc.), solo tam arenoso, quam argillaceo (Retz. Fl. Oec. 465.) Amenta praecocia, sessilia, alter-

na, sena, nuda, in ramulis terminalia; ♂ fere Carpini, ♀ Alni. Stamina 6-9.

Fam. LVIII. CONIFERAE. L. Juss.

Char. Flores monoici l. dioici. Amenta mascula exserunt columnam staminum monadelphorum, squamis (bracteolis) involucratam, perianthio proprio nullo. Amenta foeminea spicata, squamis aliis bracteosis; aliis floriferis increscentibus et lignescentibus imbricata; raro floribus solitariis involucratis (*Taxus*). Ovarium uniloculare, uniovulatum, stigmate punctiformi, abit in semen proprie nudum, sed perianthio indurato inclusum (nucamentaceum) squamisque floriferis obtectum (strobili). Albumen carnosum. *Arbores l. frutices, foliis simplicibus rigidis, saepius perennibus exstipulatis.*

Familia ulterius vulgo subdivisa, nobis tantum unicum e singula sectione genus; 1.) *Monoicum*, strobilo lignoso imbricato multisquamoso = *Pinus;* 2.) *Dioica*, strobilo demum baccato trispermo = *Iuniperus*; floribus ♀ solitariis, nuce unica e squamis floralibus baccata = *Taxus.*

747. PINUS *silvestris* L. foliis geminis vaginatis.
In Gothungia et territorio N. Åsbo vasta pineta, ceterum tantum sata, praecipue in plagae orientalis arenosis. Typus numerorum in hac et affinibus quinarius. Cotyledones subquini (4—6, glabri, cum folia primordialia ciliatulo-serrata, testa diu calyptrati), rami verticillorum primarii quini, folia in perfectioribus (P. Cembra, Strobo etc.) quina. Flores ♂ e vaginis infimis turionum foliorum loco erumpentes; strobili foeminei 1—5 e apice, prolepsi turionum, vaginis pluribus in tubum connatis involucrati.

748. P. *Abies* L. foliis solitariis evaginatis.
In eadem regione, sed parcior. [In Dania nunc temporis nulla Pinus spontanea.] Haec species majori copia non seritur, licet ob ramos omnes radicis horizontales in Scania campestri locis, ubi a ventis arcetur, multo excelsior excrescat, quam prior. Quando enim *Pini silvestris* radix centralis palaris strato argillaceo, etiam plagis arenosis subjecto, obviam venit, in altitudinem crescere cessat. — Folia tetragono-ancipitia pro-

prie orta e duobus pagina superiori connatis; quadrifaria congeries punctorum alborum in plures lineas longitudinales disposita. Flores masculi ex axillis ramorum annotinorum erumpunt, involucro multisquamoso cincti; strobili ♀ squamis tenuibus planis discretis, ob quas a *Pino* sensu strict. separantur *Abietes*.

749. IUNIPERUS *communis* L.

Non tantum in regione pinifera, sed etiam in plerisque jugis montanis sterilibus; copiose in S. Åsen. Numerus regnat ternarius; cotyledones vidi saltim 3, rami primarii 3, ramuli triquetri, folia terno-verticillata, squamae fertiles 3, antherae in quovis columnae verticillo 3, baccae tricarinatae, semina 3.

750. TAXUS *baccata* L.

In Scaniae maritimis *L. Fl. Suec.* p. 362. Adest quidem in Scania, sed rarissime. *Retz. Fl. Oec.* p. 712. Ipse haud legi. — Numerus typicus binarius, cotyledones 2, rami oppositi ut folia primaria, sed mox disticha, squamae amentorum opposita, antherae 8, quaternatae.

Hujus familiae porro sunt *Ephedrae* [frutices ex Europ. Austral.] et his proximae *Casuarineae* [e Nova Holland. et ins. adjacentibus]; utraeque vegetatione [aphylla, articulata, nodis dentato-vaginatis] et toto habitu *Equiseto* simillimae, ut facile Equiseta phanerogama dicas. Hinc huic classi appendicis loco, ducibus *Reichenbach* et *Lindley*, subjungimus EQUISETUM, vegetatione et structura hujus classis, sed fructificatione fere Cryptogamarum; tamen organa sexualia evidentiora rudimenta offerunt quam in ulla alia planta Cryptogama. Si inter Cryptogamas recipiantur, optime monente *Agardh*, peculiarem sistent classem; nam a Filicibus toto typo innumerisque notis recedunt; sed ex unico plantarum genere vix familiam, multo minus classem construendam censemus eadem ratione ac ex unica stella constellationem, ex insula singula in mari remota novam orbis partem non proponimus, sed has omnes proxime

vicinis subjungimus. Præter genera allata nulla *Equiseto* affinia novimus; *Charae* analogum locum in sq. classe occupant.

EQUISETUM L.

Char. Amenta terminalia, squamis stipitatis peltatis subrotundo-polygonis, subtus sacculos (perianthia?) 4–7 dehiscentes gerentes. Seminula minima globulosa, spiraliter obvoluta filis 4 (= stamin. imperfectis) elasticis apice clavatis granulisque (polline imperfecto) conspersis. *Germinatio primo nemea, dein polycotyledonea. Paucae lignescunt, plurimae herbaceae, aphyllae, dentato-vaginatae.*

* *Caulibus uniformibus*, sterilibus nempe et fertilibus similaribus, *vaginis aequaliter dentatis.*

751. EQUIS. *hiemale* L. caulibus nudis scabris biennibus. Solo limoso in silvarum penetralibus Scaniae tam superioris, quam inferioris, ut ad Bjersjö-Ladugård, Heckeberga, at parce. Spicas suas sessiles caules annotini apud nos vere edunt.

752. E. *limosum* L. caule multisulcato annuo; ramulis vagis laevibus vaginis viridi-dentatis.
In aquosis, nemoribus udis satis frequens. Ramuli nunc nulli, nunc ad partem caulis verticillati.

753. E. *fluviatile* L., caule pr., vaginis ramul. atris.
Ad ripas fluctuantes lacuum et fluviorum ad Helgeå alibique, priori nimis affine.

754. E. *palustre* L. caule anguloso celluloso, ramulis laevibus.
In palustribus passim.
* *tenellum*, caulibus caespitosis filiformibus simplicissimis tetragonis.
Legi inter Ottarp et Tågarp (territ. Rönneberga) in uliginosis declivibus. Ulterius observandum.

755. E. *pratense* Ehrh. caule pr. ramulis scabris.
In campis siccissimis sterilibus arenosis; copiose ad Falsterbo. Simillimum E. *arvensi β.* Wahl. lapp., quare Retzius pro ejus forma aestivali, caulibus vulgo sterilibus fructificante declarabat. In apice caulis ramuli nulli.

** *Caulibus biformibus*, praecocibus fertilibus et primo evascularibus (subfungosis), *vaginis laciniatis.*

756. E. *arvense* L. caule fertili simplicissimo caduco, ramulis sterilium subquadrangulis.

Ubique in Scania campestri, exceptis locis humidis, sed in silvatica rarescit et sub var. *β.* Whl. Fl. Lapp., caulibus sterilibus decumbentibus, ramulis triquetris locis humidis, saepe in rivulis glareosis, occurrit. In hac caules fertiles subinde serotini. Mihi haec varietas loco diverso et habitu non parum insignis visa fuit, media inter E. *arvense* et *umbrosum.*

757. E. *umbrosum* W. caule fertili simplicissimo persistente, demum ramulos triquetros simplicissimos emittente. E amphibolium. *Retz. Supl.* 2.

In pratis silvaticis, colliculosis; etiam arenosis, valde apricis v. c. ad Efverlöf copiosissime, vulgatissima species! [per omnem facile Sueciam in extimam Lapponiam; quam plurimis circa Upsaliam locis, ad Dahlelfven etc. hoc anno vidimus — Adultum nempe ad prius rejectum fuit, cui admodum affine, e charactere tantum cum E. *silvatico* comparandum.]

† E. *Telmateja* Ehrh. caule fertili simplicissimo, ramulis sterilium octangulis.

In Scania, ex Retzio ab ipso Ehrh. lectum. Adesse quidem videtur, sed fertile non vidi.

758. E. *silvaticum* L. caule fertili primitus ramulis ramellosis reflexis verticillato.

In silvaticis, ubi hoc saepe arvense est (et E. *arvense* sylvaticum fit.)

* E. *capillare* Hoffm. horizontali-arcuatum, ramulis omnibus patentissimis (haud deflexis) triquetris capillaribus. In limosis umbrosis fagetorum, a loco quidem pendens, sed directos transitus in vulgare non vidi.

Classis XII. NUDIFLORAE.

Char. Flores incompleti, in spadice spicati l. alares subsessiles. Perianthium nullum in perfectioribus, obsoletum spuriumve in infimis submersis. Stamina pauca

vel diclinia l. germini adhaerentia. *Stirpes nodoso-articulati, foliis ramisve suboppositis verticillatisve integerrimis* (*Lemna* et plures *Saurureae* acaules). *Perfectiores ordines, qui omnes tropici, ad Monocotyledoneas structura accedunt; cotyledones 2 sacculo proprio inclusi sunt; nostri inundati subacotyledonei* (non vero Nemei) *sunt; cotyledonibus l. nullis l. reliquis foliis conformibus. Structura quoque incompleta, interdum mere cellularis.*

Desiderantur nobis ordines *holocarpi* tum monostyli (*Chloranthecae*, frutices nodoso-vaginati) quam systyli [*Piperaceae*, frutices l. herbae, Callaceis analogae). Medium inter has et nostras exacte tenent locum *Saurureae*, herbae aquatiae, *schizocarpicae*, carpellis aliis follicularibus, sutura centrali dehiscentibus, aliis drupaceis, etiam nobis peregrinae. Sed Schizocarpicas habemus LIX. CALLITRICHINEAS, fructu quadricocco et holocarpicas LX. NAYADEAS, submonospermas, quibus subjungitur CHARA.

Fam. LIX. CALLITRICHINEAE. Lk.

Char. Flores alares subdiclines. Perianthium obsoletum l. o., bracteis liberis fugacibus petaloideis. Stigmata plura. Ovaria 4, (involucro adnato?, in genuinis inconspicuo) conjuncta, abeunt in fructum 4-coccum, carpellis monospermis indehiscentibus demum discretis. Semina pendula, plus minus albuminosa. *Herbae aquaticae, apicibus emergentes, foliis oppositis verticillatisve.*

Genus *Callitriche*, perianthio nullo, stam. 1—2, stigmatibus 2, solum familiæ genus ex Link., manifeste hujus classis est; monente Richard Euphorbiaceis respondens in analoga Calyciflorarum classe. Huic generi tot rationibus et specie habitu, foliis et inflorescentia *Callitriches*, accedit *Myriophyllum*, alias genus Halorageum, ut in florula nostra saltim divellere noluerim; differt calyce exiguo 4-partito, petalis tam ♂, quam ♀, valde caducis et fugacibus, staminibus 4, 6, 8, stigmatibus 4. (Cfr. Obs. de Fraxineis).

739. MYRIOPHYLLUM *spicatum* L. verticillis aphyllis.
In aquis et fluviis Scaniae campestris. Copiose in Köpinge-å. Spicae virgineae erectae.

760. M. *alterniflorum* Dec. vertic. ♀ foliatis, floribus ♂ alternis. In aquis Scaniae silvestris copiose, sed etiam frigidioribus campestribus v. c. in Årups-å, Fogelsångs bäck etc. — et per omnes regiones silvaticas et montanas Sueciae hoc tantum, nec prius, occurrit. Ut speciem distinctam per viginti annos servavimus sub nomine *M. tenelli* Liljebl. (Cfr. Fl. Hall.), sed acceptis specc. Gallic. de nomine *Dec.* certiores facti sumus. Spicæ virgineæ cernuæ.

761. M. *verticillatum* L. vertic. omnibus foliatis. In aquis stagnantibus Scaniæ passim v. c. Bäckaskog, Christianstad (Ros. Scan. 67) Widsköfle, Kalthus, Trelleborg etc.

762, CALLITRICHE *verna* L. pallide virens, carpellis per paria parallelis obtusangulis, stylis erectis fugacibus. Per omnem Scaniam locis humidis vulgaris foliorum forma mire varians.

763. C. *hamulata* Ktz. laete viridis, carpellis cruciatis acutangulis. stylis divaricatis persistentibus. C. *tenuifolia* Nov. Fl. Suec. C. autumnalis *Kütz. in Rich. ic.* 1200-1220. Locis similibus, magis aquosis. Item foliis varia, sed optima forma sequenti (maxime diversa) similis, etiam fructificatione subaquatica. Priori proxima, sed plurimis notis diversa; Cfr. *Kützing in Linn.*, ubi hanc C. *autumnalem*, sequentem C. *virentem* dicit

764. C. *autumnalis* L. obscure viridissima, foliis conformibus linearibus, carpellis alatis. Tota submersa tam in fluviis (v. c. Höjebro prope Lund) quam aquis stagnantibus (v. c. in piscinis ad Krageholm) copiosa. Numquam viderunt, qui hanc cum C. *verna* confundunt. Mire rarescit in Germania.

Fam. LX. NAYADEAE. Juss.

Char. Flores sparsi, ex alis l. rimis folii enati, maxime incompleti, interdum organis sexualibus amphibolis. Perianthium nullum aut obsoletum, absque bracteis petaloideis. Stamina vulgo solitaria, interdum plura intra involucrum aggregata. Stylus 1, stigmate solitario. Ovarium unicum, uniloculare abit in nuculam submonospermam indehiscentem. Albumen nullum. *Herbae aquaticae, habitu vario.*

Cum in summo centro genera ita sint conformia ut aegre discernas, in hoc ultimo radio adeo diversa, ut singulam ge-

nus multis sui ordinis typus. Licet cotyledones satis recedentes, saepe verticillati, immo nulli adsint, Dicotyledoneam indolem magis, quam Monocotyledoneam, manifeste monstrant. Genera sunt *Hippuris*, floribus hermaphroditis monandris, nucula monosperma calyculo coronata (herba articulata, foliis simplicibus verticillatis); *Ceratophyllum*, floribus monoicis, involucro multi-partito, antheris sessilibus congestis (ob folia in involucrum), nucula monosperma stylo apiculata (herba articulata, submersa, foliis verticillatis 2 - 3 - chotomis); *Nayas*, floribus dioicis, monandris, stigmate diviso, nucula utriculata (herba submersa, cellularis, articulata, cotyledonibus et foliis oppositis spinuloso-dentatis.) *Lemna*, floribus subdiclinibus, spatha minima monophylla, staminibus 1-2, nucula subdisperma (herba acaulis, cellularis, tota sistens foliolum submersum (769) aquisve denso agmine innatans.)

765. HIPPURIS *vulgaris*. L.
Ad aquas Scaniae copiose. Ad Lund prope Kjellby etc. Analogia cum Myriophyllo manifesta e flore; sqq. magis e fructu.

766. CERATOPHYLLUM *submersum* L. fructu apiculato inermi.
Cum sequente, quo tenuius, fructificans lectum ad Dahlköpinge.-

767. C. *demersum* L. fr. basi bispinoso uncinato-rostrato.
In piscinis (Helgonbacken ad Lund) et aquis Scaniae campestris saltim omnis, sed e fundo evellendum. Ubi annis calidis aqua exsiccatur flores masculi in conspectum veniunt. Hos primus amic. *Ahnfelt* ad Knästorp in Höjeå mihi monstravit.

768. NAYAS *marina* L.
In sinubus maris orientalis ad fluviorum ostia v. c. Helgeå; ni fallor etiam ad Årupså.

769. LEMNA *trisulca* L. foliis opposite petiolato-proliferis lite lanceolatis.
In aquis Scaniae campestris copiose. Planta omnino sui generis! Ipse florentem in Scania haud vidi, ut sqq. omnes mense Jun., praecipue L. *gibba* circa Lund quotannis copiose floret.

770. L. *polyrrhiza* L. natans, fasciculato-radicata.

In aquis stagnantibus sequentibus intermixta, sed minori copia. Folia ut seqq. subrotunda, sed saturatius virent.

771. L. *minor* L. natans, plana, radice simpliciss.
Densis stratis aquis innatat stagnantibus per omnem Scaniam.

772. L. *gibba* L. pr. similis, subtus hemisphaerica.
Locis similibus, fossis turfosis in campestribus. — Lemnae, re ipsa Acotyledoneae, sunt punctum indifferens, in quo Endogeneae et Exogeneae confluunt.

APPENDIX NUDIFLORARUM.

CHARA

Char. Fructificatio duplex: altera = *globuli* colorati in membranas triangulas dehiscentes, filis articulatis farcti, masculi?; altera = *nuculae* embryonibus globosis farctae, extus spiratim striatae, indutae membrana tenui diaphana in coronulam 5-lobam terminalem abeunte (utique respondente s. d. calyce in Callitriche etc.) *Herbae articulatae, verticillato-ramosae, tubulosae absque vasis spiralibus, submersae.*

Genus percelebratum, cujus expositionis historia plagulam saltim poscit, sed loco adhuc incerta. Analogia cum *Equiseto* semper mihi manifesta visa est. Hinc hoc loco recipiendum. Jam inter Nayades recenset *Jussieu*, monetque Link: "anthera fructui juncta, quamquam fecundatio non fiat, ab Algis removet". Sed etiam in *Nayade*, *Ceratophyllo* nulla fecundatio. — Radicatio, ramificatio verticillata etc. Dicotyledonearum optime exprimit typum, quem sic ad Algarum limites persecuti sumus.

* *E tubulis pluribus compositae.*

773. CH. *vulgaris* L, inermis, superne subpapillosa.
In aquis stagnantibus vulgaris, tam munda laete virens (Ch. *Hedwigii* Ag.) quam canescens incrustata. Caute a sequentium formis detersis separanda.

774. C. *aspera* Willd. aculeis brevissimis sparsis patentibus.
Copiosa ad maris litora et in fossis turfosis, passim

incrustata, saepe *aculeis detersis* glabra, priori et C. *hispida* semper minor. Ex ipso Wallrothio hujus formae detersae Ch. *pulchella* W. Ch. *delicatula* Desv.

775. C. *crinita* Wallr. aculeis setaceis fasciculatis.
In palustribus stagnisque marinis; tam munda v. c. in Ifösjö, quam incrustata v. c. Lefrasjö, immo *detersa*.

776. C. *hispida* L. aculeis setaceis sparsis reflexis.
Copiosa in fossis paludum turfosarum, proximis major. Saepius *incrustata*; sed vix omnino detersa.

777. C. *baltica* Fr. aculeis inflatis reflexis.
In litoribus inundatis arenosis maris baltici; semper munda visa, nec incrustata, humilis, haud contorta, a praecedente meo sensu admodum diversa. Varietatem *detersam* s. *glabratam* Ag. male ad Ch. *vulgarem* ducit Wallroth.

778. C. *tomentosa* β. aculeis patentibus inflatis obtusis.
Veram Ch. *tomentosam* L. mundam, dilute rubentem in Scania haud legimus; tantum Ch. *ceratophyllam* W. eamque incrustatam viridi-canescentem in Lefrasjö. Proximis major, maxime inflata.

** E *tubulo simplici factae*.

779. C. *flexilis* L. filiformis, ramosa, ramulis subobtusis.
In aquis valde polymorpha; [*nidifica* in arena litoris lacus Ifösjö] plures forsan complectens species; servo v. c. Ch. *translucentem* P. sed sine loco certo.

780. C. *gracilis* Smith. capillaris, simplex, ramulis acutis.
Detexi speciem insignem in foveis cotis, aquam servantibus, ad Höör, radice nigra (rhizomorphoidea) in saxi fissuris intrantem, habitu a Charis alienam. Ch. *capitata* Nees eadem, nuculis aggregatis.

Has species sub priscis meis excursionibus semper, in variis simul statubus, ut incrustatis, detersis, inflatis etc. sine omni difficultate dignoscere potui, sed per ultima lustra defuit occasio vivas ulterius conferendi et sic quoque apta ad recentiora studia et inventa consulenda et addenda. Chararum feracissima est Scania nostra, et plures species latere speramus, nam Germania borealis plures insignes species alit; plures insuper

Scanicas enumeratas invenies in *Ag. Syst. Alg.*, mihi vero adhuc incognitas. Speciebus a me visis tantum receptis, illas addere debemus:

a. C. *firma* A., caule striato strigoso, strigis reflexis sparsis, ramulis articulatis, bracteis 4 inaequalibus.
In freto Öresund.

b. C. *collabens* A. caule contorto striato, superne substrigoso, bracteis linearibus, binis nucula triplo longioribus.
In stagnis Scaniae.

c. C. *pilifera* A. caule tenuiter striato glabro fragillimo ramulis articulatis, bracteis 4, omnibus nucula sesquilongioribus piliformibus
In stagnis Sueciae meridionalis.

d. C. *fallax* A. caule contorto viridi-striato substrigoso, ramulis junioribus estriatis, articulis exsiccatione pellucidis alternatim compressis, bracteis inferioribus nuculam aequantibus, exterioribus 2 brevissimis.
In freto Öresund. Act. Nov. Ac. Cur. XIII. p. 121.

Cfr. quoque Bruzelii Chararum monogr.

MONOCOTYLEDONEAE s. Endogeneae.

Haec provincia regni vegetabilis praecedente ambitu longe minor est, ut cotyledonibus haud exsertis tantum transitus ad sequentes. Duplex vulgo distinguitur SERIES, *Phanerogamarum* et *Cryptogamarum*, quarum vero haec NEMEIS a nobis adscribitur. Inter Phanerogamas triplicem vero observamus seriem, classibus primariis vero respondentem, quare seorsim haud descripsimus. In *Glumiflorarum* descendunt et confluunt omnes.

Classes e perianthio 1) genuino verticillari biseriali, interiori saltim corollino — nunc epigyno (*Fructiflorae*), nunc subhypogyno (*Liliiflorae*); 2) incompleto, simplici, squamaceo aut nullo (*Spadiciflorae*) 3) spurio, bracteoso, imbricato nec verticillari (*Glumiflorae*).

Classis XIII. FRUCTIFLORAE.

Perianthium biseriale; utraque series triphylla; interior saltim corollina supera. Stamina epigyna, cum pistillo perianthiove supero connata, numero ternario, quo inferiores familiae eo magis duplicato. Fructus semper vere inferus, nec calyce adhaerente tantum tectus.

Ob easdem rationes ac Seminiflorae inter Dicotyledoneas hae agmen ducunt inter Monocotyledoneas. Quamvis *Synantherae* et *Orchideae* partibus fructificationis intime connexis congruant, hae ipsae familiae a se invicem, ut in diversis centris

decet, maxime distant. Clavis familiarum: Fructus 1) *unilocularis*, *placentis tribus*, stigmate simplici, stamina cum stylo connata = LXI. ORCHIDEAE, 2) *trilocularis*, stylis junctis, in flore hermaphrodito, I. triandrae = IRIDEAE; I. hexandrae = LXIII. NARCISSINEAE 3) *polycarpicus*, *submultilocularis* (typice schizocarpicus, qualis vero germine infero prodire nequit), stylis liberis in flore diclini = LXIV. HYDROCHARIDEAE. (Nobis deest holocarpica, graminea *Valisneria*).

Fam. LXI. ORCHIDEAE. Juss.

Char. Perianthium irregulare, duplex, utrumque triphyllum; exterius subcoloratum, interius tripetalum, superum, labello s. petalo infimo (in flore supino) nectarifero majori, saepe calcarato. Stamina (typice tria, unum tantum in nostris explicatur) inter se et cum stylo in columnam, labellum spectantem, connata. Anthera bilocularis, loculis saepe remotis, rima longitudinali dehiscentibus; polline axi propriae adfixo, granuloso in varias determinatas formas, typo binario, conglutinato. Stigma concavum. Fructus: capsula infera, unilocularis, trivalvis, lateraliter dehiscens, sexcostata. Semina numerosa, placentae in medio singulae valvulae adfixa, scobiformia; embryone oblongo in basi albuminis carnosi *Herbae typo pure Monocotyledoneo, nempe caule simplici, vaginato, foliis alternis, simplicibus, integris nervosis amplexo. Flores spicati l. racemosi.*

Familia naturalissima, in tropicis (ubi plurimae parasiticae) vastissima et maxime singularis. Quanta vel in polline tantum varietas, quam angusties loci exponere vetat! Dispositio et nomenclatura admodum apud Auctores variabiles; *Lindleyi* monographia species europaeas, parum hactenus tetigit. Nomenclaturam hinc potissimum, praeeunte ex maxima parte *Wahlenbergio*, ultimam Swartzianam assumsi. In dispositione autem secuti sumus propositam e vegetatione, et cum facillime sub excursionibus observetur, et quum nesciam quae ex subtilioribus floris partibus (meo sensu, etiam in maxime affinibus ut Malaxi, Listera etc. variis) praeferenda. Hinc tribus:

I. SATYRIEAE. Radix tuberigera. (Pollen mucosum.)
II. CORALLORRHIZAE. Radix, e ramis carnosis, fasciculata.
III. MALAXIDEAE. Radix s. basis potius, tunicato-bulbosa.
IV. NEOTTIEAE. Radix fibrosa subrepens.

I. SATYRIEAE. Labellum 1) aperte calcaratum, calcare conico, apice trilobum = *Orchis*, 2) constricte calcaratum, calcare filiformi, apice trilobum = *Gymnadenia* l. integrum = *Platanthera*, 3) ecalcaratum, convexum = *O.phrys*; l. saccato-carinatum = *Herminium*. (Tuber unicum!)

ORCHIS. Separandae species tuberibus 2 * integerrimis (781—784) et ** lobatis (785 - 788.)

* 781. O. *militaris* L. labelli lacin. linearibus, sepalis galeato-convergentibus.
In pratis Scaniae orientalis, a Blekingiae finibus, ad Cimbritshamn, plurimis locis copiose; v. c. Århup, Fjelkinge, Beckaskog, Lillö (Leche), Ignaberga, Wildsköfle etc. Speciosa, galea albescente.

782. O. *ustulata* L. lab. lac. prioris, sepalis erectis.
Per omnem fere Scaniam, excepta pineto-montana et boreali-occidentali, dispersa, licet haud admodum copiosa v. c. Århup, Esperöd, Rörum (territ. Albo) Sjörup (It. S. 257), Willie, Blentarp (Leche), Fogleslang et Sularp prope Lund, Wallåkra (It. Scan. 804). Deest vero ad S. Åsen, Hallandsås.

783. O. *mascula* L. labelli laciniis dilatatis, sepalis reflexis.
In dumetis Scaniae campestris et frondoso-silvestris totius ab Århup ad Allerum et Wrams Gunnarstorp ubique copiose. Deest tantum, ut sequens, ad Hallandsås.

784. O. *Morio* L. lab. pr. sepalis obtusis conniventibus.
Cum priori et in pratis humidis, plaga pinifera excepta, ubique vulgaris, copiosissima facile generis, sed versus Hallandsås desistit ad Ingelstorp, Gammalstorp, paulo ultra praeced. progrediens.

** 785. O. *sambucina* L. foliis obtusis, imis spathulatis.
In pratis apricis sterilibus passim; copiose ad Århup; inter Ö. Thorn et Reften prope Lund, prope Engelholm. Promiscue occurrunt semper forma lutescens et purpurascens, utraque jam a Linnaeo indicata, cujus O.

incarnata igitur minime huc duci potest. *Labellum hujus et 2 sqq. obsoletè trilobum.*

786. O. *incarnata* L.! foliis acutis erectis, petalis lateralibus reflexis immaculatis.
In paludosis Scaniae inter Juncos etc. frequenter. Descriptio Linnaeana manifestissima. Caulis humilis ut prioris, firmus, *cavus*, foliis plerumque linearibus canaliculatis, fere equitantibus, laete at pallide viridibus, absque macularum vestigio, dense obtectus et vulgo superatus. Petala dorsalia reflexa immaculata. O. *angustifolia.* Lois.

787. O. *latifolia* L. foliis acutis patulis, petalis lateralibus adscendentibus maculatis.
In pratis et campis depressis, priori rarior. Folia obscuriora, saepe maculata in caule altiori *fistuloso* sparsa, prioris vulgo latiora. Priori serius floret.

788. O. *maculata* L. caule solido, labello trifido.
Ubique in pratis macris, foliis latioribus et angustioribus varia.

789. GYMNADENIA *Conopsea.* Brown. Orchis L.
In pratis dumetosis et colliculosis. Amic. *Blytt* prope Lund legebat mecumque communicabat specimina labello indiviso, omnino sequentis.

790. PLATANTHERA *bifolia.* Rich. Orchis L.
In clivis Scaniae silvaticae copiose. Tubera pubescentia, deorsum fusiformi-elongata. Folia non radicalia, sed in parte inferiori caulis supra binas vaginas, uno latere aurito-productas, inserta.

791. OPHRYS *Myodes.* L.
In pratis depressis Scaniae meridionalis et orientalis passim v. c. Roslätt, Svaneholm; Krageholm indeque sparsim usque ad Årup.

792. HERMINIUM *Monorchis* Sw. *Fl. Hall. p.* 137.
Per Scaniam campestrem haud infrequens, ut in orientali a Bäckaskog etc. ad Högestad, ad Ö. Torp, Malmö (It. Scan. 208) Alnarp, W. Karaby, N. Widdinge multisque aliis locis. *Ophrys* L.

II. CORALLORRHIZEAE. Labellum trilobum; constricte calcaratum, calcare scrotiformi = *Coeloglossum*; ecalcaratum, bifidum = *Epipactis*, trifidum = *Corallorrhiza.*

Ultima duo genera aphylla, absque viridi colore; subparasitica.

793. COELOGLOSSUM *viride* Hartm. labelli lobo medio breviori.
In pratis dumetosis Scaniae interioris silvaticae v. c. ad ad Öfvedskloster etc., sed etiam in maritimis ut ad Årup, Svarteskog ad Ystad. *Satyrium* L. ut sequ.; *Habenaria* Sw. sed utrumque nomen ad plantas alienas relatum est. Forsan minus bene, sed contra ubique fere recepta frustra luctari ubique vidimus. Radice haec species inter hanc et praeced. tribum media est.

794. C. *albidum* H. labelli lobo medio longiori.
Per omnem Scaniam in pratis asperis sterilibus, tum orientalis, quum occidentalis frequenter. Prope Lund versus Reften etc.

795. EPIPACTIS *nidus avis* Sw. Ophrys L.
In silvis humosis umbrosissimis Scaniae nemorosae minime rara, ut ad Hallandsås, S. Åsen ad Björnekulla etc.; ad Stenag et in plurimis silvis circa Ringsjön, Öfvedskloster (Leche); circa Lund in silvulis Reften, Alnarpensi, Wasaholm; ad Börringe, Krageholm e. s. p.

796. CORALLORRHIZA *innata* Br. Ophrys L.
In paludosis sphagnosis, ut Gothungiae ad Brönnestad etc.; in Skäralid, ad Börringe, Roslätt; semel in palude maxime campestri ad Foglahuset prope Reften.

III. MALAXIDEAE. Labellum (calcaratum in *Epipogio*) ecalcaratum, indivisum = *Malaxis*.

797. MALAXIS *Löselii* Sw. foliis binis acutis.
In palude ad litus occidentale lacus Lefrasjön cum amic. *Åkerman* legi. *Ophrys* L. ut sq.

798. M. *paludosa* Sw. foliis rosulatis concavis obtusis.
In paludosis turfosis in Gothungia ad Brönnestad et in Hallandsås in par. Houf hactenus tantum lecta.

IV. NEOTTIEAE. Labellum *apice bifidum*, basi dentibus stigma amplectens = *Listera* (caulis nostris medio absque squamis bifolius); *medio utrinque incisum*, ad basin concavum, lamina terminalis subdiscreta indivisa = *Serapias*; *indivisum*, *adscendens* basi excavatum = *Neottia*, quod genus ut prius caule folioso.

799. LISTERA *ovata* Brown, foliis ovalibus.

In nemoribus humidis Scaniae totius, praecipue vero frondoso-nemorosae. *Ophrys* L. ut sq.

800. L. *cordata* Br., foliis rhombeo-triangulis.
In Scania pinifera, ut ad Verum etc.; etiam in par. Näsum. *Åkerman* Folia in Listeris non opposita sunt ut describuntur, sed alterum supra alterum valde approximata.

801. SERAPIAS *ensifolia*, foliis ensiformibus, fructu sessili.
In dumetis Scaniae australis ad Hofgård (Ros. Scan. 54), Röddinge (Åkerman). Fructus erectus; sed seqq. pedicellat. et cernuus.

802. S. *latifolia* L. foliis ovatis, fructu turbinato.
In silvis Scaniae australioris et orientalis copiose, v. c. Roslätt, Lindholmen, Gillesgrufvan, Krageholm, Widsköfle frequenter; in parte occidentali rarius v. c. Wallåkra (It. Scan. 304), Rögla etc. Statura et florum colore variabilis, sed S. *atrorubentem* in Scania haud vidi.

803. S. *palustris* Scop. foliis lanceolatis, fructu oblongo.
In pratis humidis, excepta silvatica, Scaniae totius, at non ubique v. c. Ljungby-gård (Retz. V. A. II.) Widsköfle, Högestad (varietas) Wasaholm, Klågerup, (Ros. 57) Foglesång, Kjeflinge, W. Karaby, Engelholm etc.

804. NEOTTIA *repens* L.
In pinetis ad Smolandiae fines ut Wieseltofta, Verum etc.

Obs. Duplex adesse in Orchideis perianthium exteriusque esse calycinum tum e partium situ, quam exterioris colore herbaceo etc. in Listera cordata praecipue, Serapia latifolia, Ophryde Myode etc. manifestum est. Innovationes radicis *e collo caulis* fiunt, hinc radix praesentis anni nec cum annotina, nec cum futura conjuncta est (certe rarissimum!) Vaginae integrae, summae dimidiatae. — Nobis deest *Cypripedium*, in quo duo lateralia stamina rite explicantur. In *Apostasia*, genere tropico, tandem ovarium triloculare.

Sequuntur *Scitamineae*, tropicae, inter Orchideas et Irideas mediae.

Fam. LXII. IRIDEAE. Juss.

Char. Perianthium biseriale, utraque series triphylla corollina, supera, basi coalita (gamopetala), in-

terior minor saepe difformis. Stamina 3 perianthio exteriori inserta (monadelpha aut libera), anth. extrorsae loculis conjunctis parallelis. Styli tres plus minus connati, stigmatibus totidem discretis. Fructus ex ovariis tribus coalitis, capsula vere infera, trilocularis, trivalvis, valvis medio septiferis, septis in placenta centrali contiguis. Semina biserialia, indefinita, albumine copioso compacto. *Herbae e bulbo aut rhizomate repente carnoso; foliis ensiformibus equitantibus.*

Familia in temperatioribus terris, Capite b. sp. etc. dives, nobis tantum genus *Iris* staminibus in tubum connatis stigmatibus petaloideis. (Coluntur sub Jove insuper *Gladiolus*, *Crocus*.)

805. IRIS *pseud-Acorus* L. imberbis.
In paludosis frequens. [Alius speciei (*I. sibericae?*) folia in Scan. austr. pratis humidis visa, sed numquam flores.]

Fam. LXIII. NARCISSINEAE. Juss.

Char. Flores hermaphroditi, spathacei. Plurima Iridearum, sed stamina sex singulis segmentis opposita, antherae introrsae, stylus simplex, stigmatibus quoque fere connatis. *Plurimae bulbosae, omnes scaposae.* In *Narcisseis* pr. s. d. accedit corona (paracorolla) intra perianthium. *Fructus raro baccatus.*

Cum praecedente Liliifloris, versus quas Fructiflorarum radius, vulgo adscripta familia; facile tamen distingui possunt *germine vero infero*, nec tantum calyce adnato tectum ut in *Liliaceis* quibusdam, nam harum germen haud alia monstrat strata, quam germina libera Liliacearum. Nulla species hujus familiae vero indigena, sed plures ut coronariae cultae inquilinae factae. Solum h. l. recepimus *Galanthum*, petalis interioribus brevioribus emarginatis. (*Leucojum* differt petalis aequalibus et *Narcissus* corona ad perianthii faucem.)

806. GALANTHUS *nivalis* L.
Non tantum in pomariis, hortorum saepes frequenter, sed etiam copiosius in pratis ut ad Ö. Torp, Dahlköpinge, W. Karaby c. s. p. Floret vulgo jam Febr.

Leucojum vernum L. et *Narcissum pseudo-narcissum* L., in pomariis haud rara, etiam in pratis occurrere indicarunt testes idonei.

Fam. LXIV. HYDROCHARIDEAE. Juss.

Char. Flores diclines, spathacei. Perianthium biseriale, utrumque triphyllum, interius tantum petaloideum, ♀ tantum vere superum. Stamina 3, aut ternis aucta ultra, 6, 9, 12 ovarii loco inserta, hinc typice epigyna; libera. Stigmata 3, 6, bifida. Fructus inferus, e carpellis 3 l. 6 connatus, loculis totidem, indehiscens, saepe baccatus, placentis parietalibus. Semina numerosa, erecta, exalbuminosa. *Herbae aquaticae, subacaules, scaposae; folia lamina distincta.*

Ut priores ad Liliifloras, haec familia ad *Spadicifloras* proxima est, Alismaceis analoga. Genus alterum enneandrum, spatha diphylla, capsula globosa = *Hydrocharis*; alterum dodecandrum et ultra (bis dodecandrum), spatha clavata, bacca hexagona = *Stratiotes*.

807. HYDROCHARIS *morsus ranae.* L.
In aquis limosis, frequens. Prope Lund in Höjeå.

808. STRATIOTES *Aloides* L.
Locis similibus, minus frequens extra plagam borealiorientalem, ubi ad Karsholm, Bäckaskog, Christianstad etc. copiosa; tamen in australi et occidentali v. c. ad Lindholmen passim obvia.

Hae per *Valisneriam* etc. omnino sed serie contigua descendunt ad *Cellulares*, ut singula series monocotyledonearum. Inter Dicotyledoneas vero tantum infimae seriei s. Incompletarum singulae classes ad Cellulares l. homorganas descendunt, nempe Bracteiflorae per *Balanophoreas* etc.; Juliflorae per scapos *Equisetorum*, Nudiflorae per plerasque *Nayadeas*.

Classis XIV. LILIIFLORAE.

Char. Perianthium biseriale, utraque series infera, triphylla (raro infra l. tetraphylla) interdum vero coali-

ta in perianthium monophyllum corollinum. Stamina perianthio inserta s. amphigyna. Fructus superus, liber l. in exoticis quibusdam calyce adnatus (non vero inferus ut priorum).

Fructus vel 1) *syncarpus*, perianthio corollino, stylis stigmatibusque in unum junctis = LXV. LILIACEAE l. discretis = LXVI. MELANTHACEAE, vel 2) *schizocarpus*, perianthio exteriori calycino triphyllo = LXVII. ALISMACEAE, vel 3) *holocarpus* placenta centrali seminibus erectis, perianthio glumaceo = LXVIII. JUNCACEAE.

Fam. LXV. LILIACEAE. Rich.

Char. Perianthii utraque series similaris, hypogyna, corollina, interdum in corollam monopetalam connata Stamina 6, perianthii foliis opposita et saepius adnata, rarius circa germinis basin, antheris introrsis. Stylus et stigma 1. Fructus liber, ex ovariis tribus (raro 2) connatus trilocularis, capsularis l baccatus. Semina saepius indefinita, albuminosa, angulo locorum centrali adfixa *Herbae, foliis simplicibus subvaginantibus, vaginis indivisis; floribus saepe speciosis.*

Tribus: I. ASPHODELEAE. Fructus capsularis. Perianthium nostris (excepto Muscari) hexaphyllum. Embryo linearis inclusus.

II. ASPARAGEAE. Fructus baccatus. Perianthium gamopetalum. Embryo in albuminis cavitate.

I. ASPHODELEAE. Semina 1) *plana, testa membranacea*; petala speciosa a) sulco nectarifero = *Lilium*; b.) absque nectario = *Tulipa;* b.) *turgida, testa crustacea atra* a.) flores umbellati, spathacei = *Allium* (graveolens!) b.) racemosi l. corymbosi absque spatha, extus herbacei virescentes = *Ornithogalum* (semina globosa) l. concolores (coerulei hexapetali = *Scilla*, urceolato-monopetali = *Muscari*) candidi = *Anthericum* (semina angulata). c) *tunica membranacea filiformi* = *Narthecium* vide Melanthaceas.

809. LILIUM *Martagon* L. floribus cernuis revolutis.

In dumetis pratensibus ad pedes montium ut infra S. Åsen ad N. Wram copiose (Forsander) et ad Krageholm (Åkerman); utroque loco cum Geranio phaeo. (In

Germania ut *Thalictr. aquilegifolium* etc., vere indigena quousque montes formationis primitivae, nec plene denegem etiam apud nos.]

Fritillaria meleagris nobis tantum hortensis.

810. TULIPA *silvestris* L. flore cernuo.
In aggeribus, collibus, pomariis etc. innumeris locis abundantissima, primo vere segetis instar stipata sed rarius florens et brevi marcescens. Cum in aggeribus et pratis suburbanis ad Malmö et Lund nulla planta verno tempore copiosior, jam ante seculum Linnaeus, quod geographicae rationes tamen dissuadent, haud advenam declaravit. Nullibi tamen nunc temporis colitur.

* ALLIA, *caule folioso, umbella bulbifera.*

811. A. *Scorodoprasum* L. planifolium, stamin. tricuspid.
In dumetis totius fere Scaniae campestris; copiose in Kullaberg, ad Helsingborg (Leche), Hörte, Benestad, Andrarum (Ros. 21), Lingon-näset ad Christianstad, Åby. Varietas macrior in arvis arenosis rarior.

812. A. *arenarium* L. teretifolium, stam. tricuspid. exsertis.
In arvis in plagis arenosis, ut ad Skanör, Falsterbo, Trelleborg, Söfde, vera pestis. Alibi rarior ut ad Sejebro prope Malmö etc.

813. A. *carinatum* L. stam. subulatis corolla trigona longiorib.
In dumetis, saepe humidiusculis, ad W. Wram (Rosén) v. c. ad viam, quae ad montis jugum ducit, ad Foglesång etc. raro.

814. A. *oleraceum* L. staminibus aequalibus corollam hexagonam aequantibus.
Per omnem Scaniam usque ad Hallandsås et Smolandiae fines, vulgo in dumetis, sed etiam in agris, ingrata *Allii arenarii* mantissa.

** ALLIA *scapiflora, umbella haud bulbifera.*

815. A. *Schoenoprasum* L. foliis fistulosis cylindricis.
In litore orientali ab Åhus ad Blekingiae fines non nisi sporadicum occurrit [copiose mox intra Blekingiae fines.]

816. A. *angulosum* L. foliis linearibus planis canaliculatis.
Ad ostium fluvii Helgeå in graminosis humidis. Mag. *Bergström*, Upsaliensis. Nomen, varia interpretatione

vagum, Kochii sensu *All. montanum.* De quo, de Alliis in Suecia cultis disputaturi, plenius disseramus. Rhizomate repente insigne.

817. A. *ursinum* L. foliis ovato-lanceolatis planis.
In omnibus silvis et nemoribus umbrosis, regionis frondoso-silvestris. Flores albi.

* ORNITHOGALA *lutea, staminibus subulatis.*

818. O. *spathaceum* Hayn. bulbo basi grumoso 2·5 folia filiformia enitente, petalis oblongis rectis obtusis.
In omnibus fagetis et nemoribus regionis campestris et frondoso-silvestris usque ad Rosenhult in Hallandsås, quoad individuorum copiam certe abundatissima species totius generis, sed numquam locis cultis ut sequentes (et ut Fagi cliens ad Calmar, ex Sjöstrand, et ad Götheborg, ex Areschoug, saltim progrediens.)

819. O. *stenopetalum* Fr. bulbo tuberifero monophyllo, petalis lineari-oblongis obtusis.
In aggeribus haud graminosis, arvis et cultis, hactenus tantum in planitie Malmogiensi et Lundensi, sed nullo modo adventitium v. c. inter Höjebro et Råby, Knästorp, Foglesång, Dahlby etc. In *alis* et *umbella* bulbiferum visum.

820. O. *luteum* L. bulbo simplici monophyllo, petalis oblongis obtusis.
In nemoribus et cultis frequens.

821. O. *minimum* L. bulbis gregariis simplicibus monophyllis, petalis recurvato-patentibus acutis.
Eisdem cum praecedente locis. Folia bulborum sterilium filiformia, fertilis vero planum. *Bieberstein* primus seduxit Botanicos, ut O. *spathaceo* affine crediderint. [O. *arvense* Pers. bulbo solitario diphyllo, pedunculis villosis, jam in insula Möen et ad Gryphiam copiosum — in plagis orientalibus quaerendum.]

* * ORN. *albiflora, staminibus dilatatis.* Si genere a prioribus distinguentur, necesse etiam Allii analogum et affine genus lacerandum.

822. O. *umbellatum* L. corymbo erecto.
In pratis et pomariis haud infrequens et saepe in Scania australi ex tota facie indigenum, prope Lund variis

locis ex. c. ad Gamla hospitalet, Malmö, Skabersjö (Retz. V. A. H.), Ö. Torp. etc.

823. O. *nutans* L. racemo penduliflоro.
In cultis et agrorum margines ad Lund, (Retz. l. c.) Öfvedskloster, copiosius vero in Scania orientali ad Ljungby, Araslöf (*Retz.* l. c.) Maltesholm. [Inter omnia locorum cultorum vitia hoc difficillimum, ne dicam impossibile, exstirpatu. Multi agelli ad Lund saepe spathula exfossi ut deleatur, at frustra.]

Praecedentes, quas e proveniendi ratione quisque vere spontaneas censeret, ut perennantes in Flora Scanica recipere haud dubitavi; sequentes vero adhuc seponimus ut incertas cives.

† SCILLA *italica* L. Sc. bifolia. *Retz. V. A. H.* 1769.
In hortis graminosis (Retz. Obs. 1) et pomariis minime rara ad Lund etc.

† MUSCARI *racemosum*. L. foliis laxissimis.
In graminosis suburbanis (Retz. Fl. Oec.), sed parce obvium.

824. ANTHERICUM *Liliago* L. racemo simplici.
In campis arenosis Scaniae orientalis inter Widsköfle, W. Wram et Cimbritshamn, ut ad Degeberga, inter W. Wram et Maltesholm, Borestad, Raflunda, Kiwik etc. sed maxime abundat ad Wiks Fiskeläge = A. ramosum It Scan. 257; hic locus quasi centralis). Flores sequentis majores et per mensem praecociores.

825. A. *ramosum*, scapo ramoso subpaniculato.
Simili solo et cum priori mixtum ad Degeberga et Widsköfle unde divergunt et hoc versus septentrionem extenditur. ut ad Nöbelöf, Wä (Ros. 22), Yngsjö, Åhus, Arup, Oppmanna.

Trib. II. ASPARAGEAE. *Perianth. sexpartitum*, stylo brevissimo = *Asparagus*; 6, raro 4-*fidum*, stylo exserto = *Convallaria*.

826. ASPARAGUS *officinalis* L.
Duplex varietas: α. [*strictus* Dethard.] stricta, foliis fasciculatis adpressis floribus hermaphroditis in desertis depressis arenosis maritimis, admodum copiosus ad L. Hammar, versus Ystad (Leche; It. Scan. 148), Sandhammar. β.) *altili* similis, laxus, floribus subdioicis in silvis magis sporadicus, ut Alnarp, Roslätt etc. sed culmi tenuitate, cum α hortensi vix tenuior sed fere li-

gnosus. Illum esse statum primarium silvestrem, hunc ex *altili* efferato ortum esse manifestum est.

827. CONVALLARIA *verticillata* L. foliis floribusque verticill. In silvis usque ad Hallandsås et Näsum minime rara.

828. C. *multiflora* L. caule tereti alternifolio aliifloro. In dumetis Scaniae campestris passim. Flores in alis racemulosi, in sequ. pedunculi solitarii 1-2 flori.

829. C. *Polygonatum* L. caule ancipiti alternifolio. In asperis saxosis Scaniae praecipue borealis; cum priori tamen saepe alternans v. c. ad N. Wram. Antecedentes genus Polygonatum Tourn., corolla cylindrica, a recentioribus receptum, sistunt.

830. C. *majalis* L. scapo racemoso secundo. In pratis sterilibus montanis et silvestribus.

831. C. *bifolia* L. caule bifolio, racemo terminali. In Scania silvatica et montana copiose, sed etiam in nemoribus campestribus v. c. ad Toppe-ladugård, Belteberga, Ranstorp, Wrams-Gunnarstorp alibique circa S. Åsen.

Fam. LXVI. MELANTHACEAE. Brown.

Char. Praecedenti valde affinis, differt perianthio semicalycino, antheris saepius extrorsis, stylis liberis, carpellis connatis quidem, subinde baccatis, saepius capsularibus demum solutis, angulo centrali dehiscentibus. *Herbae caule saepius abbreviato, foliis integris vaginantibus.*

Hoc loco in unum ordinem colligimus Liliifloras syncarpas 3 l. polygynas, licet genera perianthio fere uniseriali fructu potius schizocarpo (*introrsum enim dehiscunt*; syncarpi autem extrorsum et holocarpi apice) propriam familiam, inter Alismaceas et Juncaceas inserendam sistant. Sed nobis illarum nulla typica genera, quare alio loco fusius exponamus limitationem nostram familiolarum vicinarum. *Narthecium* nullo pacto a Tofjeldia removeri potest, vidi semel stylis tribus liberis, semper s. d. stylum in tres integros (nec laceratione tantum ut Liliacearum) facile separare potes; ita etiam fructus maturus tricapsularis. Haud magis e stylo differunt haec genera quam Rosae systylae a congeneribus.

I. TRILLIEAE. Perianthium exterius manifeste calycinum. Fructus baccatus. — *Tribus intermediae, exoticae, nobis desunt.*

II. HELONIEAE. Perianthii series conformes, extus calycinae. Fructus capsularis tripartibilis. *Palustres.*

I. TRILLIEAE. Praeter rationes plures pure botanicas *Trillieae* venenatae, radicibus fortiter emeticis, propius accedunt ad *Colchicum*, *Veratrum* etc. quam ad *Asparageas* turionibus esculentis. Analogia multiplex structurae cum Listera. A typico *Trillio* (culto), partium numero absolute ternario, recedit *Paris*, numero quaternario et ultra, stam 8-12.

832. PARIS *quadrifolia* L.
Ubique in nemoribus.

II. HELONIEAE. Stylis 3 conglutinatis, capsulis polyspermis, apice junctis, filamentis villosis = *Narthecium* (glabris in libere trigyna *Tofjeldia*); stigmatibus sessilibus, capsulis subdispermis apice discretis divergentibus = *Scheuchzeria.*

833. NARTHECIUM *ossifragum* L. sub Antherico.
In Scania boreali-occidentali, tam interiori v. c. Odelljunga, Perstorp, Röke, quam maritima ut in Hallandsås ad Forslöf etc., in Kullen ad Farhult (Lech.).

834. SCHEUCHZERIA *palustris* L.
Copiose in paludibus plagae borealis, rarior in frondoso-nemorosa ut in Bosarps torfmosse alibique ad Ringsjö, ad Börringe.

Fam. LXVII. ALISMACEAE. Dec.

Char. Perianthium distincte biseriale, utraque series libere triphylla; calycina persistens, corollina marcescens. Stamina perianthii foliis opposita, et numero aequalia libera, amphigyna. Styli liberi, stigmatibus totidem. Fructus: carpella plura, discreta nunc indehiscentia 1-2 sperma, nunc follicularia sutura interiori dehiscentia. Semina exalbuminosa. *Herbae aquaticae, scapo nudo multifloro basi foliis radicalibus vaginato.*

Habitu inter priores et Juncaceas l. quoad analogiam Hydrocharideis et Potamoget. intermediae; *Scheuchzeriam* Heloneis potius adscribendam censemus. *Carpella* in nostris vel 1) *indehiscentia*, monosperma, (inflorescentia verticillato-pa-

niculata) nunc floribus monoicis, polyandris = *Sagittaria*, nunc hermaphroditis hexandris = *Alisma*; 2) *follicularia*, sena, polysperma, sutura interiori dehiscentia (inflorescentia umbellata) = *Butomus*; 3) circa columnam verticillata, monosperma, basi dehiscentia s. secedentia (infloresc. racemosa) = *Triglochin*.

835. SAGITTARIA *sagittifolia*. L.
In stagnis et fluviis limosis passim.

836. ALISMA *Plantago* L. foliis ovatis.
In aquosis minime rarum.

837. A. *Ranunculoides* L. foliis lineari-lanceolatis.
In aquosis regionis campestris australioris, copiosissime circa Trelleborg, Böste, Kalthus; sporadice in plagis interioribus v. c. Roslätt et circa litus occidentale, ut ad Râ, Engelholm. Leche in Retz. Obs. 1, p. 12. Inflorescentia subumbellata transit ad sequ.

† A. *natans* L. foliis emersis ellipticis.
In ultimo promontorio Hallandsås inter Ramsjö et mare. *Retz. in Phys. S. H. p.* 317. Iteratis vicibus frustra quaesivi, sed locus maxime peculiaris, scatens stagnis lapidosis a mari passim inundatis; post *Retzium* similibus locis tam in Jutlandiae opposito litore, quam Norvegiae australis lectum. [Inquirendum A. *parnassifolium*, A. Plantagini simile sed triplo minus, foliis cordatis.]

838. BUTOMUS *umbellatus*. L.
In fluviis et stagnis passim.

839. TRIGLOCHIN *maritimum* L. fructu 6-capsulari.
In pratis et pascuis marinis vulgare, sed in locis campestribus paludosis late vagans ut ad Höj, Kjellinge, Annelöf etc.

840. T. *palustre* L. fructu tricapsulari lineari.
In palustribus Scaniae totius.

Fam. LXVIII. JUNCACEAE. Brown.

Char. Perianthium distincte biseriale, utraque series triphylla, glumacea persistens (Exoticae formae interiori serie corollina nexum cum prioribus indicant). Stamina 6, basi perianthii inserta ejusque phyllis opposita. Stylus tristigmaticus. Fructus, capsula trivalvis,

uni - l. tri-locularis, placentis centralibus. Semina erecta; embryone in basi albuminis compacti. *Plantae subgramineae* (culmus) *foliis angustis vaginantibus.*

Formis intermediis cum Liliiflorarum classe manifeste conjunguntur, ut etiam characteribus ad eandem coguntur, licet habitus *Glumiflorarum*, proprie *Spadiciflorarum* sectionis holocarpae. [*Desvauxiae* exoticae ad has manifeste abeunt.] In *Junco* capsula trilocularis, polysperma, habitus Cyperaceus; vaginae fissae convolutae. *Luzula*, capsula unilocularis trisperma, vaginae indivisae Liliacearum; sed folia graminea.

JUNCUS. Triplex distinguenda sectio: * *Culmo* (nostris laterifloro) aphyllo (840 – 845) ** *Culmo foliis teretibus intus plus minus septatis nodosis* (846—849) *** *Culmo foliis canaliculatis contiguis.* (850—854.)

* 841. J. *conglomeratus* L. floribus compacte conglobatis. In paludibus passim, in sequentem transiens; var. capitulis 3-4-pedunculatis in maritimis versus Skanör amphibola.

842. J. *effusus* L. floribus divergenti-effusis. In paludibus, praecipue silvaticis, copiose.

843. J. *balticus* Willd. panicula 3-4-fida arrecta. In arenosis maritimis, ut inter Engelholm et Vegeholm, in Kullen, ad Glumslöf, ad Ystad et Kabusa, Sandhammar etc. copiose. [*Juncus arcticus* ad hunc se habet ut Junc. conglomeratus ad J. effusum.]

844. J. *glaucus* Ehrh. panicula multifida laxa. Locis uliginosis in dumetis, ut in Stensbyhäller copiose, Foglesång, Svenstorp etc. parce. Ceterum prope Lund ad fossas viarum versus Dahlby, Hurfva, Vipemöllan e. s. p. Culmo gracili, argute striato, glauco, cernuo, intus septato, floribus exiguis politis copiosis eminus dignoscendus.

845. J. *filiformis* L. cyma simplici pauciflora. In pratis humidis sterilibus frequens.

J. *maritimus* Lam. aphyllus, panicula terminali — in ipsis Blekingiae conterminis, insulis ad Sölfvitsborg abundans, probe inquirendus in adjacentibus Scaniae insulis. [Ad Värnanäs etc. provinciae Calmariensis lectus a *Sjöstrand.*)

** 846. J. *obtusiflorus* Ehrh. panicula refracto-divaricata.
In omnibus locis paludosis convallis fluvii Köpingensis a Röddinge ad mare ubique copiose. Nomen a glumis obtusis.

847. J. *articulatus* L. panicula erecta, foliis nodosis.
In paludibus et ad ripas copiose, *Juncus lamprocarpus* Ehrh. Statura mire varius. Glumae omnes acutae.
* J. *acutiflorus* Ehrh. strictior, panic. magis composita.
Locis similibus silvaticis. Glumae interiores acuminatae.
* J. *repens* Requ. fluitans l. decumbens radicans.
In stagnis paludum turfosarum.

848. J. *nodulosus* Whlnb. erectus, paniculatus, foliis intus septatis.
In paludibus, etiam marinis, usqne ad Sissebäck. Synonymis abundat; exteri J. *alpinum* Vill., l. J. *fusco-atrum* Schreb. l. J. *ustulatum* Hopp. e. s. p. dicunt; nos recepimus indigenum. Alii olim pro J. *obtusifloro* habuerunt, glumae interiores enim obtusae, sub quo quoque nomine olim in Fl. Hall. inserui.

849. J. *supinus* Mönch. foliis plurimis radicalibus setaceis, floribus capitulatis sparsis.
In palustribus et uliginosis mire varius. Forma primaria foliis omnibus setaceis minor decumbens; β. *strictus*, praecedenti affinis, foliis caulinis crassiusc. basi canaliculatis, capitulis subpaniculatis; γ.) *fluitans* laxus, natans, foliis caulinis ut in β.

*** 850. J. *squarrosus* L. culmo nudo cymoso.
Ubique in pratis humidis sterilibus. [Cum plurima judicia de plantis patriae e Suecia media egressa sint; hic, *Trollius* etc., plantae per omnem Sueciam meridionalem et occidentalem vulgatissimae, vere ubiquitariae, pro raris proponuntur.]

851. J. *bulbosus* L. culmo simplici paucifolio cymoso.
In campis sterilibus, ad vias, etiam in litore marino. Capsula globosa, obtusa. Habitu admodum a sq. differt.
* J. *Gerardi* Lois. gracilis, capsula oblonga acuta.
In litore maris a Båstad ad Cimbritshamn, sed etiam in pratis humidis ut Triglochin. Est J. *bottnicus* Wahlnb. sed aeque communis ad omnia oceani et maris

mediterranei litora, in palustribus Germaniae et Hungariae [etiam Upsaliae in Kungsängen etc.] Praecedentis esse varietatem nondum plane evictum censemus; sed J. *bulbosus* ipse saepe in hoc quaeritur.

852. J. *bufonius* L. dichotomus floribus in alis solitar.
Locis hieme inundatis, praecipue arenosis, copiose. Capsulae oblongae; [globosae in proximo J. *Tenageja* Ehr., in German. boreal. et Dania copioso, sed certe apud nos nondum viso. Retzius nullum locum novit et ex Ehrharto haud rite intellecto recepit. Est itaque etiam inter dubias cives delendus.]

853. J *pygmaeus* Thuill. subramosus, capitulis trifloris.
In pascuis arenosis marinis inter Klagstorp et Hvellinge rarior. Videtur J. bufonius var. *Whb. Goth.* Capsula pyramidata.

854. J. *capitatus* Weig. simplex, capitulo multifloro.
Locis arenosis ad litora Scaniae totius a Båstad ad Blekingiae fines, copiose ad Ystad, Kivik et in regione Christianstadiensi ubique late a mari evagans, ut ad Gualöf etc. Capsulae ellipticae.

855. LUZULA *campestris* Dec. floribus capitulatis.
In silvis et campis ubique. Vera omnino var. *pallescens* in umbrosis fagetorum; var. *congesta* in plagis orientalibus arenosis. Vide *Nov. Fl. ed.* 2.

856. L. *pilosa* Gaud. floribus in umbellam sparsis.
Frequenter in silvis.
ACORUS, Juncaceis in Dec. Fl. Fr. adscriptus, vid. in sq. classe.

Classis XV. SPADICIFLORAE.

Char. Flores in rachide (saepe incrassata) aggregati, sessiles, incompleti. Perianthium vel nullum vel simplex, concentricum, setosum aut rarius squamulosum. Stamina hypogyna l. a ♀ discreta. Fructus superus, liber.

A facie herbacea ad gramineam descendunt et re ipsa *Gramineae* ob habitum peculiarem, bracteis alternato-imbricatis, magnamque formarum copiam, licet potius ex ordine holocar-

po hujus classis, seorsim proponuntur. *Cyperaceae* ita intermediae, ut perinde videatur, cui classi subscribas. E charactere vero supra dato huc referendae. Familiae apud nos obviae vel 1) *syncarpae*. placenta haud centrali, *monostigmaticae* = LXIX. CALLACEAE, *polystigmaticae* = LXX. ORONTIACEAE vel 2) *schizocarpae* = LXXI. POTAMOGETONEAE l. 3) holocarpae, semine erecto i. e. placenta centrali = LXXII. CYPERACEAE.

Fam. LXIX. CALLACEAE. Bartl.

Char. Flores spadicini, spathacei, numerosissimi aggregati. Perianthium nullum Stamina indefinita, raro ovariis intermixta, vulgo in parte spadicis superiori discreta. Stigma simplex, sessile. Fructus aggregati, baccati (drupacei) uniloculares, poly-l. monospermi, seminibus *placenta laterali* insertis, albumine carnoso, embryone axili. *Herbae foliis petiolatis vaginantibus, integris divisisve.* (De Typha vide infra.)

Stamina ovariis immixta spadicem undique tegentes, bacca polysperma = *Calla*; supra ovaria in spadice apice nudo clavato, bacca monosperma = *Arum*. — Accedit TYPHA, appendicis loco subjuncta, ad Cyperaceas quasi descendens spadice superne ♂, infra ♀, perianthio setoso, fructu monospermo sicco, foliis ensiformibus equitantibus.

857. CALLA *palustris*. L.
In paludibus Scaniae silvestris, etiam australioris ut ad Roslätt alibique in plaga silvatica jugorum a Romeleklint excuntium; etiam in regionibus sterilibus silvis privatis ut ad S. Åsen, Svartskylle-sjö.

858. ARUM *maculatum* L.
Solo humoso umbroso, ut circa Krageholm v. c. in insula Lybeck; ad Engelholm; etiam in saepibus ad Lund.

859. TYPHA *latifolia* L. foliis planis.
In aquis et stagnis paludum turfosarum copiose.

860. T. *angustifolia* L. foliis semicylindricis.
Priori longe rarior, in Höjeå, ad Löddeköping, Malmö, Gärsnäs (It. Scan. 179, 148), Lefrasjö; copiosissime in Svartskylle-sjö.

Typhae genus, in dispositione naturali difficillimum,

omnino medium inter Callaceas et Cyperaceas; illis subscripsi ob semina pendula. Si plura ejusdem typi essent genera peculiarem cum plerisque agnoscerem familiam.

Fam. LXX. ORONTIACEAE. Bartl.

Char. Plurima ut in Aroideis (*Pandaneae* medium locum tenent) sed adest perianthium e bracteis concentratis 3-6-phyllum; stamina definita 3, 6 perianthii basi vulgo inserta; ovaria 2-3 (cum stylis connatis stigmatibusque totidem) coalita abeunt in fructum capsularem 2-3 locularem, loculis submonospermis l. abortu unilocularem; semina pendula. *Herbae aquaticae, foliis simplicibus linearibus.*

Flores hermaphroditi, hexandri perianthio 6-partito spadice sessili laterali = *Acorus*; monoici, triandri, trimeri = *Sparganium*. (Spadices globosi, pedunculati, alares.)

861. ACORUS *Calamus* L.
In stagnis et fluviis Scaniae tum campestris quam silvaticae copiose; usque ad extimos fines (It. Scan. 60), minime primitus introductus!

862. SPARGANIUM *ramosum* Huds. foliis triquetris, ♂ axillar. in aquosis passim. Cum sequente jungebat L. forte melius; simili modo variat *Sp. natans* axe simplici et ramosa.

863. S. *erectum* L. foliis basi trigonis, ♂ terminal.
Locis similibus, parum diversum, sed exstat alia forma minor foliis subfluitantibus sq. accedens.

864. S. *natans* L. foliis planis natantibus.
Orgyale in lacubus extra Nymphaeas; pumilius in stagnis. In hac forma flores masculi in capitulum unicum, sed in vulgari utique plura et saepe, ut in Sp. ramoso, supra feminea axillaria.

Fam. LXXI. POTAMOGETONEAE. Reich.

Char. Flores spathacei, in spadice (plus minus distincto) aggregati, absque squamis imbricatis. Perianthium mplex, squamaceum aut nullum. Stamina in

hermaphroditis 4 hypogyna, in diclinibus solitaria. Stigmata tot quot ovaria libera. Fructus: carpella (subquaterna) plura, libera, monosperma, indehiscentia. Semen laterale aut pendulum, exalbuminos., embryone uncinato. *Herbae aquaticae in gramineam faciem abeuntes, caulibus nodoso-articulatis, vaginis intrapetiolar.*

Interpretatio generum tetrandrorum varia; Cel. *Bartling* flores pro compositis androgynis habet. Genera 1) *tetrandra* hermaphrodita, a) spadice multifloro perianthio tetraphyllo (potius flores bracteis quaternis) nucibus sessilibus = *Potamogeton*; b) spadice bifloro perianthio nullo, nucibus stipitatis = *Ruppia;* 2) *monandra*, monoica, perianthio nullo, carpellis subquaternis = *Zannichellia* 3) *androgyna*, floribus ♂ et ♀ nudis in spadice lineari unilateralibus = *Zostera*. (Gramen submersum marinum).

POTAMOGETON. Facile hujus generis distinguuntur sectiones 1) PLANTAGINIFOLII, folia medio dilatata A) *Natantes*, caule simplici (folia natantia necessaria, sicca rufescentia 865 868) B) *Lucentes*, caule ramoso, foliis virescenti-fuscis, (folia natantia accidentalia 869—871 — l. nulla 872—874) II. GRAMINIFOLII foliis linearibus, semper conformibus. C. *Compressi*, stipulis liberis (875—879); D. *Pectinati*, stipulis folio adnatis (880, 881.)

A. *Natantes*, caule simplici, foliis floralibus semper natantibus.

865. P. *natans* L. simplex, foliis submersis evanidis.
In lacubus et fluviis (in rapidis laetius viret, caulis elongatus, folia acutiora, pedunculi laterales) communis. "Folia submersa, basi *obtusa*, ut reliquis primitus utique adsunt" *Fries Nov.*

866. P. *fluitans* Roth, simplex, foliis submersis in petiolum attenuatis, pedunculis incrassatis.
In Rönneå, Helgeå, rara species. Nuces acute carinati.

867. P. *oblongus* Viv. simplex, foliis in petiolum attenuatis, pedunculis filiformibus.
Varietatem optimam *angustifoliam* in Helgeå legit Ahnfelt. Fructus, qui in prioribus magnitudine Pisi, in hac vix Brassicae semen aequant, etiam sicci prorsus ecarinati!

868. P. *rufescens* Schrad. simplex, foliis submersis sessilibus.

In aquis Scaniae campestris (Foglesång, Gullarp, Hagestads mälare etc.) frondoso-silvestris (S. Rörum etc) copiose. Etiam in frigidissimis aquis v. c. in Odensjö, lacu illo singulari profundissime excavato in S. Åsen, at non in pineto-montanis nostris. Nuces acute carinat.
B. *Lucentes.* Ramosi, foliis dilatatis, fuscesc. aut vires.
a. *pedunculis incrassatis.* Subinde foliis natantibus gaudent, sed accidentalibus h. e. non steriles, uti priores sine foliis natantibus.

869. P. *lucens* L. ramosus, foliis in petiolum attenuat.
In lacubus et fluviis omnibus. Raro foliis natantibus, qualia indubie hujus speciei tamen legimus.

870 P. *gramineus* L. ramosus, foliis submersis sessilibus.
In aquis Scaniae totius; saepissime foliis natantibus ornatur; copiosissime ad Ringsjön.

871. P. *curvifolius* Hartm., ramosus, foliis submersis amplexicaul.
In Scania campestri tantum, sed haud raro, vulgo foliis conformibus lanceolatis ut in Löddeström etc. emersis vero natantibus in stagnis v. c. ad Stångby; var. terrestris ad Krageholm. P. nitens *Web. et Nolt. Fries Nov.* sed indigenum nomen, ab exteris receptum, servare debui.
b. *pedunculis aequalibus.* Folia omnia conformia, nulla natantia.

872. P. *praelongus* Wulf. foliis semiamplexicaul. laevibus, nucibus acute carinatis.
Copiose in Ifö-å, Helgeå etc. valde apud nos protensus tam caule, quam pedunculis. In lacubus Scaniae haud vidimus.

873. P. *perfoliatus* L. foliis cordato-amplexicaul., nucibus ecarinatis.
In aquis vulgaris. Var. *β. gracilis*, foliis lanceolatis, in Ifö-sjö.

874. P. *crispus* L. foliis semiamplexic. undulatis, *caule compresso*, nucibus rostratis.
In aquis stagnantibus et lente fluitantibus. In salsa ad Landskrona. Pedunculi teretes. Folia lineari-oblonga.
C. *Compressi.* Folia linearia, omnina submersa conformia, *stipulae liberae;* pedunculi subcompressi.

875. P. *compressus* L. caule complanato-alato, spica cylindrica longe pedunculata.
In aquis stagnantibus fluviisque, v. c. ad Höj, copiose.

876. P. *acutifolius* Link, caule pr., spica ovata breve pedunc.
Locis similibus, copiose in Svartskyllesjö. Minime est praecedentis forma abortiva, jam foliis acuminatis, quae in priori obtusa cum mucrone, dignoscitur; nuces in hoc *perfectius* explicatae, multo latiores et acutius carinatae.

877. P. *obtusifolius* Mert. caule compresso-rotundato, spica prior.
Rarissima in Scania species, in lacu Krageholmensi lecta. Folia basi biglandulosa.

878. P. *pusillus* L. caule filiformi pedunculisque elongatis subcompress.
In aquis sub multis formis. In *vulgari* folia trinervia subavenia acutiuscula; in forma *majori* caulis latior, distincte compressus, folia quinque-nervia venosa; in *tenuissima*, strictiori, nervi laterales simul obsoleti. Nuces omnium oblongo-ellipticae carinatae.

879. P. *gracilis* Fr. caule pedunculisque setaceis teretibus.
In stagnis marinis ad Landskrona, raro. Folia setacea, uninervia avenia. Spica globosa. Nuces elliptico-globosae ecarinatae.

D. *Pectinati.* Folia linearia, omnia submersa conformia, *stipulis adnatis* vaginantia. Pedunculi teretes.

880. P. *pectinatus* L. foliis distichis, nucibus carinatis.
In aquis communis, etiam salsis.

881. P. *marinus* L. foliis inordinatis, nucibus ecarinat.
In litoribus arenosis Scaniae orientalis.

882. RUPPIA *maritima* L.
In mari haud raro, vulgo pedunculo elongato spirali, ut ad Torekow, in Kullen, Landskrona, ostium fl. Saxån, copiosissime in sinu inter Hvellinge et Skanör. Orientem versus rarescit et minor, sporadica vero occurrit usque ad Årup, R. rostellata Koch. An plures species?

883. ZANNICHELLIA *palustris* L. stylo rigido recto.
In aquis maritimis a Båstad usque ad Christianstad minime rara.

884. ZOSTERA *marina* L.
In mari, copiose ad litus occidentale, rarior ad orientale. [*Zosteraceae*, Najadeis male adscriptae, peculiarem omnino sistunt familiam, *Potamogetoneis* proximam, at ne familiarum numerus haud nimis augeatur hoc loco in Florula nostra recepimus.]

Fam. LXII. CYPERACEAE Juss.

(Calamariae L.)

Char. Flores spicati, in rachide sessiles, bractea imbricata (gluma) tecti. Perianthium raro squamulosum, plerumque setaceum aut o. Stamina hypogyna, libera, numero ternario l. in exoticis simul numero multiplicato. Stylus 1, stigmatibus 2, 3. Fructus solitarius, centralis, superus, nucamentaceus, unilocularis, nudus l. perianthio inclusus. Semen solitarium, erectum, a pericarpio discretum albuminosum, embryone centrali. *Plantae gramineae culmo subcontinuo, vaginis integris, spicis forma variis.*

Spiculae 1) hermaphroditae a) squamis omnibus fertilibus *undique imbricatis*, perianthio setoso vel in lanam longissimam excrescente = *Eriophorum* vel marcescente nullove = *Scirpus*, *bifariam imbricatis* = *Cyperus*; b) squamis exterioribus vacuis = *Schoenus*; 2) diclines (submonoicae) nuculis perianthio utriculari inclusis = *Carex*. Vulgo haec genera in plura dividuntur, quod minime inpugnem, sed tironibus interest prisca primaria primum discere.

ERIOPHORUM. Polystachya (885—887); Monostachya (888, 889.)

* 885 E. *angustifolium* Roth. longifolium, pedunculis laevibus. In paludibus frequens. Hoc et 2 sqq. sub *Erioph. polystachyo* a Linnaeo junguntur. — Var. *β. triquetrum*, culmo altiori, foliis triquetris — in stagnis silvaticis habitu fere Caricis filiformis. E. *angustifolium* Smith.

886. E. *latifolium* Hopp. brevifolium, pedunc. scabris. In pratis humidis passim v. c. Foglesång, Efverlöf, Löderup, N. Wram etc. Folia plana.

887. E. *gracile* Koch foliis triquetro-filiformibus, pedunc. prior.
In aquosis hieme inundatis praecipue campestribus v. c. ad Arup, Roslätt, Malmö (in pascuo marino ad plagam borealem) etc. rarius.

** 888. E *vaginatum* L. culmo tereti vaginato-aphyllo
In Scania silvestri passim, campestri raro v. c. ad Bosarp, etc. Floret exeunte Martio.

889. E. *alpinum* L. culmo triquetro basi foliato.
Non tantum in Scania silvatica et in paludibus sterilibus S. Åsen v. c. ad Odensjö; sed etiam in campestribus ut ad Ifötofta, Söfdeborg, Röslätt etc.

SCIRPUS. Spiculae l. * plures discreti terminales (890—893); ** lateralesve (894); l. *** in spicam compositam disticham terminalem aggregatae (895, 896) l. **** simplici solitaria terminali (897—890.)

* 890. S. *silvaticus* L. culmo folioso obtuse trigono.
Juxta fluvios et rivulos passim. Ad ripas inundatas *Helgeå* colligi possunt specimina *Scirp. radicantem* referentes. An hic subspecies tantum?

891. S. *maritimus* L. culmo folioso acute triquetro.
In maritimis haud raro. Copiosus in Kullen, ad Landskrona, Barsebäck, Löddeköping, Malmö, Abekås, Ystad e. s. p.

892. S. *lacustris* L. culmo tereti nudo, stigmat. 3.
In lacubus et fluviis frequenter.

893. S. *glaucus* Sm. culmo tereti glauco, stigm. 2.
In litore marino; copiose ad Hvellinge, orientem versus ab Ystad; etiam in stagnis campestribus v. c. ad Lund. Ut *varietatem* prioris olim tantum in Floras nostr. introduxi; sed re ipsa constans et multis evidentibus notis diversus. [Ut additamentum pulchrorum Scirporum, quibus Floram Suecicam auximus, laeti annunciamus *Scirpum pungentem* Vahl. S. triquetrum Fl. Dan. ex Örö in taeniis ad Misterhult ab amico *Wallman* inter S. glaucum lectum. Similibus locis apud nos quaerendus nam ex habitu consimili facile conjunguntur.]

** 894. S. *setaceus* L. culmo tereti foliato, spiculis lateralib.
In arenosis inundatis tam litoris marini passim v. c. Ramsjö, Helsingborg, Skanör (It. Scan. 228) Gislöf etc,

quam aquarum dulcium, ut ad pedes Söderåsen, Möllehult (Forsander), Silfåkra-sjö [unde specimina, quae *Scirp. supinum* Sw. Summ. subministrarunt.]

*** 895. S. *compressus* Pers. culmo tereti planifolio, spica disticha.
In pascuis udis totius Scaniae campestris; ad Lund v. c. Foglesång.

896. S. *rufus* Schrad. culmo foliisque, canaliculatis, teretibus.
Var. *major* ad Öresund multis locis, ut Vegeholm, Kullen, Barsebäck, infra Malmö usque ad Hvellinge; dein ad Skanör incipit var minor, *baltica*.

**** 897. S. *caespitosus* L. culmo tereti-anguloso, vaginis subfoliatis, stigmatibus 3.
Copiosissimus in Scania silvestri et frondoso-silvestri ut circa Ringsjön, Rörum, Bosarp etc.; sed etiam in campestri (prope Lund ad Sularp) usque in litus marinum ut ad Skanör, Vegeholm; ibi pedalis, immo sesquipedalis.

898. S. *Baeothryon* Ehrh. culmo tereti, vaginis truncatis aphyllis, stigm. 3.
In campis humidis ubique. In hoc et priori omnes squamae fertiles et a rachi articulo discretae, sed duae infimae maximae spicam aequant.

899. S. *palustris* L. culmo pr., stigmat. 2.
In paludosis ubique a digitali ad tripedalem altitudinem varians. Squamae 2 infimae oppositae, steriles, cum culmo contiguae. [Sc. *multicaulis* Smith. proximus, sed stigm. 3, squama infima sterili *bifida*, quoad soli indolem adesse possit in lacubus par. Tossie.]

* S. *uniglumis* Link. spicis fusco-atris, gluma sterili solitaria integra amplectente.
Ubique in litore marino. Valde insignis, forte separandus, J. *bottnico* analogus.

900. S. *acicularis* L. culmo setaceo anguloso aphyllo.
Ad aquarum ripas; prope Lund ad Höjeå; etiam in litore marino, ubi maximus v. c. ad Dalköpinge.

901. CYPERUS *fuscus*. L.
Locis inundatis, aestatibus calidis exsiccatis; ad Roslätt *Agardh*, in litore occidentali lacus Krageholmensis *Ljungsteat* primi legerunt.

902. SCHOENUS *Mariscus* L. foliis aculeato-serrulatis.
In paludibus ad litus occidentale lacus Lefrasjön, ad Öfvedskloster [in Kullen ad Farhult, ut mihi relatum est.]

903. S. *fuscus* L. foliis laevibus subsetaceis, spicul. fuscis.
In paludibus Scaniae silvestris passim; copiose ad Örkelljunga, ad Quesarum.

904. S. *albus* L. foliis canaliculatis laevibus.
Locis similibus, sed versus campestrem regionem longius descendit ut ad Årup, Röstånga, Bosarp etc. Paucas novimus ineptius conjunctas species quam praecedentes.

905. S. *ferrugineus* L. aphyllus, spiculis digitatis.
In paludibus v. c. ad litus orientale lacus Lefrasjö, ad Benestad, inter Bosarp et Gullarp, in Kullen.

CAREX. Vastissimum hocce plantarum phanerogamarum in Floris arctois genus in tres sectiones primarias naturales abit: A) spicis pluribus subpedunculatis, sexu distinctis; 906—933. B) spica e spiculis sessilibus androgynis composita; 934—947 C) spica solitaria simplicissima; 948—950. Illa praecipue ulterius subdividenda; pro libello excursurio in greges naturales, historia et externa facie conspirantes, dispescere optimum visum fuit, characteresque specierum addere habituales; praemonendum tamen est characteres subtiliores carpologicos a tirone, domum reverso, in amplioribus libris diligenter esse comparandos. Cfr. *Agardh Caricogr. Scan*

A. *Spicis pluribus sexu distinctis.* Stigmata 3: Culmi 1) subnudi basi tantum foliati (locis aridis nascentes); bracteis l. aphyllis = 1. C. *digitatae* (906, 907) l. foliaceis = 2. C. *montanae* (908—911) 2) foliati (locis humidis nascentes), spiculis laxis l. pendulis = 4. C. *pendulinae* (918—924) l. erectis, foliis vaginantibus suffultis = 3. C. *extensae* (912—917) bracteisve amplectentibus dimidiatisve = 5. C. *paludosae* (925—930.) Stigmata 2: = 6. C. *acutae*. (931—933.)

1. C. digitatae. Spicae altitudine aequales, sparsiflorae vaginis aphyllis bracteatae. *Solo sicco.*

906. C. *digitata* L. spicis pedicellatis brunneis.
In silvaticis Scaniae borealis passim, etiam in jugis denudatis, v. c. a Ryssbergen ad Arup, a S. Åsen in Norra Wrams Linde, ad Trolleholm etc. descendens.

907. C. *ornithopoda* Willd. spicis subsessilibus pallidis,
E Scania boreali-orientali misit morte praematura ereptus Dr. *Ljungstedt*, sed locum specialem haud indicavit.

2. C. montanae. Spicae scalares, in alis foliorum terminalium aggregatae erectae, subsessiles. Fructus. Capsulae subglobosae stipatae, brevirostres. Culmi subnudi. *Vernales in campis aridis.*

908. C. *montana* L. culmo foliisque laevibus laxis.
In nemoribus colliculosis frequens v. c. Foglesång. Folia, nulla hyemalia, laete viridia, cum culmo basi rubent. Spicae nigricant.

909. C. *ericetorum* Poll. culmo laevi, foliis rigido-expansis.
In campis aridis exsuccis copiose v. c. Lackalänge. Floret cum foliis annotinis, basi fusca. Spica ♂ fusca.

910. C. *praecox* Jacq. culmo laevi foliisque erectis.
In pratis colliculosis ubique. Tota fere flavovirens, basi concolor. Prioribus paulo magis serotina. C. *tomentosa* Ag. Car. Scan. 15.

911. C. *pilulifera* L. culmo serrulato foliisque decumbent.
In pascuis siccis freqnens. Viridis, magis aestivalis.

3. C. extensae. Spicae erectae, in alis foliorum vaginantium, ♀ saepe remotae, immo radicales. Capsnlae inflatae, rostro brevi l. o. Gramina foliosa, laete virentia. *Locis graminosis humidis.*

912. C. *extensa* Good. spicis approxim. fructibus erostratis.
In litore maris ad Blekingiae fines, ad Saxaviken etc.

913. C. *flava* L. spicis approxim. fructus rostro deflexo.
In pratis humidis frequens. Elatior et pumila.

* C. *Öderi*, foliis subinvolutis, rostro patente.
Ad litora glareosa, hieme et vere inundata ad Ringsjö etc. raro. [Circa lacus in Smol. prioris magnitudinem attingit, sed semper angustior. Valde insignis quidem est, sed ad C. *flavam*, etiam loco natali, ut Aira uliginosa ad *A. flexuosam* accedit.)

914. C. *fulva* Good. spicis remotis densifloris squamis muticis fulvis.

In pratis humidis Scaniae totius silvaticae; in regione ad Hallandsås, Wrams Gunnarstorp, Stehag etc.

915. C. *speirostachya* Whlnb. spicis prior., squamis muticis fuscesc.
In pratis humidis Scaniae campestris v. c. inter Foglesång et Sandby. Synonymia harum intricatissima: C. *distans*, Ag. Car. Scan. 13; mihi a priori facillima videtur distinctu: hujus culmi laeves, solitarii, radice repente; prioris scabri, dense caespitosi, radice fibroso-caespitosa, colore omnium partium laetiori.

916. C. *distans* L. spicis distantibus, squamis mucronatis; fructu glabro.
In pratis humidis litoris orientalis a Hörte ad Årup et Valjö, ubi frequentior.

917. C. *hirta* L. spicis distantibus, squamis cuspidatis, fructu hirto.
In pratis subhumidis campestribus ubique. Spicae masculae solitariae l. plures. Tota plerumque hirta, quo foliisque latis dignoscitur a C. *filiformi*, e characteribus huic gregi accedente.

918. C. *panicea* L. spicis remotis sparsifloris, fructib. globosis subobtusis glabris.
In pratis humidis ubique. Spicae fuscae. Circa Karsholm lecta var. capsulis quasi collapsis aegre a C. *livida* separanda.

4. C. pendulinae. Spicae ♀ longe pedunculatae, demum pendulae, pedunculo exserto; ♂ solitaria; C. *flacca* sola variat spicis mascul. pluribus.

919. C. *flacca* Schreb. fructibus erostratis obovato-globosis rugulosis.
In pratis aquosis in planitie argillacea ubique. Insigniter glauca, rigens. Fructus inflati sub lente pubescunt.

920. C. *pallescens* L. fruct. ellipticis inflatis obtusis laevibus.
In pratis nemorosis humidis ubique copiose. Laete virens, mollis. Spicae sub anthesi erectae.

921. C. *limosa* L. fruct. ovatis erostratis compresso-imbricatis.
In paludosis Scaniae superioris frequens, usque ad Lefrasjö, Quesarum, Konga in S. Åsen; raro vero in campestri, ut ad Börringe (Ag. Car. Sc. 18) Glauca, foliis strictis, triquetris.

* C. *irrigua* Whlnb. laete virens, foliis latis flaccidis. In paludosis nemorosis ad Tossie. Plurimi exteri separant nec in Suecia meridionali transitus vestigia. Squamae angustatae.

922. C. *capillaris* L. fruct. sparsis oblongis acuminatis. In Scania boreali-orientali; ad Årup copiose. Tenella, humilis, virens.

923. C. *silvatica* Huds. fruct. sparsis ovali-ventricosis rostro bidentato.
Ubique locis udis fagetorum, copiose ad N. Wram, W. Wram etc.; prope Lund in silva Alnarpensi. Laete virens, elongata, laxa. C. *Drymeja* Ehrh.

924. C. *pseudo-cyperus* L. fruct. oblongis triquetris rostratis squarrosis.
In aquosis Scaniae frondoso-nemorosae haud rara, v. c. Roslätt (Ag. Car.), Skabersjö, Stehag, Kulla-Gunnarstorp, Sissesjö, Lefrasjö etc. Ceteris major, firmior.

5. C. paludosae. Spicae masculae plures l. una androgyna; femineae erectae, bracteis incomplete vaginantibus suffultae. Fructus rostrati, ore *bifido. Species majores aquaticae.*

925. C. *vesicaria* L. fruct. inflatis glabris flavescentibus, culmo acutangulo.
Ad aquas Scaniae campestris copiose. Spicae demum cernuae.

926. C. *ampullacea* Good. fruct. prioris, culmo obtusang. Ad aquas Scaniae silvaticae frequenter.

927. C. *riparia* Curt. fruct. subinflatis glabris fuscesc. In aquosis silvaticis passim v. c. Bröddа, Roslätt (Ag. Car. 20); prope Lund ad Foglahuset versus Reften. Crassissima, latifolia.

928. C. *filiformis* L. fruct. ellipticis villosis, foliis convoluto-filiformibus.
In aquis Scaniae praecipue superioris usque ad Wrams-Gunnarstorp, Quesarum, Bosarp etc., sed etiam in Scania exteriori ut ad Roslätt (Ag. Car. 14), Hagestads mälare, Årup. Elata, sed gracilis. Spicae subsessiles.

929. C. *paludosa* Good. glauca, fruct. oblongis imbricatis nervosis.

Ad aquas regionis campestris et frondoso-silvestris minime rara. Fogelsång, Sularp, Roslätt (Ag. 24) Ranstorp, N. Wram, Årup plurimisque locis. Latifolia, eximie glauca.

930. C. *Buxbaumii* Whlnb. fruct. ellipticis triquetris obtusis asperulis.
In paludibus silvaticis rarior, ut ad Roslätt (Ag. Car. 21), Bjersjö-ladugård, Årup. [Etiam prope Lund lecta, sed locus incertus.] Spicae sessiles, terminalis androgyna.

6. C. *Acutae.* Praecedentibus similes, sed distigmaticae.

931. C. *acuta* L. spicis pedunculis foliisque laxis.
In ripis aquarum frequens.

932. C. *stricta* Good. spicis subsessilibus cylindricis.
In paludosis, ad rivulos graminosos frequens: ad Lund extra Ö. Tull. Folia stricta, ceterum a praecedente minus differt quam C. irrigua a C. limosa.

933. C. *caespitosa* L. spicis subsessilibus ovalibus.
Ubique in pratis et pascuis humidis. Valde variat, prioribus semper angustior. Spicae saepe androgynae.

B. *Spica e spiculis androgynis composita.* (Stigmata semper 2. *), spiculis basi masculis (934 – 939) **) superioribus intermediisque totis masculis (940, 941) ***) apice tantum masculis.

* 934. C. *remota* L. fruct. oblongo-ovatis imbricatis acuminatis acutangulis, foliis floralibus culmum superantib.
In umbrosis humidis fagetorum Scaniae totius, copiose ad Hallandsås, S. Åsen, Linderödsåsen prope W. Wram etc., Ryssbergen ad Årup. Circa Lund ad Alnarp, Fågelsång etc. *Pallescens ut 3 sqq.*

935. C. *canescens* L. fruct. ovatis imbricat. convexo-obtusangulis ovatis obtusiusc.
In pratis paludosis ubique.

936. C. *stellulata* Schreb. fruct. conicis squarrosis extus convexis acutangulis.
Locis similibus admodum vulgaris.

937. C. *microstachya* Ehrh. fruct. ovatis imbricatis acuminatis acute marginatis, spicul. lateral. ♀ minoribus.
In paludosis turfosis umbrosis ad Börringe, primum lecta a Praepos. *M. Bruzelio.*

938. C. *elongata* L. fruct. oblongis acutis utrinque convexis nervosis.
Eisdem locis ac C. *remota*, nec rarior. Gramen flaccidum pallescens, sed spiculae distantes brunneae.

939. C. *leporina* L. fructib. ovatis acuminatis utrinque planis in spiculas 5 ovales compactis.
In pratis et pascuis communis.

** 940. C. *arenaria* L, fruct. ovatis acutis membranaceo-marginatis, spiculis ♂ terminalib.
In arena litorali ubique, culmis e radice repente pulchre seriatis, sed longe saepe a mari aberrat v. c. in in territorio Willands, nec non tota planitie media ut Efverlöf, Genarp etc.

941. C. *intermedia* Good. fructib. ovato-conicis acute marginatis, spiculis ♂ intermediis.
Ubique in paludosis.

*** 942. C. *vulpina* L. spiculis compositis congestis, fruct. conicis acutangulis extus convexis squarrosis.
In paludosis frequens; maxima in Kullaberg.

943. C. *virens* Lam spiculis compositis subremotis, fruct. ovato-conicis extus convexis acutangulis patulis.
Locis humidis umbrosis silvarum circa Ringsjö.

944. C. *muricata* L. spiculis confertis, fruct. prioris, squarrosis.
Copiose in pratis et pascuis siccioribus. Spiculae parum aut vix compositae.

945. C. *paniculata* L. spiculis panic. laxis, fructibus ovato-conicis utrinque convexis patulis.
In paludibus copiosa. Culmus acute triqueter.
* C. *paradoxa* Willd. panicula subcompacta.
Ad Vejle-sjö etc.

946. C. *teretiuscula* Good. spiculis subcompositis erecto-spicatis, fruct. prior., culmo teretiusculo!
In palustribus et glareosis maritimis.

947. C. *chordorrhiza* Ehrh. spica composita capitata, fructib. subglobosis, culmo obtusangulo basi repente ramoso.
In paludosis ad Karsholm copiose. Primus legit *Ljungstedt*. [C. *incurva* Lightf. spica majori subglobosa, culmis discretis incurvis in Halland. conterminis, hactenus nondum intra Scaniae fines.]

C. *Spica solitaria simplicissima.*

948. C *dioica* L. spica unisexuali, stigmat. 2.
Ubique in palustribus. — Variat culmo scabro. Scanicam C. *Davallianam* Retz. Supl. 2. p. 10., in Englandsdal ad Båstad, ab hac separare non audemus. Fructus ovati, haud reflexi ut sqq.

949. C. *pulicaris* L. spica androgyna, stigmat. 2.
In paludosis graminosis passim, ut ad Dybeck, Roslätt (Ag. Car. 6.) Hörte, Efverlöf, Stehag; copiosior in S. Åsen et Scania superiori. Fructus oblongi, teretes.

950. C. *leucoglochin* Ehrh. spic. subtriflora androgyna, stigmatibus 3.
In paludibus, *Rubi Chamaemori* fida socia. Fructus subulati teretes.

Classis XVI. GLUMIFLORAE.

Char. Spiculae, s. inflorescentia partialis, multiflorae, sesquiflorae (i. e. altero flore abortivo) l. rarius uniflorae, involucratae bracteis 2 alternis, *glumis*, aut vulgo calyce dictis. Flores (vulgo flosculi) in rachide filiformi sessiles, alterni, recepti bracteolis 2 alternis, raro solitaria, *valvulis* aut vulgo corolla dictis. Perianthium proprium aegre conspicuum; squamula solitaria l. plures hypogynae, unilaterales, haud concentricum indeque spurium. Stamina hypogyna, saepissime tria, raro tertia parte deficiente 2, sed in variis exoticis duplicata 6 (4) et ultra, filamentis capillaribus. Styli nostris (excepto *Nardo*) 2, stigmatibus totidem subplumosis. Fructus omnibus in infima phanerogamarum classi holocarpus, centralis, monospermus, pericarpio testaque tenuibus adnatis = *cariopsis* Albumen farinaceum embryone ad basin extra albumen. *Gramina, culmis cylindricis tubulosis nodoso-articulatis, foliis alternis integerrimis vagina fissa in ligulam terminata amplexicaulibus.*

Classis naturalissima, hactenus sub una familia comprehensa = GRAMINEAE, licet plures rationes suadere videan-

tur sectiones nonnullas exoticas, v. c. arborescentes hexandras, holostylas *Bambuseas*, ut peculiares familias considerare.

Fam. LXXIII. GRAMINEAE L. Juss.

Char. Idem ac Classis.

Dispositio vulgo sumitur e spiculis uni-l. multifloris et inflorescentia. Harum differentias dispositionem fundamentalem haud offerre facile patet. Spiculae uniflorae et multiflorae variant in omni fere tribu, in multis generibus, subinde in eadem specie. Spiculis sesquifloris ista differentia admodum labefacitur. Inflorescentia difficultatibus non caret, sed ea plurima genera nituntur et facillima *tironibus*, quos a sequente dianome *genera nostra* brevi dignoscere per plura lustra expertus sum. Sit pro tempore et opusculi nostri ratione; ad magis absolutam dispositionem, e stylo, stigmatibus potissimum deducendam, genera exotica magis singularia respicienda sunt; his vero deficientibus in Florula nostra magis forsan artifialis videretur.

I. GRAMINEAE DIVULSAE. Rachis ipsa divisa in ramos inordinatos contiguos. Valvulae a glumis consistentia diversa (951—961). *In reliquis omnibus rachis primaria indivisa, vulgo valvulae et glumae consistentia aequales.*

II. GR. VERTICILLATAE. Rachis simplex, teres, ad exitum pedicellorum basi articulatorum semi-verticillatorum nodosa. (962—1009) *Panicula aequali a sqq. mox dignoscuntur. Involucrum nullum!*

III. GR. CAPITATAE. Rachis simplex, teretiuscula, spiculis aggregatis subsessilibus *involucratis!* (1010, 1011). *Involucro a proximis et spiculis scrobibus racheos non innatis a Spicatis facillime dignoscuntur.*

IV. GR. RACEMOSAE. Rachis angulata, latere pedicellis, basi haud incrassatis superne saltim solitariis, opposito exciso-dentata. Spiculae pedicellatae racemosae, haud involucratae. (1012—1027.) *Inflorescentia vel tota l. superne racemus simplex, sed passim rami inferiores in racemum abeunt, tum panicula secunda!*

V. GR. SPICATAE. Rachis simplex, latere spiculis opposito plano-canaliculata, exciso-dentata; spiculae in

scrobibus *absque pedicello* innatae. (1028—1040.) *Spiculis in scrobibus racheos prorsus sessilibus ab omnibus differunt, sed transitus in racemosas manifesti.*

I. GR. DIVULSAE. Spiculae 1) deorsum imperfectae, glumis ecarinatis = *Paniceae*; 2) uniflorae l. sursum imperfectae, glumis carinatis. = *Phalarideae.*

a) *Paniceae.* Grex in tropicis vastissima; nobis paucae formae. Rachis soluta a) in ramos secundos l. spicatos digitatos = *Digitaria* l. alternos paniculatos = *Panicum*; (Utrumque genus caret involucro); b) in thyrsum aequalem; involucro multiseto = *Setaria.* (Ceterum haud desunt aliae differentiae; nos primo in oculos incurrentes indicavimus).

951. DIGITARIA *humifusa* Pers. glabra.
In omnibus plagis arenosis abundat, ut Helsingborg, Annelöf; in planitie media ad Söfde, Hasslemölla, Blentarp; et Scaniae orientalis ubique a Kåseberga usque ad Bäckaskog et Ifötofta. Sub *Panico sanguinali.* L.

952. PANICUM *Crus Galli* L.
In agris et cultis per omnem Scaniam campestrem, sed sporadicum, ut in regione Helsingburgensi, ad Skanör, Ystad, Christianstad etc.

953. SETARIA *viridis* Palis., setis sursum scabris.
Per omnem Scaniam in agris et cultis, sed in planitie argillacea rarescit. *Panicum* L. ut sq.

954. S. *verticillata* P. setis retrorsum hispidis.
In cultis hinc inde sporadicum. *Retz. Fl. Oec.* Ita etiam vidi ad Marsvinsholm, Maltesholm etc.

b. *Phalarideae.* Inflorescentia thyrsoidea. Glumae a) basi connatae uniflorae, muticae, valvula solitaria = *Alopecurus*, b) liberae, cuspidatae (hinc spiculae *superne furcatae*!) valvulis 2 = *Phleum* c) liberae, muticae, sesquiflorae = *Phalaris.*

955. ALOPECURUS *pratensis* L. erectus, glumis villosis.
Ubique in pratis. (A. *nigricantis* in salinis Scaniae nullum vestigium.)

956. A. *geniculatus* L. adscendens, glumis villosis.
In paludosis et pratis humidis frequens.

957. A. *agrestis* L. glumis glabris.
E regione Christianstadiensi accepi, ipse haud legi.

958. PHLEUM *pratense* L. perenne, glumis unifloris mucronatis.
In pratis et pascuis frequens; solo sicciori var. *nodosa*. Thyrsus exacte cylindricus ut sq.
959. P. *Phalaroides* Koel. perenne, glumis sesquifloris apice rotundatis mucronatis.
In clivis siccis Scaniae campestris. *Phalaris*. L.
960. P. *arenarium* L. annuum, thyrso oblongo, glumis cuspidatis.
In plaga orientali arenosa a Christianstad ad Kâseberga passim, copiosissime ad Åhus, Widsköfle etc.
961. PHALARIS *arundinacea*. L.
In ripis Scaniae totius passim. Nostra species (*Digraphis* dicta) a typo generis (v. c. Ph. *canariensi*) recedit thyrso subpaniculato-verticillato et sic naturalem transitum ad Gr. *verticillatas* sistit.

II. GR. VERTICILLATAE. In nostris terris vegetationis gramineae maximam partem constituunt. Valvulae 1) membranaceae l. cartilagineae a) convergentes, globosae l. teretiusculae, flosculo unico l; si plures, aequalis consistentiae = *Agrostideae* b) interiori tenuiori impressa, carinata, flosculis 2 l. pluribus in rachiola alternantibus et in spiculam extrorsum dilatatam dispositis = *Aireae* 2) herbaceae, interiori impressa, carinata, flosculis in spiculam multifloram extrorsum decrescentem imbricatis = *Poaceae*. His semen plus minus sulcatum.

c. *Agrostideae*. Valvulae 1) pilis copiosis stipatae = *Arundo* (potius propria tribus, aliquot notis a veris *Agrostideis* recedens et tum in plura genera lacerandum); 2) pilis ad basin destitutae a) inclusae, tenuissime membranaceae = *Agrostis*; b) exsertae, cartilagineae, glumas aequales aequantes = *Milium* l. herbaceo-membranaceae, glumas inaequales superantes = *Catabrosia*.

962. ARUNDO *Phragmites* L. spiculis multifloris.
Speciosissimum nostrarum regionum gramen simulque maxime serotinum non tantum in aquis frequens, sed etiam agrorum humidorum vitium, v. c. ad Broby prope divers. Ingelstorp nec non in arena volatili ad Sandhammar. — Variat spiculis pauci — immo unifloris

sed in *sequentibus flosculi perfecti semper solitarii*, saepe cum secundi l. tertii floris rudimento.

963. A. *arenaria* L. glumis acutis valvulisque firmis; panicula in spicam contracta.
In arena litorali Scaniae totius, circa Engelholm, in Sandhammarn et territorio Villands praecipue abundans. Totum gramen paleaceo-pallescens, folia involuta. *Phalaris* ex Link et externa facie.

964. A. *baltica* Flügg. glumis acuminatis valvulisque firmis panicula contracta lobata,
In arena litorali ad Yngsjö (*Retzius* sub Arund. Epigej. maritima), in Sandhammarn copiose; parcius prope ostium Köpinge-å. *Panicula rubens*, folia siccitate tantum involuta.

965. A. *Epigejos* L. glumis subulatis, valvulis membranaceis seta dorsali recta aristatis, panic. pr.
In Scania silvestri et arenosa, sed vix in planitiebus argillaceis. Rigida, scabra.

966. A. *stricta* Timm. glumis lanceolatis, valvulis ut in praec., panicula patente stricta.
In paludosis Scaniae orientalis silvaticae usque ad Årup; etiam ad Kulla-Gunnarstorp in arena litorali legi.

967. A. *silvatica* Schrad. glumis acuminatis, valvulis membran. seta dorsali geniculata aristatis, panicula erecta.
In Scania silvatica, praecipue pineto-montana frequens. Agrostis calamagrostis L. ob pilos brevissimos.

968. A. *Calamagrostis* L. glumis cuspidatis, valvulis apice emarginato aristatis, panicula laxa cernua.
In Scania silvatica et ad S. Åsen v. c. N. Wram, Hallandsås ad V. Karup etc. copiosa tenuior, panicula sub. canescente (A. Gaudinian. Reich.); in campestri firmior, panicula subspadicea v. c. ad Hörte, Cimbritshamn (Aresch. Stirp. Cimb.) Vidsköfle, Årup. Prope Lund in palude versus Reften.

969. AGROSTIS *spica venti* L. valvulis subaequalibus, exteriori longissime aristata, panicula laxa.
In agris arvisque copiosa. Annua sola inter nostras Agrostideas. Spiculae cum rudimento alterius flosculi, in sqq. desiderato. Aristam basilarem non video, tantum corollae basi pilosae rudimenta.

970. A. *canina* L. valvula interiori o, exteriori infra medium aristata, foliis radical. subsetaceis.
Frequens in pratis humidis; panicula purpurascente l. flavida.

971. A. *rubra* L. valvula interiori duplo minori, ligula brevissima.
In versuris graminosis siccioribus frequens. Saepius apud nos, ut sequens, mutica = A. *vulgaris* With., sed variant aristatae.

972. A. *stolonifera* L. valvulis pr., ligula oblonga.
In nemoribus et arvis humidis, ad ripas etc. erectior et in arena litorali late repens, valde variabilis, saepius rubescens, quam alba: A. *alba* L.

973. MILIUM *effusum*. L.
In nemoribus humidiusculis frequens. Spiculae globosae, semper muticae et uniflorae.

974. CATABROSIA *aquatica*. Palis. Aira. L.
In aquosis pinguibus ubique. Spiculae semper muticae, vulgo biflorae, sed saepe etiam *uniflorae*, rarius multiflorae. Gramen eximie verticillatum, rachi articulata. Jam Trinius monet de *Colpodio* variare spicula uniflora et multiflora. Nullum dubium superest quin generis sit *C. algida* (Agrost. algida Whlnb.), grave vero de specifica differentia.

d. *Aireae* (Avenaceae). Grex valde naturalis, cujus plurima genera a Decandolle etc. adhuc sub Avena junguntur. *Arista vere dorsalis*, qua ab omnibus sequentibus mox dignoscuntur, 1) recta l. geniculata tenuis in a) utroque flosculo hermaphrodito = *Aira* (inodorae, glabrae); b) in flosculo masculo terminali, inferiori hermaphrodito mutico = *Holcus* (inodori, velutini); c) in flosculo intermedio cum imo masculis, supremo hermaphrodito diandro = *Hierochloa* (suaveolentes, glabrae, panicula nitida spiculis ovatis) d) in flosculo intermedio cum imo apice aristato univalvibus neutris, terminali hermaphrodito diandro = *Anthoxanthum* (glabrum, siccitate fragrans, panicula contracta simpliciter verticillari, spiculis ante et post anthesin subulatis virescentibus); 2) valida contorta, hygrometrica = *Avena*.

975. AIRA *caespitosa* L. panicula ramosissima laxa, arista recta inclusa.
Copiose in pratis humidis fertilibus.

976. A. *flexuosa* L. panicula subtrichotoma flexuosa, flosculis aristaque geniculata exsertis.
In pratis asperis montanis copiosa. Perennis.

977. A. *caryophyllea* L. panicula divergente, flosculis inclusis, arista genic. longe exserta.
In collibus graminosis inter Hvellinge et St. Hammar, Ahlstad, Ystad passim; raro ad Hammarlunda (Retz. Supl. 1.) et Quinnevad, ubi per ultimos annos tamen non reperta. Annua.

978. A. *canescens* L. panicula conico-coarctata; flosculis aristisque clavatis inclusis.
Nullibi in campis arenosis desiderata.

979. A. *praecox* L. panicula oblongo-coarctata, flosculis glumas aequantibus, arista genicul. exserta.
In pascuis sterilibus, ad viarum margines etc. per omnem Scaniam frequenter et quidem praecipue in jugis montanis sterilibus Romeleklint etc. usque ad Hallandsås. Annua, vernalis, brevi fugax.

980. HOLCUS *lanatus* L. velutinus, glumis obtusis.
Ubique in pratis humidis, sed parcior.

981. H. *mollis* L. superne glaber, glumis acutis.
In Scania praecipue australi, solo arenoso, humidiusculo ut Skanör, Krageholm etc. et orientali frequentior, praecipue circa Rörum (territ. Albo) copiose. Etiam in silvaticis ut ad Röddinge [immo Smoland. interioris ad Telestad prope Wexiö.]

982. HIEROCHLOA *borealis* Schrad. sub Holco.
In dumetis paludosis late dispersa, sed nullibi copiosa; prope Lund ad Foglahuset versus Reften; circa Söderåsen ad N. Wram alibique; in Scania suprema orientali ad Karsholm etc. Sub *Holco odorato* et hanc et H. australem jungebat Linné.

983. ANTHOXANTHUM *odoratum* L.
Ubique in pratis et pascuis siccis.

984. AVENA *elatior* L. perennis, panicula rara pyramidali, flore *imo masculo*, terminali mutico!
In pratis frequenter cum var. *bulbosa.* Hinc repetit ge-

nera praecedentia, ut peculiare genus vix evitari possit, licet natura aperte voluerit Avenam. Testatur flosculos sursum l. deorsum abortivos minoris esse ponderis, quam vulgo fingitur.

985. A. *fatua* L. annua, panicula aequali laxa, flosculis basi pilosissimis.
Inter segetes Scaniae campestris passim.

986. A. *strigosa* Schreb. annua, panicula secunda cernua, flosculis basi nudis.
Inter segetes Scaniae silvestris copiose. Haec per omnes provincias occidentales, ubi prior vulgo desideratur, aeque vulgaris ac prior per orientales. Equidem saltim decies plura hujus quam prioris vidi individua. [A. *orientalis*, panicula secunda coarctata, flosculo altero mutico inter Hordeum etc. saepe copiosa, cerealibus adnumeranda.]

987. A. *pubescens* L. perennis, panicula verticillari erecta, foliis latis strictis.
In pratis Scaniae totius, praecipue vero silvaticae. Vaginae et folia vulgo pubescunt; vidimus tamen glaberrima ad Löddeström prope Lackalänge.

988. A. *pratensis* L perennis, panicula racemosa subsimplici, foliis rigidis glaucis.
Locis siccis per omnes plagas campestres. In hac tandem specie tribus in Festucaceas abit inflorescentia subracemosa; sed aristae dorsales locum verum probant. Haec sola aberratio differentiam inter Gr. *verticillata et racemosa* haud magis tollit, quam *A. fragilis* L. inter paniculata et spicata.

989. A. *flavescens*, perennis; panicula densa (flavescente) foliisque angustis flaccidis.
In pratis Scaniae orientalis ut ad Valjö, Landö, Esperöd, Ystad; item ad Malmö var. major spiculis fuscovariegatis; ad Lund in Paradislyckan maxima graminis pars. [Proxima A. *subspicata* ad Kölerias, a quibus species dorso aristatae excludendae, abire videtur, sed aristae genus confirmant.]

e. *Poaceae.* Arista neque dorsalis, ab Avenaceas neque vere terminalis a Festucaceis praeter reliquas notas distinguit. — Valvulae exteriores 1) acutae, carinatae, a)

spiculis aequalibus deplanatis conglomeratis = *Köleria* (Rami *verticillorum* in thyrsum contracti); b) spiculis ovatis evidenter decrescentibus discretis = *Poa* [rami verticillorum elongati]; 2) obtusae muticae dorso tereti ecarinatae, a) una cum spiculis cordatae = *Briza*; b) una cum spiculis oblongae = *Heleochloa* 3) apice bifidae, arista subterminali, dorso tereti = *Bromus*. (Transitus ad Festucaceas, sed rachis teres perfecte verticillata in paniculam aequalem; arista haud exacte terminalis etc. Omnes nostri Bromi annui sunt; omnes nostrae Festucaceae perennes.)

990. KÖLERIA *glauca* Dc., culmo sursum velutino.
Per omnes plagas orientales arenosas, ut orientem versus ab Ystad, Sandhammar, Brösarp, Raflunda, Maglehem, Degeberga, Widsköfle, Gualöf etc. admodum vulgaris; in plaga media arenosa, ut Efverlöf, Blentarp etc. vulgatissima inter gramina; in occidentali parte tantum ad Engelholm. Folia glauca, rigidula. [Genus quodammodo medium inter Aireas et Poaceas, unde Linnaeus nunc huic, nunc illi generi adscripsit.]

991. K. *cristata* Pers. culmo sursum glaberrimo.
In Scaniae boreali-orientalis dumetosis, primo a Mag. Jörlin ad Oppmanna, dein a Prof. *Åkerman* aliisque lecta. Folia flaccida, laete viridia, ciliata. De specifica differentia mihi saltim nullum dubium; fefellerunt forsan prioris formae foliis asperulis pilosulisve.

992. POA *sudetica* * P. *remota* Forss. panicula laxissima, spiculis 3-floris flosculis liberis, vaginis compressis scabris.
In declivibus scaturiginosis ad Gudmundtorp inter frutices, 50 circiter pedes a *Kongskällan* versus septentrionem. Saltim ut subspecies a vera *Poa sudetica* separanda nostra, quae P. *hybrida* Gaud.

993. P. *trivialis* L. panicula effusa, spiculis 3-floris, vaginis ancipitibus scabris elongato-ligulatis.
Ubique in pratis pinguibus humidisque.

994. P. *pratensis* L. panic. diffusa laevi, spiculis 5-floris, vaginis teretibus laevibus truncato-ligulatis.
Ubique in graminosis siccioribus. Inter varietates notanda P. *humilis* Ehr. digitalis, caesio-coerulescens in campis humidis, praecipue elegans versus Skanör.

995. P. *serotina* Ehrh. panic. pyramidali erecto-diffusa asperula, spiculis 5-floris versicoloribus, vaginis teretibus elongato-ligulatis.
In pratis fertilibus humidiusculis passim. Foglesång etc. Exstat forma in nemoribus triflora, panicula angustata, omnino media inter hanc et sequentem.

996. P. *nemoralis* L. panicula lanceolata subsecunda nutante, spiculis 3-floris, culmo tereti, ligula obsoleta.
In silvarum nemoribus frequens.

997. P. *compressa* L. panicula angustata rigida subsecunda, spiculis 5-9-floris, culmo compresso,
Locis aridis, siccis; in muris vetustis; etiam in arena ad Gualöf, Kåseberga etc. repens.

998. P. *bulbosa* L. panicula ovata densa, spiculis 5-7-floris, culmo tereti cum foliorum fasciculis bulboso.
In Scaniae orientalis arenosis raro, ut ad Brösarp (Aresch. Cimbr.) Apud nos *vivipara* tantum lecta, sed in Ölandia et hanc non viviparam et P. *alpinam collinam* manifeste diversas legimus.

999. P. *annua* L. panicula pauciramea effusa, spiculis 5-7-floris, culmo subcompresso foliisque mollibus.
Solo laxo culto domestico etc, ubique; et in pascuis humidis spiculis saepe versicoloribus = P. *supina* Schrad. In maritimis vivipara visa. Non vere annua, licet primo anno floreat, sed perennans.

1000. BRIZA *media* L.
In campis humidiusculis.

1001. HELEOCHLOA *aquatica*, arundinacea, erecta, verticillorum ramis numerosissimis laxis. *Poa* L. ut sqq.
In aquosis Scaniae totius, praecipue campestris, minime rara. Tres Auctores, alterorum studiorum nescii, sub Hydrochloae nomine genera distinxerunt! (H. *pendulina* s. Glyceria Laest. priori nimis affinis, sed notabilis ut sequ. eximie connectens.)

1002. H. *distans* Hartm. adscendens, verticill. ramis paucis refractis, foliis planis.
In aquosis squalidis et maritimis passim. Rachis semiteres tantum.

1003. H. *maritima* H. basi repens, vertic. ramis paucis ante et post anthesin arrectis, foliis involut.
In arenosis maritimis Scaniae occidentali, ut Torekow, Kullen, prope Landskrona (Düben Landskr.) Panicula subspicata, violacea.

1004. BROMUS *secalinus* L. panicula laxa pendula, spiculis ovatis compressis demum squarrosis.
Nimius inter cerealia hyberna etc.

1005. B. *pratensis* Ehrh. panicula rara post anthesin contracta, spicul. ovato-lanceol. convexis compactis.
Per Scaniam campestrem *vulgatissimum* gramen in pratis humidis, panicula verticillari saepe simplici parum nutante (etiam spicula unica in culmo!) sed solo sicco pingui praecedentem magnitudine aequat panicula ramosissima et tum erecta. Utrum Br. *racemosus* L. hic, an *hordeacens* sit dubium est; hinc nomen certum et aptissimum perenni confusione vago praetulimus. *Spiculae glabrae*!

1006. B. *mollis* L. panicula erecta ovata densa, spiculis oblongis convexis pubescentibus.
In pratis frequens.
* B. *hordeaceus* Whlnb. minor; spiculis glabris.
In collibus et aggeribus siccis, ut ad Lund, Kjeflinge, Harlösa, Weberöd, Kåseberga, Andrarum, Bäckaskog. Praecipue insignis vegetatione circinante, subcaespitosa, culmis subdecumbentibus.

1007. B. *arvensis* L. panicula laxa demum pendula, spiculis lanceolatis compressis arcte imbric.
In arvis, versuris frequens.
* B. *patulus* Mert. panicula aristisque patulis.
Juxta vias raro; inter Lund et Höjebro. Facies ob spiculas haud versicolores sat diversa, sed notae haud sufficere videntur.

1008. B. *sterilis* L. panicula rara laxa nutante, spiculis linearibus planis dissitifloris.
Ad saepes et muros vetustos haud frequens, v. c. ad Christianstad, Lund (Br. *triflorus* Retz. in Vet. Ac. Handl. 1769) Landskrona, Engelholm prope templum c. s. p.

1009. B. *tectorum* L. panic. conferta laxa subsecunda, spiculis sublinearib. demum squarrosis.
In clivis arenosis passim; copiose in declivibus ad Löddeström.

Exoticae exstant species panicula in capitulum contracta, per has, *Lophochloam*, *Trichaetam!* transitus facillimus in Cynosureas.

III. GR. CAPITATAE, involucrat. = f. *Cynosureae*, rachi et spiculis haud innatis facile a spicatis diversae, sed potius forsan inter *Poaceas* et *Festucaceas* dispescendae, cum involucrum e spiculis sterilibus ortum, pinnatifidum in *Cynosuro*; sed bracteans simplex in *Sesleria*.

1010. SESLERIA *coerulea* Arduini. Cynosur. L.
In pratis sterilibus trans Helgå tantum; copiose in par. Ifötofta.

1011. CYNOSURUS *cristatus* L.
Ubique in pratis.

IV. GR. RACEMOSAE. Glumae 1) spicula elongata multiflora breviores, valvula exteriori herbacea apice subaristata, rachi haud excurrente, semine sulcato = *Festucaceae*; 2) membranaceae (excepto *Enodio*, spiculam abbreviatam aequantes), valvulae demum cartilagineae l. coriaceae muticae, rachi cum rudimento styliformi excurrente, semine latere inter. planiusculo = *Meliceae*. Illae Poaceis proximae, hae facile *Agrostideis*. 3) *Danthonieae*, arista Avenae, cetera Triodiae, nobis exoticae, sed *Avena pratensis* ex inflorescentia inter has facile quaerenda. Hae per *Gaudiniam* in Triticeas simul abeunt. Sic maxime reticulatim in centro Graminearum affinitates decussatae omneque genus multifariam indigitat analogiam.]

g. *Festucaceae*. Valvula exterior 1) compressa, carinata, mucronata = *Dactylis* (spiculae deplanatae, glomeratae, in paniculam secundam dispositae): 2) teres, subulato-acuminata, apice carinato l. bifido, in aristam excurrente = *Festuca* (spiculae virgineae compressae, in thyrsum l. paniculam secundam irregulariter racemosam dispositae): 3) convexae, lanceolatae, acutae, ecarinatae, apice scarioso saepe lacero (arista subinde exseritur infra apicem sed accidentalis) = *Glyceria* (spiculae virgineae teretes in racemum simplicem l. in-

ferne ramosum, ramis simpliciter racemosis; dispositae). In *Brachypodio* subspicato pedicello gaudent inferiores spiculae, sed *crasso* et, ut videtur, spurio, hinc inter Triticeas receptum genus.

1012. DACTYLIS *glomerata* L.
In saepibus et pratis frequens; pumila, digitalis tantum in collibus siccis ad Kâseberga. *Dactylis* ad Festucam accedit, ut *Köleria* ad Poam.
FESTUCA. Duplex videtur complecti genus, quod ut *Arrhenatherum* ab Avena constans esset distinguere: * *Festuca*, valvula exteriori apice carinato integerrimo ipso aristata, Pois analoga (1013—1016) et ** *Schedonorus*, valv. exter. apice ecarinato bifido ab arista subterminali discreto, Bromis analogus (1017—1019.) Bromi L. et Auct. mult, sed a Glyceriis admod. diversi.

1013. F. *ovina*, spiculis oblongis erectis, foliis setaceis, radice fibroso-caespitosa.
Solo sicco ubique, interdum eximie glauca et alibi violascens. Insignis var., F. *tenuifolia* Schrad., raro obvia, *Poae* simillima! In culmo quattuor striae. Pedicelli omnes solitarii, inferiores tantum divisi.

1014. F. *glauca* Lam. spiculis lanceolatis patulis, foliis rigidis filiformi-teretibus, radice prioris.
In monte Kullaberg, etc. non semper glauca, sed etiam pallide virens. Sequ. forte var.

1015. F. *duriuscula* L. spiculis lanc. patul., foliis compresso-filiformibus canaliculatis, radice pr.
In pascuis siccis litoralibus, saepe violaceo-tincta (F. *caesia* Smith.), ut in petris litoralibus ad Cimbritshamn. Variat etiam spiculis villosis! Numquam veram viderunt, qui cum sq. politiori strictiori comparant.

1016. F. *rubra* L. spiculis lanceolatis, foliis radical. convolutis, culmeis planis, radice repente.
Ubique in pratis et pascuis, externa facie et colore mire varia. Insignes varietates sunt: *β. squarrosa*, elatior, latifolia, panicula laxa, spiculis squarrosis velutinis — lecta in arena ad Rörum territ. Albo; *γ.* F. *arenaria* Osb. Retz. Suppl. pumila, decumbens,

foliis omnibus convoluto-filiformibus, panicula coarctata, spiculis arcte imbricatis lanuginosis.

** *Schedonori.* Proprium genus potius!

1017. F. *erecta* Wallr. panicula erecta, foliis radicalibus angustissimis ciliatis.

Ad margines agrorum humidos ad Rörum Scaniae orientalis, rara.

1018. F. *aspera* Mert. panicula cernua, foliis scabris.

In dumetis declivibus, ad pedes montium Scaniae orientalis usque a Gothungia (*Retz.*) ad Krageholm, multis locis, copiose ad Röddinge, Stenby etc; in parte occidentali tantum legi ad Gyaberg prope Stehag.

1019. F. *gigantea* Vill. panic. laxissima, foliis laevibus.

In nemoribus frequens; Lundae in hortis. [*Fest. silvatica* etiam hujus generis.]

GLYCERIA. Hoc genus ad Festucam et Schedonorum accedit ut *Heleochloa* ad Poam et Bromum. E *Linnaeo* quoque omnes species *Festucae*, recentiores *Gl. fluitantem* cum *Heleochlois* in unum genus coegerunt. Inflorescentia vero manifestissime Festucea, immo *saepius* racemus simplicissimus Triticearum; valvula corollina exterior *acuta*, nervo medio excurrente, ante apicem scariosum evanescente, *certissime subinde aristam illam accidentalem* infra apicem ac *Gl. pratensis* exserens. Inflorescentia, spiculis, nervorum situ etc. omnes huc relatae omnino conveniunt. Differunt aliquantulum 1) forma squamulae perianthii, sed in *Glyceria pratensi* etc. etiam simplex, bipartita, stamina basi gerens, 2) glumis G. *fluitantis* saepius membranaceis Melicearum, sed tales etiam in Gl. *donacina* l. *arundinacea*, ut hanc differentiam e loco pendere credam. Species infra allatas idem sistere genus naturale jam habitus *) suadet; inter species

---

*) Sunt, additis etiam exoticis v. c. *Gl. inermi*, omnes gramineae elatiores, latifoliae, eximie dulces unde nomen (Heleochloae insipidae l. salsae); culmus arundinaceus *multinodis* ad nodos inferiores radicans (aquaticae, *fluitans* et *arundinacea*, manifestissime); rachis subcontigua, dentato-incisa, latere spiculis primo erectis adpressis parallelo cana-

omnes exstant formae intermediae (praecipue racemo simplicissimo Gl. *fluitantis*, G. *loliaceae*, G. *pratensis*) vel a magistro aegre discernendae et praecipue illustratur affinitas multis lusibus singularibus. Sic Gl. *arundinaceam* ad Triodiam referre quidam maluere ob valvulam exteriorem apice lacero-tridentatam, sed exacte huic respondentem lusum tricuspidem Glyc. *fluitantis* in Fl. Silisiaca describunt Wimmer et Grabrowski.

1020. G. *pratensis*, spiculis linearibus omnibus pedicellatis, vaginis articulo brevioribus. F. elatior L. *Suec.*
In pratis communis; locis siccis racemo simplicissimo *Lolium perenne* omnino refert; adest tam pedicellus brevissimus et glumae 2. — Radix repens! Culmus adscendens cum vaginis leviter compressus! Racemus subcernuus ut in reliquis. Praetuli nomen recentius, cum ceteris sui generis *minor* sit; cum *Linnaeus* cum plurimis recentioribus hoc nomen sequenti etiam tribuerit et vario usu omnino amphibolum.

1021. G. *litorea*, spiculis ovato-lanceolatis pedicellatis, vagin. pr. F. elatior L. *Sp. Pl.* Brom. litoreus *Retz.*
Ad litora inter frutices praecipue maris, ut ad Hörte, Glumslöf alibique passim, sed etiam lacuum majorum (Jfö- et Opmanna-sjöar), amnium (Köpinge-å) et rivolorum inter frutices (Gleminge bäck.) Culmus altior, folia et spiculae latiores, sed hae breviores pauciflorae, apud nos, jam monente Retzio, prioris haud frequentius aristatae. Nomen *litoreae* aptissimum est; *arundinaceae* s. *donacinae* servandum F. *arundinaceae* Liljebl., inter hanc et sequ. mediae, vere arundinaceae.

1022. G. *fluitans* Brown, spiculis linearibus, vaginis ancipitibus articulo longioribus imbricatis.

---

liculato; spiculae primo teretes dein sub anthesi squarroso-compressae pedicello partiali longiores; pedicelli superiores solitarii simplicissimi (spicula unica, quales saepe videre licet omnes in *Gl. pratensi*, *loliacea*, *fluitante*, tum ob spiculas dorso rachin spectantes Lolii habitum prae se ferunt!), inferiores vulgo in racemos simplices elongati, paniculam secundam raram sistentes. Glumae inaequales, breves. Valvula interior impressa, utrinque nervo valido marginata.

In aquis racemo composito, ramis refractis, sed in pratis humidis racemo simplicissimo subspicato, apice cernuo ubique.

1023. G. *loliacea*, spiculis linearibus summis sessilibus, vaginis teretibus. Festuca *Curt.* F. adscendens *Retz.*
In pratis pinguibus ad Christianstad *Retz!*; ipse ad Beneslad hanc, sed nimis maturam, me legisse puto. Habitus prorsus praecedentis simplicioris ob colorem etc sed jam Retzius recte indicat differentias vaginas teretes, racemum inferne compositum e ramis semper erectis! A G. *pratensi* differt spiculis summis solitariis prorsus sessilibus. Hinc aequo jure *Lolium festucaceum*, nisi glumae bivalves, diceretur.

h. *Meliceae*. Glumae 1) spiculis, *virgineis subulatis*, multo breviores, subcarinatae; valvulae lanceolatae subaequales acutae, terminales [utraque] convexae = *Enodium* [Culmus basi uninodis! Inflorescentia in macris simpliciter racemosa, sed in majoribus valde composita, spiculis subglomeratis!]: 2) spiculas abbreviatas obtusas aequantes l. superantes, a) valvulis demum cartilagineis ovatis concavis exteriori apice leviter bifida = *Melica* (culmus binodis; spiculae subbiflorae simpliciter racemosae in pedicellis solitariis); b) valvulis demum coriaceis, exteriori oblonga apice tridentata, interiori ovata arcte impressa, margine viridi-nervoso ciliato, absque margine deflexo scarioso accessorio Enodie et Festucacearum = *Triodia* (culmus trinodis; spiculae oblongae turgidae subancipites in racemum simplicem dispositae; flosculi ad rachiolae dentes binis fasciculis pilosis stipati).

1024. ENODIUM *coeruleum* Gaud. Melica. L.
In pascuis humidiusculis frequens. Culmus unico articulo prope basin incrassatus, sursum omnino aphyllus; e collo radicis et nodo culmi *tres* egrediuntur vaginae elongatae imbricatae; villo brevi ligulae loco terminatae, folia rigida siccitate convoluta exserentes. Hae tres vaginae totidem nodos *Melicearum* typicos indicant, quum plures in Festucaceis. Racemus valde elongatus; rachis contigua subteres, latere vero pedicello parallelo plano-canaliculato, leviter dentata.

Pedicellus singulus e scrobe saepius jam basi ramosissimus in plures racemulos abiens, [unde spurie verticillatus,] primo erectus, strictus, basi haud incrassatus. Spiculae pauciflorae (flosculi numero varii), florentes oblongo-compressae. Gluma exterior *paulo* brevior, lanceolata. Valvula exterior subherbacea, glumis tamen firmior, trinervis, nervo dorsali sulcato, quasi e duobus conflato; interior in flosculis lateralibus impressa canaliculata, extra nervos binos virides margine lato deflexo scarioso genitalia amplectente Festucacearum, quare tetraëdro-navicularis, dorso canaliculato. Rachiola excurrit in rudimentum styliforme ut in Meliceis. Ex his patet multis rationibus inter Festuceas et Meliceas esse genus intermedium (cum utroque genere quoque conjunctum fuit); ipso vero graminis habitu considerato *Enodium* et simul subenodis *Nardus* sunt duo inter omnia nostra distinctissima genera. *Moliniae* nomen, variis Gramineis adscriptum, cum Lessingio antiquiori et definito Compositarum generi servamus.

1025. MELICA *uniflora* Retz. spiculis sesquifloris erectis. In fagetis et nemoribus ubique usque ad Näsum et Hallandsås.

1026. M. *nutans* L. spiculis bifloris cernuis. In montosis priori rarior, ut in parte boreali, Hallandsås, S. Åsen, Ifö, Forsakar, Belteberga etc; item ad Foglesång. Culmus cum vaginis asperis exquisite tetragonus, tertio nodo in basi infracta remoto. Rachis triquetra, contigua. Glumae subaequales, basi fere connatae, oblongae apice scarioso obtuso. Flosculi 2 perfecti sub-oppositi, cum tertii l. quarti etiam rudimento. Semen liberum, ovali-oblongum, compressum, interiori latere planum, sed exsulcum, fuscoferrugineum nitidum. Hanc esse Melicam *It. Scan.* 107, ex indice patet. [Ipse quidem accepi e Gothungia specimina M. *ciliatae*, sed vix dubie ex Ölandia orta.]

1027. TRIODIA *decumbens.* Palis. Festuca L. In pascuis et pratis sterilibus passim. Culmi e radice

centrifuga, ut Sesleria, *extrorsum patentes* l. decumbentes, cum vaginis leviter compressi. Racemus simplex, distichus, spiculis adpressis spicatus, pedicellis basi aequalibus. Glumae lanceolatae acuminatae, trinerves, nervo dorsali medio sulcato, quasi duplicato, in apicem scariosum evanescente. Valvula exterior dorso teres, 7-nervis, tres nervi primarii in dentes apicis obtusi scariosi excurrunt, quorum intermedia brevior. Est itaque Glyceriis analogum, non affine genus; ut Enodium Dactyli, facie ad Triticeas exoticas quasdam proxime accedens.

V. GR. SPICATA. Spiculae 1) exsertae, solitariae, nudae in spicam distichani dispositae = *Triticeae*; 2) liberae, aggregatae, glumis involucratae, spica subaequali = *Hordeaceae*, pro quarum appendice considerari possunt 3) rachi immersae, haud exsertae, incompletae, a.) spica aequali, valvulis geminis = *Lepturus;* b.) spica unilaterali, gluma valvulaque solitariis, stylo 1 = *Nardus.*

i. *Triticeae.* Spiculae 1) teretiusculae, inferiores pedicello crasso brevissimo = *Brachypodium*; 2) parallelo-complanatae, latere dorsali rachi adpressae, gluma externe tantum suffultae = *Lolium;* 3) transverse applanatae s. latere plano rachin spectantes = *Triticum* (*Agropyrum* spiculis multifloris, flosculis omnibus perfectis); *Tritici* species typicae sativae, potius sub hoc nomine servandae, recedunt spiculis extus convexis paucifloris, flosculis summis abortivis, proximae *Secali,* spiculis bifloris, flosculo abortivo pedicellato glumisque angustioribus tantum diverso.

1028. BRACHYPODIUM *gracile* Palis. spica cernua.
In omnibus Scaniae campestris nemoribus.

1028. b. B. *pinnatum* Pal. spiculis erectis confertis.
Locis huic indicatis occurrit vulgo prius; hoc certum tantum adest in Gothungia, ut ad Odersberga. *Bromus.* L. et re ipsa a *Bromo* et *Schedonoro* hoc genus inflorescentia tantum recedit. Exoticae annuae species Loliis annuis analogae.

1029. LOLIUM *perenne* L. spiculis muticis glumam superant.
In pratis vulgare. Raro spiculae inferne plures, laterales pedicellatae; saepe, solo sicco, bi- l. uniflorae

= L. tenue L. Genus est *Glyceria* spicata; valvula exterior L. *perennis* lanceolata, semiteres, ecarinata, 5-nervis, nervo medio in apicem scariosum excurrente, interior plano-impressa nervo utrinque firmo marginata, omnino ut in Glyceriis.

1030. L. *arvense* With. spiculis submuticis glumam aequant.
In agris, praecipue Lini, frequens; interdum in pratis humidis cum Br. pratensi. Culmi laxi, laeves.

1031. L. *temulentum* L. spiculis aristatis gluma breviorib.
Inter segetes passim. Var. *mutica*, major, robustior, culmo rigido scabro, ad vias et fimeta rarior = L. *robustum* Reichenb.

1032. TRITICUM *caninum* L. spica cernua.
In humidis silvaticis frequens, usque ad Hallands-ås. Aristae longissimae, sed saepe haud breviores in seq., cujus forma in septentrionalibus saepe pro T. *canino* sumitur. — [*Agropyra* Festucis veris analoga; A. *cristata* fere Dactyli respondent.]

1033. T. *repens* L. spica erecta tenaci, valv. acutis.
Ubique vulgaris, mire mutabilis, varietatibus infinitis ad ceteras omnes species radians.

* T. *rigidum* Host. glumis obtusis muticis.
Ad Falsterbo etc., 2-3-pedale, ad T. *rigidum* abiens, sed folia flaccida.

* T. *pungens* Pers. foliis involutis pungentibus.
In litore ad Kalthus etc. passim, foliis T. juncei, sed spica T. repentis; vulgo pumilum, sed elatius est T. *litoreum* Fl. Dan. t. 1863.

1034. T. *rigidum* Schrad. spica tenaci foliisque rigidis:
In arenosis litoralibus Scaniae orientalis sed parce, ut ad Åhus, Rörum, Cimbritshamn (Aresch. Cimbr,) etc. Cfr. T. *strictum* Dethard.; nostrum T. *repenti*, magis quam T. *junceo* mihi videtur affine.

1035. T. *junceum* L. spica rigida fragili turgida.
In litore arenoso Scaniae totius; in parte orientali, ad Ystad, Falsterbo etc. copiose. Folia involuta filiformia, cum culmo subdecumbente tamen laxa. Ad Abekås lecta var. arista brevi crassa.

† SECALE *cereale*. Hoc in Flora Scanica notari multi mirabuntur, at e proprio semine propagatum per-

sistens et constantior civis, quam *Fagopyrum*, *Vicia sativa* aliaque cerealia vulgo recepta, et varia agrorum vitia. Exstant nempe vasti campi deserti arenae mobilis, ut pecora arceantur circumsepti, et in his haud rarum Secale cereale, proprio semine et spicis a ventis agitatis per longam annorum seriem propagatum.

k. *Hordeaceae.* Spiculae multiflorae et biflorae = *Elymus*; uniflorae, aristis setaceis = *Hordeum*; in spontaneis spiculae laterales steriles, sed in H. *vulgari* et *hexasticho* fertiles. *Aegilops*, genus exoticum, *Hordeaceis* associat *Lepturum*, spiculis unifloris muticis undique rachi adpressis et per Psilurum = Nardum aristatam L. accedit ad *Nardum*, spica unilaterali.

1036. ELYMUS *arenarius* L. foliis rigidis glaucis.
In arenosis maritimis Scaniae totius et in planitie media inter Weberöd et Sjöbo, Efverlöf etc. frequenter. Glaucus, spiculis 3-4-floris.

1037. E. *europaeus* L. foliis planis flaccidis.
In silvaticis ad Röddinge. Laete virens, *Hordei* facie; spiculae nobis subuniflorae.

1038. HORDEUM *murinum* L. glumis fertilibus ciliatis.
In aggeribus Scaniae occidentalis litoralis passim ut circa Helsingborg, Landskrona, Malmö, Hvellinge etc., sed in plaga orientali rarius ut ad Christianstad.

1039. H. *pratense* Huds. glumis conformib. setaceis scabris.
In pratis humidis Scaniae occidentali-meridionalis, a Lund (in prato novo coemeterio opposito) ad Trelleborg frequenter, copiosissimum pratorum gramen in territorio Skytts.

1039. b. LEPTURUS *incurvatus*. Trin. Rottbölla. L. fil.
In pascuis depressis marinis ad Hvellinge, hoc anno detectus a Cand. *Ringio*.

1040. NARDUS *stricta* L.
In pratis et pascuis sterilibus passim. Culmi subenodes. Rachis contigua.

PLANTAE NEMEAE

S.

CRYPTOGAMAE.

HETERONEMEAE s. Diplogeneae.

Ut Cotyledoneae per Monocotyledoneas transeunt ad Nemeas, sic Nemeae s. Cryptogamae per Heteronemeas ad Cotyledoneas Cum in hac et sequente provincia nulli flores fructificatio obscurior fit, nec ex hac ut inter praecedentes dispositio sumitur, sed e vegetatione. Vegetatio pauciores offert differentias, sed magis essentiales. Hinc tum classes, quum familiae pauciores, sed re ipsa majoris ponderis. E vegetatione in dispositione praevalente multae oriuntur rationes a priorum provinciarum inversae. Sic inferiores ejusdem provinciae classes, inferiores ejusdem classis familiae fructificatione antepollere videntur; cum inter Cotyledoneas agmen ducunt familiae fructu tecto, inter Nemeas maxime nudo.

Cum sequente *Homonemearum* provincia vulgo junguntur, sed perperam; non tantum quia differentiae et limites acutiores sunt, quam inter Monocotyledoneas et Dicotyledoneas, sed praecipue cum diversi sint regni vegetabilis evolutionis gradus! In *Heteronemeis* systema adest vegetativum a filo primario diversum, foliis a trunco et radice unitis discretis; fructus hinc secunda metamorphosis. In *Homonemeis* fila germinantia abeunt in systema vegetativum homogeneum absque ullis partibus discretis, fructus prima metamorphosis. Hae absolute evasculares, cum *Heteronemeae* saltim typice subvasculares. — Quare commune harum nomen, *Acotyledoneae*, rejecimus et ad typice Cotyledoneas, sed cotyledonibus deficientibus, transtulimus in Syst. orb. veg. I. p. 31 exposuimus. Distinctionem nostram in Homonemeas et Heteronemeas receperunt eximii Systematici, *Bartling*, *Lindley* etc. — In singula classe alia observatur series emersa, alia submersa, ut inter Algas.

Classes dignoscuntur fronde praevalente, fructificante (*Filices*), l. caule thallove praevalente fructificationem gerente (*Musci*). In *illis*, qui proprie Monocotyledoneae Cryptogamae, fila germinantia solitaria simplicia in squamulam s. cotyled. spurium dilatantur; in *his*, qui Dicotyledoneas respondent (vide Fries Lich. Europ. p. XLIV) plura ramificantia in caulem thallumve coalescunt. In *Algarum* classe et Dicotyledoneum et Monocotyledoneum typum indicatum invenimus. Sic natura in inferioribus primo differentias indicat, dein magis magisque distinguit.

Classis XVII. FILICES.

Char. Plantae vasculares (scilicet e cellulis et regularibus angulatis et vasculis compositae), epidermide genuina obductae, caule in rhizomate reducto, foliatione praevalente. Folia (frondes vulgo) morphosi simplici, omissis florescentiae gradu et evidenti sexus differentia, capsulas incompletas sporiferas tantum enituntur. Sporae germinantes filum exserunt simplicissimum, dein in squamulam s. folium mutatum et sic ad Cotyledoneas transeuntes. *Vegetatio et structura Monocotyledonearum, sed sporis, nec veris seminibus, maxime differunt. Rhizoma perenne. Folia vernatione circinato-involuta.*

Eximia plantarum classis, in terris borealibus pauper, in tropicis et insulis oceanicis maxime dives. Probe attendendum ad *rhizoma centrifugum* et *centripetum;* hoc est quod in *caudicem* in tropicis elongatur. Etiam apud nos vidimus *Struthiopteridem* maximo vegetam caudice 2-3-pollices alto. Capsulae s. d. Filicum a perfectiorum plantarum admodum recedunt.

Clavis familiarum, quarum ut in seqq. classibus altera pars terrestris, altera subaquatica. 1) *Terrestres*, capsulis superficialibus in pagina inferiori l. margine foliorum, vel a) annulo *) elastico articulato vulgo cinctis, rimose dehiscentibus = LXXIV. POLYPODIACEAE (capsulae a fronde haud

---

*) Ob capsularum tenuitatem vitro bene augente discernendus est annulus, nudo oculo vero ejus defectus perspicitur in *Ophioglosseis.*

discretae) vel b) annulo destitutis, semibivalvibus = LXXV. OPHIOGLOSSEAE (capsulae majores, in spica pedunculata a fronde discreta): 2) *Aquaticae*, capsulis in receptaculis ad basin foliorum a) discretis globularibus (biformibus = SALVINIACEAE) uniformibus = LXXVI. MARSILEACEAE b) basi foliorum vaginanti-dilatata inclusis = *Isoëtes* n. 1067.

Fam. LXXIV. POLYPODIACEAE. Brown.

Char. Capsulae in dorso frondis superficiales aut pedicellatae, uniloculares, minimae, in soros nudos velatosve variae figurae coacervatae: annulo articulato pellucido elastice dissiliente cinctae, irregulariter rimoso-dehiscentes! Sporae indefinitae, minimae. *Filices terrestres et aëreae, frondibus petiolatis, planis, venosis; fertilibus nunc conformibus nunc difformibus.*

Vastissima haec familia, ut maxime typica, merito agmen ducit, cum *Marsileaceae* etc. fructificatione praepollentes affinitate ad Monocotyledoneas accedente inferiores sint. Frondes 1) fertiles et steriles conformes, capsulis aggregatis in soros a) rotundos nudos = *Polypodium*, involucratos squamula integra subpeltata = *Aspidium*, fimbriisve capsulas cingentibus = *Woodsia* b) lineares a) dorsales, secus venas frondis involucrum sistentibus = *Asplenium* b) marginales, involucro a marginibus folii orto = *Pteris*; 2) fertiles toti difformes, constrictae; capsulis a) in lineam secus nervum dorsalem congestae, involucro superficiali = *Blechnum*: b.) aggregatae in venis pinnarum absque involucro = *Struthiopteris* 3) fertiles ipsae biformes, nempe deorsum sterilibus similes, sursum constrictae = *Osmunda*. [Capsulae exannulatae, rima longitudinali dehiscentes.]

1041. POLYPODIUM *vulgare* L. fronde pinnatifida.
In rupium et saxorum fissuris; in regione campestri rarescit; legitur tamen in saepibus lapideis v. c inter Ö. Torn et Reften, alibique copiose. Per hiemem viret.

1042. P. *Phegopteris* L. fronde subbipinnata subtus hirta.
In fagetis, unde nomen, copiose, sed etiam in silvaticis mixtis Scaniae totius, autumno marcescens. Magnitudine duplo majori, pinnulis baseos, vulgo rhombeis, rachi adnatis late emarginatis, juxta scaturigines ad pedes montium.

1043. P. *Dryopteris* L., fronde ternata, foliolis bipinnatis.
In silvaticis mixtis frequenter; in regione vero campestri fere desideratur et in saepibus lapideis obvium fronde constricta, foliolis deflexis, fere ut in P. *calcareo*, nec patulis ut in forma normali.

1044. P. *Thelypteris* L. fronde pinnata, pinnis pinnatifidis integerrimis.
In paludibus silvaticis. sed etiam in turfaceis apricis v. c. ad Bosarp.

1045. P. *Oreopteris* Ehrh. fronde prioris, laciniis undulatis obtusis.
In jugo sterilissimo, indole (nec elevatione) alpestri S. Åsen, ad Skäralid parcius. *Ahnfelt* hoc et sequens primus detexit.
Praecedenti affine, sed majus, subtus evidenter glandulosum et involucrorum rudimentis a genere deflectens. Hoc et praecedens in Syst. univ. genere movere necesse videtur. — In Polypodiis nostris rhizoma centrifugum, indeque frondes solitariae exteriores juniores; in Aspidiis vero centripetum, unde frondes circinato-caespitosae, interioribus junioribus.

1046. ASPIDIUM *angulare* Kit. fronde bipinnata stipiteque paleis squamosissimo hirtis, pinnulis lunatis lobo antico angulatis serraturisque obtusis mucronatis.
In jugo S. Åsen copiose. A genuino A. *aculeato*, A. Lonchiti affini, quam maxime differt et sequentibus propius accedens. Habitus A. filicis maris.

1047. A. *spinulosum* Sw. fronde bipinnata glabra, pinnulis oblongis acutis mucronato-serratis, stipite paleaceo.
In silvaticis copiose; rarior varietas *dilatata* locis humidioribus et occultis.

1048. A. *cristatum* Sw. fronde subbipinnata, pinnulis ovatis obtusis superne argute dentatis, stipite paleaceo.
Inter frutices in paludibus turfosis ut ad Hyby, Skabersjö, Bosarp Onsjöensium etc. passim, sed semper parce.

1049. A. *Filix Mas* Sw. fronde bipinnata, pinnulis oblongis obtusis crenulatis, stipite paleaceo.
In silvis et ad saepes lapideas, locis praecipue roridis, copiose.

1050. A. *Filix femina* Sw. fronde subbipinnata, pinnulis lanceolatis acutis dentatis.
Locis consimilibus ac prior spec. cui saepe altior semper vero tenuior, unde nomen. — *β.* P. *molle* Schreb. minus, admodum molle, pinnulis plurimis confluentibus, ut pinnae pinnatifidae tantum, varietas est sat insignis, lecta in jugis siccis apricis ad Bosarp.

1051. A. *fragile* Sw. fronde bipinnata, pinnulis obovatis inciso-dentatis, stipite fragili glabro.
In rupium fissuris, tenuissimum nostratium et maxime varium. *Polypodium* L., ut omnia Aspidia.

1052. WOODSIA *ilvensis*, Brown. Acrostichum L.
In rupibus Scaniae silvestris, Hallandsås, S. Åsen etc.; non vero per plagas campestres obvium. Frondes ut Aspidiorum, caespitosae, sed molles et subtus hirtae.

1053. ASPLENIUM *Scolopendrium* L. fronde simplici cordato-linguaeformi.
In rupium cryptis ad Öfvedskloster, olim a *Lecheo* lecta, sed specc. antiquiora Scanica vidi. Omittere hinc nolui, praecipue cum cognitum sit hanc stirpem locis specialissimis absconditis delitescere.

1054. A. *Trichomanes* L. fronde pinnata, pinnis ovatis crenatis.
In rupestribus ad Hallands-ås, S. Åsen et pleraque juga montana. In saepibus lapideis raro legitur.

1055. A. *septentrionale* Hoffm. fronde apice bifida, foliolis linearibus apice subtridentatis.
In fissuris saxorum majorum in ericetis Scaniae superioris, in Hallandsås. Linnaeo *Acrostichum* ob soros confluentes mox totam paginam inferiorem obtegentes.

1056. A. *alternifolium* Weiss. fronde pinnata, pinnis alternis subcuneatis apice incisis.
In fissuris rupium Scaniae boreali-orientalis v. c. Ifö-klack, sed maxime sporadicum et solitarie obvium.

1057. A. *Ruta muraria* L. fronde ternato-decomposita, pinnulis subrotundo-cuneiformibus crenulatis.
In muris vetustis. Copiose in templo cathedrali Lundensi.

1058. A. *Adianthum nigrum* L. fronde subtripinnata, pinnulis ovato-lanceolatis inciso-serratis.

Rara Filix. Olim lecta ad viam trans Romeleklint inter Dybeck et Efverlöf (*Retz. Vet. Acad. Handl.* 1769), sed in hoc loco, nimis vage indicato, deinde haud reperta. Praeterlapso vero anno, d. 2 Martii, in rupe unica ad Bärekull in Kullaberg laete virens et fructificans detectum est a Nobiliss. *Gyllenstjerna.* Loco indicato copiosum, sed inter limites angustissimos includitur.

1059. BLECHNUM *Spicant* Sm. Osmunda L.
Haud rarum in plagis macris sterilibus Sueciae totius meridionalis et praecipue occidentalis, sed vulgo delitescit in silvarum udarum penetralibus totius Scaniae pineto-montanae, sed etiam fageto-montanae v. c. ad ad Simontorp (Leche), et in plaga occidentali etiam per plagas campestres restat, ut ad Helsingborg etc.

1060. PTERIS *aquilina.* L.
In Scania silvestri omni copiose; at vix in campestri obvium.

1061. STRUTHIOPTERIS *europaea* Sw.
In silvis humosis subhumidis umbrosis, praecipue ad montium pedes, copiose. Loca specialia indicare superfluum; in insula Lybeck lacus Krageholmensis maximum.

1062. OSMUNDA *regalis* L.
Ad amnium ripas, vulgo in silvarum penetralibus (innumeris locis in Suecia meridionali) sed in regiones denudatas raro descendit v. c. ad Lillö prope Christianstad (Leche). — Hoc genus, inter Polypodiaceas et Ophioglosseas omnino intermedium (illis morphosi tamen proprium) a praecedentibus recedit capsulis rima longitudinali dehiscentibus et in terris tropicis multa ejusdem structurae occurrunt genera; hinc vulgo propria familia = *Osmundaceae.*

Fam. LXXV. OPHIOGLOSSEAE. Brown.

Char. Habitus praecedentis familiae, sed capsulae (majores) semibivalves, ab apice dehiscentes, nudae, annulo striisve destitutae, distinctae et in spicas a fronde discretas dispositae. ***Herbaceae omnes, rhizomate numquam caudescente.***

Familia parva, a praecedente omnino distincta. Spica a frondis metamorphosi typice quidem orta (ut a ramificatione cum frondis divisione typica congrua mox patet), sed foliaceae naturae tamen non est; lamina enim tota in capsulas mutata. Duo nobis genera; alterum spica, ut fronde, simplici = *Ophioglossum*; alterum spica, ut fronde, composita = *Botrychium*.

1063. OPHIOGLOSSUM *vulgatum*. L.
In pratis graminosis humidis per Scaniam campestrem hinc inde dispersum, nullibi vere copiosum, v. c. in silva Alnarpensi, ad Stehag. Frons saepe lanceolata.

1064. BOTRYCHIUM *Lunaria*, fronde solitaria caulina oblonga *pinnato*-incisa.
In pratis et pascuis passim v. c. inter Foglesång et Sandby etc. Radix hujus et sequentis, suis locis fideliter quotannis redeuntis, *certissime* perennis. Quo sicciori et macriori solo nascitur, eo magis incisa folia, unde plurimi eorum lusus; sed de ullo transitu *Botr. matricarioidis*, quod planta adeo distincta ut binae ejusdem generis species esse possint, non fabulandum. Jam 1814 distinctissimas esse docuimus, B. *rutaceum* W. vero B. *Lunariae* varietatem.
* *rutaceum*. minus, lutescens, pinnis incisis.
In collibus siccis apricis rarius. Caulis uno latere vulgo fulvescit. Frons haud raro tripinnatifida. [Ad Odensjö Smolandiae lecta specimina potius ad B. *virginicum* referenda, nec dubitamus hoc esse B. *Lunariae* filiam, licet valde insigne appareat.]

1065. B. *Matricarioides* Willd., frondibus binis subradicalibus *compositis* triangularibus.
In campis muscosis siccis, ineunte Octobri spicis adhuc vegetis in par. Tossie lectum. Ante Semptembris mensem capsulas explicatas numquam vidi, licet quotannis ad Femsjö legerim. — *Matricarioides* nomen a plerisque receptum est, cum Swartzius etiam praecedens suo B. *rutaceo* adscripserit.

Sequuntur *Salviniaceae*, e quibus vero nulla intra Florae nostrae ambitum observatur.

Fam. LXXVI. MARSILEACEAE.

Char. Receptacula ad basin foliorum globularia,

clausa, uniformia, multilocularia, in genuinis libera, extus pubescentia, includentia capsulas intus granulosas membrana hyalina laxe involutas et sacculos (antheras imperfectas?) granulis repletos. *Plantae aquaticae herbaceae, rhizomate repente, foliis alternis primo circinatim involutis, in nostra filiformibus.*

Ad Monocotyledoneas manifeste accedunt, ut ad Dicotyledoneas valde analoga genera: *Equisetum* et *Chara*, quibus vero haud affines sunt. Receptacula Marsileacearum a foliorum metamorphosi orta magis filicina evadunt. Nobis unicum genus.

1066. PILULARIA *globulifera* L.

Solo limoso fluviorum per omnem Scaniam silvestrem frequens, in regione campestri ut ad Christianstad, Engelholm etc. passim. Fructificat solo exsiccato; inundata valde protensa fit, foliis saepe fluitantibus longissimis, sed sterilescens. De structura Cfr. *Agardh diss. de Pilularia.*

ISOËTES.

Char. Receptacula basi foliorum inclusa membranacea, unilocularia; referta capsulis tetraëdris in semina? demum solutis et granulis pulveraceis (pollinaceis) primitus quaternatim junctis. *Planta aquatica, subacaulis; foliis caespitosis, vaginantibus, subtetragono-subulatis.*

Vulgo praecedentibus subjuncta, sed a *Candollio* Lycopodiaceis adscripta. Typus manifeste Monocotyledoneus illam inter Filices servare mihi videtur. Cum ex unico in orbe genere familiam recipere nolim, ut aberrationem Marsileacearum recipio, licet et characteres et analogia sequentium distinctam suadeant familiam.

1067. ISOëTES *lacustris.* L.

In omnibus Scaniae silvestris lacubus, sed tota submersa.

Filicum familia una cum Orchideis in geographica regionum descriptione prae ceteris ob multas rationes probe attendendae et quidem jam ex eo, quod in neutra novimus ullas plantas adventitias. Porro Orchideae e solo, Filices e climate maxime mutantur.

Class. XVIII MUSCI.

Char. Plantae epidermide genuina destitutae, e cellulis angulatis elongatisque compositae, accedentibus in partibus singularibus vasorum experimentis, caulescentia praevalente. E *caule* (surculo l. thallo), differentia sexuali in omnibus indicata, exseruntur capsulae (a foliis prorsus discretae!), sporis numerosissimis. Sporae germinantes elongantur in fila (Confervoidea), ramificantia, reptantia, in caulem thallumve conglutinata. *Folia aut minuta squamacea aut cum caule in thallum confluentia.*

Consideratis tam germinatione, quam vegetatione, caulis nempe structura (centro et ambitu firmioribus, cum strato intermedio molliori), ramificatione, foliorum situ etc. manifeste sunt plantae obscurius exogeneae et Dicotyledoneae aquaticae, imperfectiores, vasis obliteratis, manifeste ad has transeunt. Sic inter alia, nisi major cum Coniferis adesset affinitas, *Equisetum* huc omnino, minime ad *Filices* referendum esset. Harum classium typo consideranti quoque clarum fit *Lycopodiaceas* ad Muscos nec Filices esse referendas; nam inter Cryptogamas fructificatio ubique ratio secundaria. Quod vasa spiralia evidentiora attinet, quibus ne Hepaticae quidem (Conf. *Nees ab Esenb. Eur. Leberm.*) absolute carent, hoc minoris nobis videtur momenti, nam in singula serie e solo et cingente medio haec vidimus in infimis magis magisque obliterari. Distinctio plantarum in Vasculares et Cellulares (quales multae phanerogamae) vel negligenda vel potius tantum typice excipienda. Typice et Cotyledoneae et Heteronemeae vasculares sunt, licet vasa hinc inde tam in his, quam infimis Dicotyledoneis et Monocotyledoneis passim deficiunt. Jam ex eo, quod haec differentia cum germinationis, vegetationis, floris et seminis primariis differentiis, inter se conspirantibus, haud intime connexa sit, inferior videtur.

Familiae dignoscuntur capsulis [nullis, sporis l. seminulis filis obvolutis, inflorescentia amentacea = *Equisetum*, vide p. 153.] 1) in alis foliorum (saepe in bracteas reductorum) sessilibus, nudis, 2—3 valvibus = LXXVII. *Lycopodiaceae*; 2) seta subpedunculatis, operculatis, calyptra basi dehiscente tectis, sporis liberis = LXXVIII. *Bryaceae.* (Hae classis centrum, Lycopodiaceae sunt radius versus Filices; utraeque ter-

restres.) 3) valvatis, calyptra apice rupta, sporis elateribus sustentis = LXXIX. *Hepaticae.* (Amphibiae, Algis accedentes) quibus subjungitur aquatica, blastospora *Riccia.*

Fam. LXXVII. LYCOPODIACEAE. Swartz.

Char. Capsulae in alis foliorum, in bracteas vulgo mutatorum (unde spicatae) sessiles, solitariae, nudae, 2 — 3 valves, in omnibus *nostris* uniformes, sporis pulveraceis. *Stirpes muscoideae, ut plurimum perennes et sempervirentes, caule ramoso vasculari suffruticulosae, absque cortice! foliis sparsis muscosis simplicibus sessilibus.*

Familia distinctissima, in regionibus calidioribus praecipue luxurians. Nobis unicum genus. Sexus differentias, quae quo inferius in hac classe descendimus, eo magis manifestae, indicare videntur capsulae in aliis biformes, aliae pulvere pollinari? (quale tamen in omnibus nostris) aliae seminibus majoribus definitis repletae.

1068. LYCOPODIUM *complanatum* L. spicis pedunculatis geminis, ramis e foliis adpressis quadrifariis complanatis. In ericetis Scaniae superioris, in S. Åsen, Hallands-ås etc. sparsim obvium.

1079. L. *clavatum* L. spicis pr., foliis undique sparsis piliferis. In silvis et ericetis, sarmentis longe procurrentibus.

1070. L. *annotinum* L. spica sessili, foliis quinquefariis patulis.
In pinetis passim.

1071. L. *Selago* L. capsulis alaribus, ramis conformibus dichotomis.
Locis occultis humidis silvarum, ad paludum margines, etiam in fagetis ut ad Baldringe cum *Pyrola umbellata* nuper copiose in Scania lecta, at nullibi copiose.

1072. L. *inundatum* L. caule repente, ramo fertili difformi in spicam clavatam *foliosam* abeunte.
In limosis Scaniae silvestris frequenter, sed in plagam occidentalem, ad Ystad et in campestrem simul descendens. Per omnem Sueciam meridionalem planta est ubiquitaria.

Fam. LXXVIII. BRYACEAE.

Char. Capsulae setis basi vaginulatis sustentae, pariete duplici columellaque centrali instructae, sporis liberis farctae, vulgo circumscisso-operculatae (ore peristomio simplici duplicive coronato) calyptraque tectae. *Fibrae radicales fasciculatae ramosae subfuscae, ramulis articulatis, saepe e parte caulis inferiore maximave, immo toto, pronascentes; caulis teres filiformis superne subincrassatus, e fibris cellulosis, centralibus extimisque densioribus, conflatus; folia discreta sessilia simplicia integra cellulosa, cellulis centralibus saepius elongatis & in nervum simplicem duplicemve condensatis.*

Familia cum sequente sola (genere ultimo ambiguo) arctius conjuncta, organis propagationis duplicibus, antheris quas dicunt pistillisque, aut in eodem flore (gemmiformi) conjunctis aut in discretis (femineis gemmiformibus, masculis nunc gemmiformibus et his quoque capituliformibus, nunc disciformibus, in *Sphagno* clavatis) monoice dioiceve separatis, filis articulatis hyalinis (paraphysibus) plerumque stipatis, foliis magis minusve transformatis (perigonialibus perichaetialibusque) circumdatis.

A. GENUINI.

Trib. I. HYPNEAE seta laterali, calyptra cucullata, dentibus peristomii 1) exterioris liberis integris, ciliis interioris a), ubi adest discretum, teneris solidis perforatisve = *Hypnum*, b) firmis divisis, cruribus per trabeculas apiceque connexis = *Climacium*, 2) simplicis basi connatis bipartibilibus = *Leucodon*, 3) exterioris liberis perforatis, interiori reticulato = *Dichelyma*, quo mediante accedit *Fontinalis*, calyptra mitraeformi.

HYPNUM, vastissimum genus, abit in sectiones 18:

* 1. *Rutabula*, ramis vagis, foliis rectis acuminatis serrulatis uninervibus, seta saepius muricata; capsula subovata inaequali cernua.

1073. H. *Rutabulum* L. foliis ovatis, perichaetialibus interio-

ribus longe crinitis, seta scaberrima; capsula ovata oblongatave.
In truncis terraque, imprimis umbrosa frequens.

1074. H. *Starkii* Funck. foliis ovatis, perichaetialibus lanceolato-acuminatis, seta sursum muriculata.
In sylvaticis (Reften, Bosarp Onsj.)

1075. H. *piliferum* Schreb. ramis vagis *subpinnatisque*, foliis in acumen piliforme subito contractis, operculo *rostrato*.
In sylvis pomariis collibusque graminosis passim (Ryds skog, Reften, Lund, Hvidarp, Gullarp, Bosarp, Trolleholm).

1076. H. *velutinum* L. ramis confertis suberectis simplicibus, foliis lanceolatis ruptinervibus.
Ad radices arborum murosque frequens.

1077. H. *salebrosum* Hoffm. foliis lanceolato-acuminatis *subintegerrimis* evanidinervibus aut serrulatis ruptinervibus, his interdum quoque *secundis* striatisque, seta *laevi*.
In terra humidiuscula vel umbrosa (Knästorp, Lund; Gudmuntorp, Reften). *

1078. H. *albicans* Neck. foliis, vulgo imbricatis, in acumen subulatum *subsecundum* subito contractis, *subintegerrimis*, seta *laevi*.
In saepibus tectisque vix rarum (Lund, Knästorp, Gullarp, Arup Will.)

2. *Rostrata*, ramis vagis, foliis (rameis) rectis serratis ruptinervibus, capsula subovata inaequali cernua, operculo rostrato.

1079. H. *praelongum* L. ramis vagis *subpinnatisque*, foliis remotiusculis quandoque subdistichis, seta muricata.
In terra, imprimis humo umbrosa frequens. Varietatum duae praecipue memorabiles, altera ramis complanatis, foliis densis fusco-nitentibus, arcte imbricatis latissimum, H. *ruscifolium* aemulans, capsulis (operculatis) oblongis incurvis; in saxis inundatis ad Fogelsång; altera, H. *Stokesii* Turn., dense pinnata, foliis caulinis e cordato subulatis flexuoso-squarrosis, rameis triangulari — lanceolatove — subulatis erecto — patulis, specie forsan a nostro distinguenda (cf. Dispos. Musc. Scaniae Hypnoideorum p. 6.); in horto Gullarpiensi.

1080. H. *longirostrum* Ehrh. foliis patenti-divergentibus trian-

gulari-lanceolatis stridulis striatis, seta, ut cetera, laevi, capsula oblonga arcuata.

In graminosis, praecipue sylvaticis (Fogelsång, Reften, Bösamöllan, Skärali, Klöfvahall).

1081. H. *strigosum* Hoffm. ramis confertis brevibus vagis *subfasciculatisque*, foliis erecto-patentibus striatis, plurimis oblongo-ovatis obtusiusculis.

Ad latera fossarum (Knästorp, Lund-Reften).

1082. H. *alopecurum* L. divisionibus caulis cartilaginei erectis, infra nudiusculis, superne *fasciculatim* ramosis, foliis patentiusculis ovato-lanceolatis acutissimis subduplicato-serratis.

Inter arbores et saxa juxta rivulum ad Margretetorp in Hallandsås (*Areschoug!*)

1083 H. *ruscifolium* Neck. ramis magis plerumque minusve compressis, foliorum apice subdeltoideo, serratura leviori.

In lapidibus aquarum fluentium (Klöfvahall, Skärali, L. Harriemölla, Fogelsång, Röddinge).

1084. H. *murale* Neck. ramis teretibus, foliis *evanidinervibus*, vix non *integerrimis*.

Ad lapides sub aedibus Lycei Lundensis.

3. *Plumosa*, ramis vagis, foliis rectis acuminatis subintegerrimis, evanidinervibus, normaliterque seta muriculata, capsula inaequali cernua.

1085. H. *sericeum* (Leskea H.) foliis striatis, capsula *erecta aequali* subcylindrica.

In maceriis aliisque siccioribus frequens.

1086. H. *populeum* H. foliis e lanceolato subulatis solidinervibus, capsula ovata.

In saxis arboribusque sat frequens.

1087. H. *pseudoplumosum* Br. foliis ovato-lanceolatis, summis praecipue magis minusve *secundis*, capsula ovata.

In lapidibus inundatis (Trollehall, Skärali, Storemölla, Fogelsång; Gudmuntorp *Åkerman*! cui omnes insuper Bryaceas e Scania orientali debemus.)

1088. H. *lutescens* Huds. foliis striatis, capsula oblongata.

In argillaceis frequens.

1089. H. *nitens* Schreb. *subpinnatum* radiculosum, foliis striatis, seta *laevi*, capsula oblongata.

In paludibus (Ekeröd, Årup).

4. *Parietina*, ramis pinnatis, foliis rectis imbricatis, capsula subovali inaequali cernua.

1090. H. *Schreberi* Willd. simpliciter pinnatum, foliis integerrimis subenervibus.
In graminosis humidis umbrosisve frequens.

1091. H. *splendens* H. bipinnatum, foliis binervibus, praeter ramulina serrulatis, operculo rostrato.
In sylvis nemoribusque frequens.

1092. H. *purum* L. *vage* pennatimque ramosum, foliis seminervibus, caulinis saltim rotundatis.
In nemoribus pascuisque (Fogelsång, Lund, Näs, Stabbarp).

5. *Brevirostra*, ramis vagis, foliis acuminatis serrulatis binervibus l. subenervibus, capsula subovata inaequali cernua

1093. H. *triquetrum* L. foliis caulinis triangulari-lanceolatis planiusculis strictis.
In sylvis nemoribusque frequens.

1094. H. *brevirostrum* Ehrh. foliis caulinis e cordato cuspidatis concavis subflexuosis.
In terra umbrosa (Fogelsång).

1095. H. *squarrosum* L. foliis caulinis ramorumque incrassatorum vaginantibus, subula longa reflexis, attenuatorum patenti-erectis.
In sylvis, pomariis pratisque humidis frequens.

1096. H. *loreum* L. foliis subsecundo-patulis reflexisve, capsula *subrotunda*.
In montosis sylvaticis (Trollehall, Kullen *Wahlenberg*, Skärali, Brönnestad).

6. *Myosura*, ramis fasciculatis incurvis foliis rectis evanidinervibus, capsulis magis minusve erectis aequalibusque.

1097. H. *myurum* Poll. ramis utrinque attenuatis, foliis ovato-oblongis acutis concavis.
In sylvaticis sat frequens.

1098. H. *myosuroides* L. ramis sursum attenuatis, foliis lanceolatis planiusculis argute serratis.
In rupibus truncisque (Trollehall, Klöfvahall, Skärali, Trolleholm).

*** 7. *Cuspidata*, ramis subpinnatis, foliis rectis imbricatis integerrimis, capsula oblongata arcuato-incurva.

1099. H. *cordifolium* H. foliis e basi cordata oblonga obtusa subsolidinervia.
In turfosis (Torup, Romeleklint-Weberöd, Näs' mosse).

1100. H. *stramineum* Dicks. ramis *vagis* filiformibus erectis, foliis ovato-oblongis obtusis subsolidinervibus.
In turfosis (Årup, Hassle mosse, Näs' mosse).

1101. H. *cuspidatum* L. foliis ovatis acuminatis enervibus, supremis convolutis.
In uliginosis frequens.

8. *Mollia*, ramis vagis, foliis magis minusve secundis concavis integerrimis, capsula oblonga incurva.

1102. H. *scorpioides* L. ramis inferioribus saltim recurvatis, foliis turgidis stygiis, inferioribus omnibusve obtusiusculis subenervibusque.
In turfosis (Konga, Bosarp, Näs' mosse, Kåseberga mosse).

1103. H. *palustre* L. ramis incurvis, foliis ovato-oblongis apiculatis l. ovato-lanceolatis subseminervibus.
In aquis fluentibus ad saxa & ligna (Skärali, Trolleholm, L. Harriemölla, Fogelsång, Röddinge, Årup).

9. *Fluitantia*, ramis vagis, foliis patentibus longe acuminatis evanidinervibus, capsula oblonga incurva.

1104 H. *fluitans* L. α. elongatum, foliis flaccidis lanceolato-triangularive-subulatis, superioribus subfalcato-secundis; β. (H. polycarpon Bl.) abbreviatum, foliis ovato-acuminatis secundis (aut inferioribus subulatis aequaliter patentibus).
In aquis stagnantibus α, in fossis subexsiccatis β. (Årup, Konga, Näs' mosse, Höjebro, Ydinge; Knästorp).

1105. H. *riparium* L. foliis ovato-lanceolatis validinervibus; α. distichis, β. secundis.
In fluviis ad palos α, in fossis ad truncos arborum β. (Trolleholm, L. Harrie mölla; Knästorp).

1106. H. *stellatum* Schreb. foliis ovato-acuminatis subdivergentibus subenervibus seminervibusve.
In turfosis majus frequens, in pascuis humidiusculis minus (Näs, Knästorp) ad margines fossarum intermedium (Knästorp).

† 10. *Complanata*, ramis subpinnatis, foliis bifariam imbrica-

tis obliquis subenervibus, capsula subovata aequali, operculo rostrato.

1107. H. *crispum* (Neckera H.) foliis rameis oblongis obtusis apiculatis enervibus undulatis.
In rupibus (Klöfvahall, Skärali).

1108. H. *pumilum* (Neckera H.) foliis ovatis acumine interdum subfiliformi flexuoso, rugisque variis.
In fagis (Skärali, Stehag).

1109. H. *complanatum* (Leskea H.) foliis laevibus integerrimis.
In truncis frequens nec numquam in muris (Knästorp).

1110. H. *trichomanoides* (Leskea H.) foliis laevibus apice serrulatis, nervo tenui *subdimidiato*.
In sylvaticis ad truncos et radices arborum (Fogelsång, Bosarp, Klöfvahall).

1111. H. *undulatum* L. vage ramosum, foliis transverse rugosis albescentibus, apice serrulatis, capsula *cylindrica arcuata* sulcata, operculo breviter rostrato.
In sylvis montanis (Trollehall, Skärali; Kullaberg *Wahlenberg*).

1112. H. *denticulatum* L. *subsimplex*, foliis insignius obsoletiusve binervibus integerrimis, interdum (tumentibus) *obsolete* distichis, capsula *oblonga obliqua*, operculo *suberostrato*.
In umbrosis frequentius.

11. *Viticulosa*, ramis vagis, foliis subsecundis, nervo valido luminoso apicem fere attingente, capsula erecta cylindrica.

1113. H. *attenuatum* (Leskea H.) ramis biformibus, aliis longe attenuatis, aliis incrassatis, foliis acutis, apice argute serratis.
In truncis terraque humida umbrosa (Röddinge, Fogelsång, Trolleholm, Stenhag-Bö).

1114. H. *viticulosum* (Neckera H.) ramis uniformibus rigidis incrassatis, foliis obtusis subintegerrimis.
In sylvaticis ad truncos ac radices arborum (Röddinge, Fogelsång, Trolleholm, Bosarp, Stehag, Karsholm).

12. *Curtipendulum*. ramis vagis, foliis rectis l. saepius subsecundis ovato-acuminatis evanidinervibus, superiori-

bus apice eximie dentatis, seta tortili flexuosa, capsula subovata aequali.

1115. H. *curtipendulum* (Neckera H.)
In sylvaticis ad truncos arborum frequens.

†† 13. *Abietina*, ramis pinnatis, foliis rectis imbricatis subdenticulatis papillosis validinervibus, capsula cylindrica arcuata.

1116. H. *delicatulum* L. bipinnatum, foliis perichaetialibus ovato-lanceolatis in acumen longissimum piliforme abeuntibus.
In sylvis & nemoribus frequens.

1117. H. *tamariscinum* H. triplicato-pinnatum, foliis perichaetiorum insignium interioribus linearibus densissime denticulatis.
In sylvis montanis (Trollehall, Skärali).

1118. H. *abietinum* L. simpliciter pinnatum, foliis nervo serrato scaberrimis.
In clivis arenosis (Malmö, Näs).

14. *Polycarpa*, ramis vagis, foliis subsecundis validinervibus, capsula cylindrica subaequali.

1119. H. *polycarpum* (Leskea Ehrh.) ramis brevibus uniformibus subincrassatis, foliis ovatis integerrimis.
In humidis, imprimis ad radices arborum (Höjebro, Lund, Reften, Näs, Trolleholm).

1120. H. *longifolium* (Pterigynandrum Schl.) ramis biformibus, foliis subdenticulatis, ramorum filiformium exacte incrassatorum ex ovato lanceolatis.
In sylvaticis cum H. viticuloso (Röddinge).

15. *Filiformia*, ramis vagis fasciculatisque, foliis imbricatis concavis subenervibus, capsula aequali.

1121. H. *heteropterum* (Pterig. Br.) caule ramisque virentibus, folis primariis ex ovato subulatis, rameis ovatis acuminatis, ramulinis ovatis obtusis, his praecipue punctulatis (capsula erecta oblonga).
In rupibus (Klöfvahall, Skärali).

1122. H. *filiforme* (Pterig. H.) caule ramisque rubentibus, foliis oblongis acutis l. ovatis acuminatis papillosis (capsula erecta cylindrica).
In saxis maceriisque (Trolleholm, Näs).

1123. H. *moniliforme* Wg. ramis teretibus obtusis, foliis ere-

eis arcte imbricatis integerrimis albescentibus (capsula subovata).
In lapidosis (L. Harrie mölla, Stabbarp, Krogstorp).

††† 16. *Filicina*, ramis vagis pinnatisve, foliis acuminatis nervosis, capsula subcylindrica arcuato-cernua.

1124. H. *filicinum* L foliis crenato-denticulatis vix non semper solidinervibus, caulinis e cordato subulatis, rameis ovato-lanceolatis, acumine longius breviusve subulato, saepius falcatis.
In uliginosis frequens.

1125. *H. fluviatile* Sw. vage ramosum, foliis ovato-acuminatis subintegerrimis nervo longe validissimo in subulam excurrente.
In saxis aquarum fluentium (L. Harrie mölla, Bösmöllan; Margretetorp *Areschoug!* c. fr. foliisque perichaetialibus, ut suspicari licuit, eximie nervosis),

1126. H. *commutatum* H. pinnatum, foliis cincinato-falcatis striatis evanidinervibus vix non integerrimis.
In scaturiginosis (Fogelsång).

1127. H. *serpens* L. foliis integerrimis, ramorum aut suberectorum exiguis e lanceolato subulatis nervo tenui subdimidiato, vel majoribus subfalcato-secundis, aut depressorum subpinnatorum, ut caulinis, grandibus ovato-acuminatis nervo valido subexcurrente.
Ad terram nudam, imprimis sylvaticam frequens, in paludosis (Fogelkärret) falcatum, in lignis (Gunnarp) pinnatum.

17. *Uncinata*, ramis vagis, foliis subfalcato-secundis acuminatis serrulatis, capsula subcylindrica arcuato-cernua.

1128. H. *uncinatum* H. foliis subulato-setaceis circinatis plerumque striatis evanidinervibus.
In saxosis udisque (Trolleholl, Skäralid, Trolleholm, Bosarp, Reften, Lund, Knästorp).

1129. H. *aduncum* H. foliis ovato-lanceolatis lanceolatove-subulatis falcatis *subintegerrimis* evanidinervibus.
In scaturiginosis (Fogelsång, Bösmöllan) rigidum lutescens striatum; in turfaceis molle subcomplanatum stygium.

1130. H. *molluscum* H. dense *pinnatum*, foliis lanceolato-subulatis cincinnatis serrulatis subenervibus, capsula *ovata*.

In rupibus maceriisque (Skärali, Stabbarp).

1131. H. *silesiacum* Pal. ramis deorsum arcuatis, foliis laxis late lanceolatis acuminatis, lateris superioris secundis patentibus, inferioris adpressis.
In sylva ad Rysjön.

18. *Polyantha,* ramis vagis, foliis secundis e lanceolato subulatis laevibus integerrimis subenervibus.

1132. H. *incurvatum* Schrad. foliis ramorum incurvorum superiorioribus praecipue secundis, recurvorum, quales rarius occurrunt, surrectis, capsula oblonga curvata brevive subobovata cernua.
In lapidibus subhumidis (Stabbarp, Årup).

1133. H. *polyanthum* (Leskea H.) capsula erecta aequali conicocylindrica.
Ad truncos et radices arborum frequentius.

1134. H. *cupressiforme* L. foliis *ovato*-lanceolatis saepius circinato-falcatis apice *subserrulatis.*
Ad saxa truncosque frequentissimum, in cortice arborum annosarum (Stehag, Reften) ramis filiformibus, foliis angustis rectiusculis.

1135. LEUCODON *sciuroides* Schw.
In arboribus frequens. Rami erecti simplices, folia cordato-ovata acuminata enervia plicato-striata, capsula (erecta ovato-oblonga aequalis vernicosa) apud nos non visa.

1136. CLIMACIUM *dendroides* W. M.
In pratis humidis (W. Sallerup, Reften, Björstorp). Caulis repens, divisionibus erectis superne fasciculatim ramosis, folia inferiora adpressa late ovata apiculata integerrima, superiora erecto-patentia stricta ovato-lanceolata serrata plicata ruptinervia, capsula erecta oblonga aequalis, columella exserta operculum sustinens.

1137. DICHELYMA *falcatum Myrin.* (Fontinalis H.)
In scrobiculis lapidosis aquilentis pascuorum inter Selarp & Trolleholm. Folia trifaria lanceolato-subulata carinata secundo-falcata solidinervia, capsula erecta ovata aequalis.

1138. FONTINALIS *antipyretica* L.
In aquis purioribus (Skärali, Trolleholm). Rami vagi longe fluitantes, folia trifaria carinata enervia, capsula

immersa, peristomio duplici, interiori reticulato, dentibus exterioribus imperforatis apicibus primo (nisi aliis numquam, aliis semper forte) per paria, [haec duo verba in disp. Hypn. Scan. omissa,] connexis, siccis sinistorsum spiraliter flexis.

Trib. II. BRYEAE seta apicali nec (ut sequentium quoque) nisi caulis innovationibus pseudo-laterali, calyptra cucullata, peristomio duplici, capsula 1) aequali a) subnutante pendulave laevi, dentibus peristomii exterioris interiori α) obscurioribus, ciliolis interioris introrsum dentatis (obsoletisve) = *Bryum*, inermibus (nullisve) = *Webera*, β) pallidioribus, acutis = *Mnium*, truncatis = *Cinclidium*, b) cernua sulcata = *Aulacomnium*, 2) obliqua, dentibus p. ext. obtusis, interiori duplo saltim brevioribus (capsula pyriformi laevi) = *Meesia*, longis acutis a) obliquis, apicibus primo cohaerentibus (capsula pyriformi sulcata) = *Funaria*, b) rectis liberis (capsula rotundata sulcata), peristomio interiori ciliolato = *Philonotis*, eciliolato = *Bartramia*.

1139. BRYUM *caespiticium* L. caule plerumque brevi, foliis ovato-acuminatis cuspidatis, capsula pendula oblonga, ore dilatata, dentibus peristomii exterioris lutescentibus, ciliolis interioris albidis deflexis.
In muris terraque nuda aprica frequentissimum.

1140. Br. *inclinatum* (Pohlia Sw.) foliis superioris, capsula subpendula pyriformi ore contracta, dentibus p. ext. subconniventibus, ciliolis int. obsoletis.
In terra nudiuscula (Knästorp, Torrlösa).

1141. Br. *fuscum* foliis superiorum, capsula pendula anguste turbinata, ore subdilatata dentibus p. ext. ferrugineo-fuscescentibus, ciliolis int. erectis flaventibus.
In uliginosis schistosis ad Fogelsång. Ad Pohliam uliginosam Braun (de qua cf. Hübener, Muscol. germ. p. 476) sese habere videtur ut Br. caespiticium ad Br. inclinatum, vel ut Br. turbinatum ad Br. Warneum. Foliis strictis laxisque varium.

1142. Br. *speciosum* Bl. foliis superiorum, capsula adscendente oblique pyriformi, dentibus p. ext. inflexis apicibusque membranam int. contingentibus.
In uliginosis (Walkärra-Lackalänge, Fogelsång).

1143. Br. *turbinatum* H. foliis subovatis pellucidis, capsula clavato-pyriformi.
In uliginosis schistosis (Fogelsång). In p. int. ciliola adsunt.

1144. Br. *Warneum* Bl. foliis superioris, capsula pyriformi, ciliolis p. int. obsoletis.
In uliginosis schistosis (Fogelsång, Bösmöllan).

1145. Br. *bimum* Schreb. caule elongato, foliis laxe dispositis rigidis oblongo-acuminatis, capsula pendula clavata.
In pratis humidis, imprimis turfosis (Årup, Stabbarp, Lackalänge-Walkärra, Fogelsång, Knästorp).

1146. Br. *capillare* L. foliis obovato-oblongis piliformi-cuspidatis, siccis crispulis, capsula clavata.
In rupibus umbrosis, marginibus rivulorum arboribusque (Klöfvahall, Skärah, Stabbarp, Fogelsång, Årup); in Salicibus (Lund) sterile, evanidinerve.

1147. Br. *alpinum* L. foliis erectis arcte imbricatis lanceolatis, capsula pendula oblongo-pyriformi.
In saxis inter Näsum & Leingaröd.

1148. Br. *erythrocarpum* Schw. foliis erecto-patentibus laxius imbricatis lanceolatis, capsula pendula oblonga.
In maceriis (Knästorp, Hvidarp, Gudmuntorp).

1149. Br. *argenteum* L. foliis erectis arctissime imbricatis concavis cuspidatis albidis, capsula pendula oblonga.
In maceriis ruderatisque frequens.

1150. Br. *cyclophyllum* (Mnium Schw.) foliis remotis ovalibus obtusis ruptinervibus, siccis crispatis (capsula pendula oblonga).
Ad fossas turfaceas in Näs' mosse.

1151. Br. *roseum* Schreb. foliis rosaceo-congestis spathulato-lanceolatis marginatis serratis. setis saepe aggregatis.
In umbrosis humidiusculis (Klinta, Fogelsång, Lund, L. Harrie).

1152. Br. *pyriforme* H. foliis lineari-subulatis, capsula nutante subpendulave vernicosa.
In rupibus murisve umbrosis Trollehall, (Tottarps Kyrka) paludibusque (Lackalänge-Walkärra).

1153. WEBERA *cruda* (Mnium L.) foliis oblongo-ovatis, summis modo lineari-lanceolatis rigidis nitentibus, capsula cernua l. nutante clavata.

In rupibus maceriisque locis occultis (Skärali, Storemölla, Stabbarp, Fogelsång, Årup).

1154. W. *elongata* (Pohlia H.) caule brevi, foliis lineari-lanceolatis, capsulis elongato-clavatis adscendentibus, ciliolis p. int. nullis.

In arenosis umbrosis montis Kullaberg *Wahlenberg*.

1155. W. *nutans* H. caule brevi, foliis subpatentibus lanceolatis, capsula nutante subpendulave oblonga vel turbinata.

In terra sicca, imprimis turfacea frequens.

1156. W. *annotina* (Bryum H.) caulibus sterilibus in axillis foliorum superiorum bulbiferis.

In terra uda arenosa (Gullarp). Folia erecta, caulina ovato-oblongove-, perichaetialia lineari-lanceolata, capsula pendula angustius pyriformis.

1157. W. *pulchella* (Bryum H.) foliis lineari-lanceolatis textura densiori subnitentibus, capsula subglobosa, dentibus p. ext. flavidis.

In udis glareosis (Årup).

1158. W. *carnea* (Bryum L.) foliis oblongo-lanceolatis textura laxa pellucidis, capsula ovali, dentibus p. ext. rubentibus.

In udis humosis (Knästorp) argillaceo - schistaceisque (Fogelsång).

1159. W. *albicans* (Mnium Wg) caule innovationibus uncialibus longioribusque ramoso, foliis oblongo-ovatis pellucidis.

In palude turfosa inter Lackalänge & Walkärra.

*1160. MNIUM *punctatum* H. foliis obovato-subrotundis integerrimis.

In sylvaticis irrigatis frequens.

1161. Mn. *cuspidatum* H. foliis, siccis erectis, obovatis acuminatis (ut sequentium, serratis) areolis punctiformibus, setis solitariis.

In umbrosis frequens.

1162. Mn. *affine* Bl. foliis patulis late oblongis acutis, areolis majusculis angulosis.

In humidis, ut videtur, non rarum (Knästorp, Fogelsång, Lund-Stångby, Sallerup-Gullarp, Bosarp). Setae saepe aggregatae.

1163. Mn. *undulatum* H. foliis ligulatis undulatis, setis aggregatis.
In terra umbrosa passim.

1164. Mn. *hornum* L. foliis lanceolatis, (ut superiorum) marginatis, operculo convexo mucronulato.
In turfosis sylvaticisque udis, praecipue ad truncos arborum putrescentes frequens.

1165. Mn. *stellare* H. foliis oblongis acuminatis immarginatis, in aqua coerulescenfibus, operculo convexo obtuso.
In schistosis umbratis (Fogelsång).

Septimum in umbrosis ad Trolleholm legi Mnium foliis oblongis obtusis nervo cuspidatis minutius areolatis ad *Mn. rostratum* quidem accedens, caule vero procumbente ramos breves erectos emittens folisque ipsis insignius serratis obscure virentibus a vulgari ejus forma magis abludens quam quod sine fructu lectum sub hoc nomine afferre audeam.

1166. CINCLIDIUM *stygium* Sw.
In palude maxima Kongasjö. Caulis radiculosus, folia rotundata marginata cuspidata integerrima.

1167. AULACOMNIUM *palustre* (Mnium L.) foliis apice denticulatis, margine involuto-reflexo.
In pratis uliginosis, praesertim turfosis frequens.

1168. Aul. *androgynum* (Mnium L.) foliis acutis tenerrime denticulatis apice argute serratis, margine plano-reflexo.
In truncis putrescentibus sylvarum, virgetorum paludumque turfacearum capituliferum frequens.

1169. MEESIA *dealbata* Sw.
In turfosis (Årup, Bosarp, Annelöf, Lackalänge-Walkärra). Folia lanceolata acuta laxe cellulosa, capsula erectiuscula oblique pyriformis.

1170. FUNARIA *hygrometrica* H.
In terra nuda deusta ruderatisque frequens. Folia concava conniventia, seta arcuata.

1171. PHILONOTIS *fontana* (Mnium L.)
In scaturiginosis (Trollehall, Bösmöllan). Folia ovata acuminata serrata.

1172. BARTRAMIA *pomiformis* H. foliis lineari-acuminatis, siccis tortilibus, dentibus p. ext. striatis conniventibus.
In rupibus (Klöfvahall, Skärali). Sublutescens.

1173. B. *crispa* Sw. foliis lineari-subulatis, siccis crispatis, dentibus p. ext. trabeculatis inflexis.
In rupibus magis umbrosis (Trollehall, Klöfvaball, Skärali). Virentior.

1174. B. *ithyphylla* Br. foliis strictis setaceis, basi membrana hyalina nitente appendiculatis.
In terra denudata occulta passim (Skärali; Björnekulla klint, Näs, Bösamöllan, Fogelsång). Ut in B. stricta peristomium exterius deest, sic in hac interius Auctorum frustra quaesivi, dentes vero exterioris ceterum quales B. pomiformis semper inferius quam in ceteris adnexos inveni.

1175. B. *Öderi* Sw. caule elongato, foliis lanceolato-subulatis margine reflexiusculis.
Inter lapides & truncos ad Lefrasjön (Råby). Folia a *Dicrano polycarpo* minus aliena quam ab affinibus.

Trib. III. POLYTRICHEAE, seta apicali, calyptra cucullata, dentibus peristomii membranam epiphragmaticam prehendentibus. Tribus maxime naturalis in duo genera aegrius soluta, alterum calyptra deorsum pilosissima (floribus dioicis, foliis cartilagineis) = *Polytrichum*, alterum calyptra sursum pilosiuscula (floribus monoicis, foliis mollibus = *Catharinea*.

1176. POLYTRICHUM *juniperinum* Willd. foliis integerrimis apice coloratis, capsula quadrangula apophysata.
In pascuis ericetisque, siccis humidisque frequens.

1177. P. *piliferum* Schreb. foliis integerrimis piliferis, capsula prioris.
In siccis sterilibus frequens.

1178. P. *commune* L. foliis subimmarginatis serratis, perichaetialibus scariosis, capsula priorum, operculo convexo mucronato.
In humidis sylvaticis imprimis frequens.

1179. P. *formosum* H. foliis hyalino-marginatis serratis, perichaetialibus cartilagineis, capsula priorum, apophysi modo confluente, operculo conico rostrato.
In uliginosis, imprimis turfaceis (Skärali, Ekeröd, Hasle mosse).

1180. P. *urnigerum* L. caule ramoso, foliis lanceolatis acutis serratis, capsula cylindrica.

In schistosis marginibusque viarum sabulosis (Fogelsång, Reften-Lund).

1181. P. *aloides* H. caule simplici, foliis patentibus lanceolatis obtusis serratis, capsula oblonga subcylindricave.
Ad margines viarum sylvaticarum (Klöfvahall, Skärali, Konga).

1182. P. *nanum* H. caule simplici, foliis erectis lanceolatis capsula truncato-obovata rotundatave.
Ad margines viarum sabulosos (Bosarp, Reften-Lund).

1183. CATHARINEA *undulata* W. M.
In sylvaticis frequens nec umbram Salicum in aggeribus campestribus aspernans latiusque etiam inde vagans (Knästorp). Folia patentia lanceolata spinuloso-serrata undulata tortilia, capsula oblongo-cylindrica curvula (cruribus lanceolato-subulatis).

Trib. IV. DICRANEAE, seta terminali, calyptra cucullata, peristomio 1) simplici, dentibus semibifidis = *Dicranum*, bipartitis (cruribus in prima nec numquam in ultima specie per trabeculas infra connexis) varieve fissis divisisque = *Didymodon* (genus ut insequens, reformandum), integris = *Weissia*, contortis (membrana magis minusve obsoleta basi connexis) = *Barbula*, parte dimidia inferiore in membranam tesselatam cylindricam contextis, superiore contortis = *Syntrichia*, 2) nullo, operculo discreto = *Gymnostomum*, connato = *Phascum*.

1184. DICRANUM *scoparium* H. foliis lanceolato-subulatis laevibus serratis, capsula oblongo-cylindrica subclavatave incurva.
In sylvis pascuisque praecipue frequens. Foliis falcato-secundis & magis minusve rectis varium: Suae vero forsan speciei forma sterilis foliis ex ovato magis subito, brevius obtusiusque acuminatis obsoletius serratis in pascuis inter Lund & Reften.

1185. D. *Schraderi* W. M. foliis e basi latiore lineari-lanceolatis serrulatis magis minusve undulatis, capsula prioris.
In uliginosis (Årup, Hasle mosse, Ullstorp-Eslöf, Remarlöf-L. Harrie, Lund-Reften).
Forma duplex: *turfosa* luteo-fusca, foliis adpressis, summis flexuoso-incurvis; *pratensis* luteo-virens, foliis praeter summa, quae quidem erecta, cuspidato-convolutis patentibus.

1186. D. *spurium* H. foliis ovato-lanceolatis rugulosis, basi turgidis apice crispescentibus, capsula priorum.
In pascuis sterilibus (Trolleholm). Folia eximie papillosa.

1187. D. *congestum* Br. foliis e basi lanceolata setaceis secundis tortilibus, capsula priorum.
In rupibus saxisque (Trollehall, Skärali, Årup-Näsum).

1188. D. *longifolium* Ehrh. foliis secundo falcatis nervo tenui totam fere folii latitudinem occupantes, capsula erecta oblonga subaequali.
In saxis sylvaticis (Bosarp, Årup).

1189 D. *montanum* H. foliis subulatis crispatissimis, capsula prioris, tandem modo sulcata.
In rupestribus (Trollehall, Årup).

1190. D. *heteromallum* H. foliis subulato-setaceis secundo-falcatis apice serrulatis, capsula obovato-oblonga profunde tandem sulcata, operculo subulato-rostrato, ore obliquo
In sylvis ericetisque locis denudatis (Trollehall, Skärali, Konga, Fogelsång, Torup, Röddinge.

1191. D. *subulatum* H. foliis subulato-subsetaceis flexuosis secundis integerrimis, capsula cernua obovata tandem sulcata, operculo prioris, ore aequali.
In schisto argillaceo ad Fogelsång.

1192. D. *cerviculatum* H. foliis subulato-setaceis, capsula laevi strumosa, operculo prioris.
In turfosis (Tossjö, Näs' mosse, Torup) argillaceisque udis (Fogelsång).

1193. D. *varium* H. foliis lanceolato-subulatis, capsula cernua obliqua subobovata, operculo conico acuminato.
In argillaceis (Lund, Silfåkra, Bösmöllan, Kefliuge, Trolleholm, Årup).

1194. D. *crispum* H. foliis e basi brevi vaginante setaceis flexuosis, capsula erecta obovata sulcata.
In humidis schistosis ad Fogelsång; Årup.

1195. D. *flexuosum* H. foliis subulato-setaceis, capsula erecta ovali sulcata.
In palude sylvatica inter Årup & Näsum.

1196. D. *pellucidum* H. foliis remotiusculis patentibus ovato-oblongis, - lanceolatisve tortilibus (capsula subovata cernua).

Ad rivulos umbrosos (Klöfvahall, Skärali, Trolleholm, Fogelsång). *D. pellucidum* Stirp. Fems. est *Gymnostomum viridissimum.*

1197. D. *glaucum* H. foliis enervibus albidis, capsula oblonga incurva sulcata.
In ericetis pascuisque humidis passim; in palude sylvatica inter Råby & Leingaröd fructiferum.

1198. DIDYMODON *purpureus* (Dicranum H.) foliis lanceolatis tortilibus, capsula oblonga cernua sulcata.
Locis asperis frequentissimum. Folia, ut sequentium duorum, margine revoluta.

1198. b. D. *obscurus* Kaulf. foliis lanceolato-subulatis tortilibus, capsula ovali inæquali.
In rupibus umbrosis (Skärali, Trolleball).

1198. c. D. *trifarius* Sw. foliis ovato-lanceolatis apicibus siccitate incurvis, capsula subovali.
In clivo argillaceo-schistoso meridiem spectante ad Bösmöllan.

1198. d. D. *inclinatus* Sw. foliis distichis e basi vaginante setaceis, capsula cernua brevi ovali.
In schisto argillaceo locis occultioribus septentrionem spectantibus ad Bösmöllan, nec non inter Krogstorp & Edenryd.

1198. e. D. *capillaceus* H. foliis prioris, capsula erecta oblongo-cylindrica.
Locis occultioribus ad Belteberga *Fries!* et inter Krogstorp & Edenryd.

1198. f. D. *flexicaulis* Schw. caule radiculoso, foliis lanceolato-subulatis subsecundis, siccis flexuosis, tenuinervibus.
In pascuis saxosisque (Årup, Eslöf, Stabbarp) caespitibus densis sterilibus.

1198. g. D. *homomallus* H. foliis subsecundo-curvatis strictis subulato-setaceis, capsula oblongo-cylindrica.
In glareosis sylvaticis (Årup, Konga). Capsula fusca vernicosa.

1198. h. D. *pusillus* H. foliis subulatis subflexuosis, capsula ovali oblongave ore aequali.
In humidis arenosis (Lund-Reften, Skärali, Hösjön). Capsula pallida.

1199. BARBULA *tortuosa* W. M. foliis lanceolato-linearibus undulatis crispescentibus, capsula cylindrica.
In rupibus (Klöfvahall) fructiferum, in pascuis (Trolleholm, Eslöf, Maltesholm-Efveröd, Krogstorp) sterile.

1200. B. *fallax* H. foliis lanceolatis muticis, inferioribus recurvo-patentibus, siccis incurvo-tortilibus, capsula oblongo-cylindrica.
In argillaceis frequens: Sublutescens, apicibus inferioribus subrecurvis.

1200. b. B. *unguiculata* H. foliis patentibus oblongo-lanceolatis, siccis incurvis, capsula antecedentis.
In saepibus murisque frequens.

1200. c. B. *convoluta* H. foliis erecto-patulis oblongo-lanceolatis acutiusculis, siccis incurvis, capsula ovato-oblonga.
Locis asperis ad Krogstorp. Seta elongata tenuissima straminea.

1200. d. B. *muralis* Timm. foliis oblongis piliferis, capsula oblongo-cylindrica.
In muris templisque frequens.

1201. SYNTRICHIA *ruralis* Br. foliis subovato-oblongis, margine reflexis, pilo longo serrato terminatis, inferioribus recurvo-patentibus.
In saxis siccis, arboribus & imprimis tectis stramineis frequens.

1202. S. *laevipila* Br. foliis patentibus oblongis margine planis, pilo subintegerrimo terminatis.
In arboribus (Lund, Näs). Vulgo pusilla, sed interdum robustior pilosior, immixtis vero caulibus foliis in formam ovatam attenuatis, pilo obsolescente, marginibus involutis nervique latioris parte superiore granulis saepe obtecta admodum alienis.

1203. S. *latifolia* Bruch. foliis patulis spathulatis, margine planis, apice rotundato muticis.
In Salicibus (Lund).

1204. S. *subulata* W. M. foliis erecto-patentibus oblongo-lanceolatis mucronatis.
In terra nuda aggerum fossarumque, imprimis sabulosa passim.

1205. WEISSIA *lanceolata* Br. foliis ovato-oblongis cuspidatis, siccis contortis.

In aggeribus (Lund, Fogelsång, Kjeflinge).

1206. W. *recurvirostra* H. foliis remotis lineari-lanceolatis pungentibus rigidis, siccis ut sequentium crispescentibus, capsula cylindrica inaequali, operculo rostellato. In glareosis argillaceisque passim, immo in turfosis inter Lackalänge & Walkärra. Capsula fuscescens, folia inferiora fusco-rubentia.

1207. W. *cirrhata* H. foliis densis lanceolato-acuminatis muticis, capsula subovata ore contracta, operculo rostrato. In saxis (Trolleholm, Årup). Dense caespitosa, ramis fastigiatis infra fusco-nigricantibus, foliis ut superiorum (nec W. crispulae) margine revolutis, capsula ut sequentis luteo-virens.

1208. W. *controversa* H. foliis subulatis pungentibus margine involutis, capsula ovali ore contracta, operculo rostrato.
In glareosis sylvaticis (Klöfvahall, Skärali, Trolleholm, Bosarp, Fogelsång).

1209. W. *fugax* H. foliis lineari-lanceolatis acutis margine planis, capsula obovata costato-sulcata.
In rupium fissuris (Skärali; ad Ifösjön *Fries!*) Pusilla. Os capsulae hians, mox nudum. Folia integerrima vel apice obsolete serrulata nec, ut in W. denticulata (W. fug. β. Myrin! W. A. H. 1831. p. 260) elatiore, toto margine denticulata.

1210. GYMNOSTOMUM *lapponicum* H. caule elongato ramoso, foliis lineari-lanceolatis carinatis tortilibus (capsula turbinata costata).
In rupibus (Klöfvahall, Skärali). Operculum conicum petunt, sed nostra quidem forma foliis quoque angustioribus strictioribusque ab Holmiensi ex. gr. divergens, in Omberg, ubi fructifera, subulatum gerit.

1211. G. *microstomum* H. caule ut sequentium subsimplici, foliis subulatis pungentibus margine involutis crispescentibus, capsula ovata ore contracta obliqua.
In aggeribus humosis frequens.

1212. G. *ovatum* H. foliis piliferis ventricoso-nervosis.
In aggeribus marginibusque fossarum (Lund).

1212. b. G. *truncatulum* H. foliis oblongis cuspidatis, operculo rostrato.

In arvis & aggeribus frequens. Virens.

1212. c. G. *minutulum* Schw. foliis ovato-acuminatis cuspidatis, operculo conico apice obliquo.
In agris marginibusque fossarum argillaceis (Knästorp, Gullarp, W. Sallerup). Fuscescens, minus.

1212. d. G. *Heimii* H. foliis oblongo-acuminatis apice serrulatis, operculo rostrato.
In udis humosis, imprimis submarinis (Krogstorp, Knästorp). Fusco-lutescens, majus.

1212. e. G. *pyriforme* H. foliis laxe areolatis serrulatis, capsula pyriformi, operculo rostellato.
Ad margines pratorum lateraque aggerum humentium (Lund, Bösmöllan, Lackalänge).

1212. f. G. *fasciculare* Br. foliis capsulisque prioris, operculo umbonato.
In fossis, imprimis arenoso-humosis (Helenelund, Hvidarp, Bosarp, Årup). Foliis, floribus, calyptra (ampla ventricosa longe rostrata) ipsaque quodammodo capsula hoc & proximum (Bridelio Physcomitria) *Funariae* bene observante Fürnrohrio proxime accedunt, dum G. microstomum observante Myrinio Weissiae controversae nimis affine.

1212. g. PHASCUM *bryoides* Dicks. foliis oblongis cuspidatis, capsula alte sublata.
In saepibus humosis (Gullarp, Årup).

1213. Ph. *cuspidatum* Schreb. foliis conniventibus oblongis nervo excurrente cuspidatis, capsula ut sequentium subsessili.
In cultis frequens.

1214. Ph. *Flörkeanum* W. M. caule obsoleto, foliis late ovato-acuminatis nervo excurrente cuspidatis.
In agris et ad margines fossarum (Knästorp).

1214. b. Ph. *muticum* Schreb. caule obsoleto, foliis in bulbum conniventibus ovatis crenato-serratis apice reflexis.
In argillaceis (Röddinge, Knästorp, Lund, Stångby, Remarlöf).

1215. Ph. *crispum* H. foliis lanceolato-subulatis pungentibus; summis tortilibus.
In aggeribus humosis (Röddinge, Arendala, Hvidarp, Näs).

1216. Ph. *alternifolium* Dicks. innovationibus luxuriantibus, foliis caulis primarii summis e basi ovata subito subulatis comans.
In terra nuda aggerum campestrium marginumque sylvaticorum frequens.

1216. b. Ph. *subulatum* Schreb. foliis summis lanceolato-subulatis comans.
In humo glareosa ad Klöfvahall.

1216. c. Ph. *axillare* Dicks. foliis sublanceolato-subulatis laxe areolatis.
In arenoso-humosis ad Ö. Ljungby & Bläsinge.

1217. Ph. *patens* H. foliis patentibus ovato-lanceolatis oblongisve serratis serrulatisve laxe areolatis.
In udis argillaceis (Lund, Skeglinge).

1218. Ph. *serratum* Schreb. caule obsoleto, foliis lanceolatis serratis laxissime areolatis enervibus, capsula immersa.
In terra nuda humidiuscula (Lund, Knästorp, Romarlöf, Trollenäs, Trolleholm). Nemata persistentia.

Trib. V. RACOMITRIEAE, seta apicali, calyptra mitraeformi laevi glabra, peristomio 1) simplici, capsula a) exserta; laevi = *Racomitrium* costatave = *Dryptodon*; b) subsessili = *Grimmia* 2) nullo = *Schistidium*. Accedit *Encalypta*, calyptra laxa cylindrico-campanulata capsulam totam involvente non fissili).

1219. RACOMITRIUM *lanuginosum* (Trichostomum H.) foliis subsecundis margine diaphano infra apicem elongatum canum eximie dentatis.
In montanis ad saxa (Skärali, Brönnestad). Seta muriculata (ab auctoribus non observata) singulare Hypneasque quibus ramificatione quoque haec tribus convenientissima in memoriam revocans.

1219. b. R. *canescens* (Trich. Timm.) foliis apice diaphano serrulatis, margine ceterum nervoque tenerrime denticulatis, capsula subovata, dentibus peristomii longissimis (enodulosis?)
In siccis apricis (Romeleklint, Bösmöllan, Trolleholm). Forma ericoides.

1219. c. R. *heterostichum* (Trich. H.) foliis apice diaphanis ser-

rulatis; margine ceterum nervoque integerrimis; capsula oblonga, dentibus peristomii brevibus nodulosis.
In saxis (Arup, Reften, Gullarp, Trolleholm).

1219. d. R. *cataractarum* Br. caule erecto subfastigiato-ramoso, foliis lanceolatis acumine integerrimo obtuso muticis.
In rupibus roridis ad Klöfvahall. R. fasciculare, cujus olim (Stirp. Femsj.) varietatem habuimus, non ramis modo abbreviatis confertis, sed acumine quoque foliorum elongato tenerrime denticulato a nostro differt quam a forma primaria R. canescentis ericoides nostra.

1219. e. R. *aciculare* (Trich. Pal.) foliis ovato- elongatis apice late mutico nunc obtusissimo, nunc acutiusculo serrulatis.
In saxis rivulorum (Trollehall, Klöfva-Bonarp, Skärali).

1220. DRYPTODON *pulvinatus* (Trich. W. M.) foliis concavis oblongo-lanceolatis apice obtusiusculo pilo longissimo subintegerrimo terminatis.
In muris maceriisque frequens. Drypt. sudet. Scan. Hartman.

1220. b. DR. *funalis* Br. foliis lanceolato-subulatis apice cano serrulatis.
In saxis apricis (Bosarp). Caule erecto, calyptra normali (pluries fissa) & imprimis operculo rostrato, quale omnino *Grimmiæ trichophyllæ* in Muscologia Britannica, a descriptionibus auctorum & figura Schwägricheniana divergit. Dentes peristomii ut in *Dr. pulvinato* nunc interrimi, nunc (saepius) bifidi, profundius vero quam in hoc, cruribus non raro re ipsa, ut in figura, duas dentis partes emetientibus.

1221. GRIMMIA *apocarpa* H. foliis ovato-lanceolatis margine reflexiusculis, apice saepe diaphano serratis, siccis incurvis, capsula immersa.
In saxis frequens.

1221. b Gr. *maritima* Turn. foliis lanceolato-subulatis margine planis integerrimis, siccis crispescentibus.
In scopulis (Kullaberg *Hornschuch* in Bryol. germ. II., 1. p. 107.)

1222. SCHISTIDIUM *ciliatum* Br.

In saxis siccis satis frequens. Folia concava enervia apice cano denticulata, perichaetialia longe ciliata, capsula immersa.

1223. ENCALYPTA *vulgaris* H. calyptra subintegerrima.
In muris clivisque sabulosis satis frequens. Caulis breviusculus, capsula laevis, peristomium nullum. Calyptra interdum irregulariter crenata.

1223. b. E. *ciliata* H. calyptra margine dentata.
In rupibus ad Belteberga. *Fries.* Caulis elongatus; subdivisus.

Trib. VI. ORTHOTRICHEAE; seta apicali peristomio saepissime duplici, calyptra mitraeformi plicata saepius pilosa; unicum genus genuinum *Orthotrichum*, dentibus peristomii (exterioris) transverse striatis (16); accedit *Tetraphis*, dentibus peristomii longitudinaliter striatis (4).

1224. ORTHOTRICHUM *anomalum* H. seta exserta, ciliis peristomii interioris nullis obsoletisve, calyptra pilosa subferruginea.
In maceriis frequens.

1224. b. O. *cupulatum* Hoffm. seta immersa; ciliis; ubi adsunt, fugacissimis, calyptra glabriuscula.
In lapidibus passim (Reften, Knästorp). Inter O. anomalum & rupestre, seta illo, hoc pilis calyptrae explicatioribus ita intermedium ut nunc cum illo, nunc cum hoc confluere videatur. Quale ad Lefrasjön occurrit (si calyptra non visa huc referre licet), ab O. urnigero Myr. vix nisi ciliis differt in hoc optime explicatis & persistentibus.

1224. c. O. *rupestre* Schw. seta immersa, ciliis obsoletis, calyptra pilosa.
In lapidibus (Romeleklint, Reften-Ö-Torn; Stabbarp; Trolleholm).

1224. d. O. *speciosum* Nees. foliis lanceolatis margine revolutis, summis planis insignius papillosis, capsula laeviuscula, dentibus p. ext. reflexilibus, ciliis interioris 8 albis firmis, calyptra pilosa.
In arboribus, sylvarum praecipue nemorumque (Trolleholm, Bosarp, Reften, Knästorp).

1224.* e. O. *affine* Schrad. foliis oblongis ex apice oblique

truncato obtuse apiculatis obsoletius papillosis capsula sulcata, dentibus ciliisque peristomiorum antecedentis, calyptra parce pilosa.

In arboribus & lapidibus frequens.

1224. f. O. *pumilum* Sw. foliis ovato-oblongis acutis epapillosis, capsula costata, dentibus p. ext. reflexibilibus, ci- int. 8 tenerrimis pallidis, calyptra glabra.

In arboribus & lapidibus (Lund, Reften, Sandby, Gisleberga).

1224. g. O. *stramineum* Hsc. foliis lanceolatis; capsula costata, dentibus p. ext. erectiusculis, ciliis interioris 8 vel 16 aureis.

In arboribus ad Trolleholm.

1224. h. O. *Lyellii* Hook. ramis turgidulis, foliis elongatis subundulatis margine planis, sparsim undique densiusve glanduliferisve (ciliis p. int. 16).

In arboribus (Reften, Lund).

1224. i. O. *jutlandicum* Br. foliis crispis, intimis apice subobliquo dense tubuliferis.

In lapidibus prope mare infra Årup. In trabibus ad portum Gryphicum idem legimus, fructum semper frustra quaerentes; genus tamen, ut proxima species O. speciosum, ita hac O. affine referente, vix dubium haberi potest.

1224. k. O. *pulchellum* E. B. foliis levius crispescentibus, dentibus p. ext. rubellis, ciliis int. 16 calyptra glabriuscula.

In arboribus (Reften, Trolleholm).

1224. l. O. *crispum* H. foliis crispatissimis, capsula cum seta confluente.

In arboribus sylvarum nemorumque frequens.

1224. m. O. *Hutchinsiae* Sm. foliis strictis, seta elongata, capsula oblongo-clavata ore subcontracta calyptra pilosissima.

In rupibus (Trolleball).

1224. n. O. *striatum* H. capsula laevi immersa, ciliis 16 torulosis.

In arboribus lapidibusque (Sandby, Reften, Knästorp, Bosarp, Trolleholm).

1224. o. O. *diaphanum* Schrad. foliis apice lanceolato diapha-

nis, capsula immersa, ciliis 16, calyptra vix non glaberrima.
In Salicibus lapidibusque (Lund, Reften, Knästorp, Kronetorp).

1224. p. O. *obtusifolium* Sw. foliis concavis ruptinervibus margine planis apice rotundatis.
In Salicibus (Lund, Gisleberga). Folia interdum glandulifera.

1225. TETRAPHIS *pellucida* H.
In turfaceis truncisque putrescentibus (Trollehall, Klöfva-Bonarp, Näs' mosse, Hassle mosse). Folia, alias lanceolata, in caule sterili cyathifero ovalia, ruptinervia, rigida potius quam laxa dicenda.

B. DESCISCENTES.

Lamina duplicatrice e nervo folii egressa cum interiori ejus parte caulem amplectente = *Fissidens*; peristomio membranaceo truncato-conico plicato = *Buxbaumia*; seta rudimentaria diciformi exserto immersove-pedunculata, calyptra lacera = *Sphagnum*; capsula quadrivalvi, valvis apicibus (calyptra?) connexis = *Andreaea*.

1226. FISSIDENS *adiantoides* H. caule saepius diviso, foliis serrulatis, seta laterali, capsula ovata cernua, operculo rostrato.
In humidis (Skärali, Stabbarp, Reften).

1226. b. F. *taxifolius* H. caule vix diviso, foliis subintegerrimis, seta basilari, capsula operculoque antecedentis.
In umbrosis (Röddinge, Trolleholm).

1226. c. F. *bryoides* H. caule simplici, foliis apiculatis marginatis integerrimis, seta terminali; capsula oblonga erecta, operculo rostellato.
In terra nudiuscula, imprimis argillacea (Björnekulla, Trolleholm, Bosarp, Näs, Reften, Fogelsång, Röddinge).

1227. BUXBAUMIA *foliosa* L.
In terra aspera sylvatica (Trollehall, Skärali, Björnekulla klint, Reften, Näsum). Folia exteriora mutica, interiora aristata; capsula immersa.

1228. SPHAGNUM *latifolium* H. foliis late ovatis obtusis laxe

areolatis, siccis navicularibus, perichaetialibus truncatis.
In fossis turfaceis frequens.

1228. b. Sph. *squarrosum* Pers. foliis ovatis acuminatis laxe areolatis siccis navicularibus, perichaetialibus truncatis.
Cum antecedente passim.

1228. c. Sph. *cuspidatum* Ehrh. foliis lanceolato-subulatis dense areolatis, siccis planiusculis vel margine reflexis undulatis.
Locis quibus antecedentia frequens.

In saxis coacervatis ad latera clivorum Skäraliensium quarta species occurrit, foliis anguste ovatis laxe areolatis, siccis navicularibus, ramulorum summorum pulchre seriatis, perichaetialibus subsecundo-falcatis, quae quum folia habeat non minus marginata quam cetera, quibus talia tribuuntur, nec facile cum Sph. latifolio conferri potuerit & a Sph. compacto Funckiano quidem longius quam hoc distare videatur, ad Sph. molluscum Bruch potius referenda esset nisi & coloribus foliorum (non raro rubedine quadam tinctorum), capsulae ut ceterorum fuscae sporarumque ferruginearum nec sulphurearum a Brauniano saltim (Flora 1835. n. 5.) recederet et a descriptionibus Sph. mollusci ceteris quoque alienior esset quam a Sph. compacto Bryol. germ. (α), quod quidem & figura & descriptione satis bene convenit. Forsan sub hoc nomine duae latent species, forsan septem Fürnrohrianis (Flora 1833. n. 2.) nostra octava addenda. In fossa turfacea [Näs mosse) eandem legimus, pedunculis, imo capsulis immersis, foliis perichaetialibus obsoletius secundis.

1229. ANDREAEA *rupestris* H.
In rupibus (Trollehall). Folia lanceolata, apice subsecundo-curvata, papillosa enervia.

(*Hanc et sq. familiam elaboravit* N. O. Ahnfelt).

Fam. LXXIX. HEPATICAE Juss.

Char. Capsulae plerumque valvatae, e calyptra apice rupta emergentes, sporis filis spiralibus folliculis tubisve inclusis (elateribus in ultimo modo genera desideratis) superinstratis. *Caulis teres vel compressus cellulo-*

sus, cellulis exterioribus elongatis, foliis in quibusdam nullis discretis frondem exhibens cellulosam medio saepius nervosam vel incrassatam; fibrillae radicales ex inferiori lateri caulis mediaeve frondis excurrentes simplices continuae; folia, ubi adsunt, disticha, accedente interdum tertia serie amphigastriorum, inferiora superioribus aut incumbentia (fol. incuba) *aut subdita (*fol. succuba), *integra aut varie devisa vel emarginata nec margine semper integerrima, at, excepta sola* Jung. albicante vittata, *constanter enervia.*

Analogiam quidem monstrant hinc Podostemeis, illinc Lichenibus, sed arctiori affinitatis vinculo cum Bryaceis continentur, fructus varietate floribusque ipsis femineis (perianthio plurimorum gamophyllo) superiorem, masculis inferiorem gradum tenentes. — Genera Micheliano-Linnaeana ad nostra paene tempora intacta servata fuerunt, sed ulterius esse subdividenda docuerunt sollertissimi observatores. (Cfr. praecipue *Nees ab Esenb. Leberm.*) Species apud nos hactenus lectas sub antiquis nominibus enumerantes, necessarium ducimus novam dispositionem, olim praeferendam, indicare ut tirones ad accuratius hujus studium et partes maxime essentiales attendant. Genera Linnaeana dignoscuntur capsula a) quadrivalvi, seta plerumque longa caduca perianthio vel exserto = *Jungermannia* (foliosae) vel immerso aut nullo = *Blasia* (frondosae, uti sqq.); b) vario modo dehiscente, pluribus receptaculo pedunculato subtus adfixis = *Marchantia*; c) bivalvi, columellata = *Anthoceros*, quibus accedit d) *Riccia*, capsula evalvi. His generibus acutius distinctis quattuor tribus: *Jungermannieae*, *Marchantieae*, *Anthoceroteae*, *Riccieae.*

JUNGERMANNIA. Genus superius, in plura divisum nempe e foliis 1) succubis, capsula a) ad basin usque valvata perianthio libero = *Jungermannia* (1229) vel cum involucro connata = *Sarcoscyphus* (1230); b) irregulariter quadrifida = *Codonia* (1231): 2) incubis elateribus a) dispiris, capsula α) firma, perianthio a) hypogeno (i. e. ex inferiori caulis latere orto) membranaceo, ore denticulato = *Mastigophora* (1232) ore lateraliter fisso = *Herpetium* (1233), carnoso hirto pendulo, capsula torta = *Cincinnulus* (1234) b) epigeno = *Ptilidium* (1235) β) tenui, ad basin usque

valvata = *Radula* (1236) ad medium modo valvata = *Lejeunia* (1237); b) monospiris *Frullania* (1238.)

a. *Foliis succubis.*

1230. JUNGERMANNIA *asplenioides* L. ramis erectis vel adscendentibus, foliis obovato-rotundatis, supremis saltim denticulatis vel ciliatis, perianthio oblongo compresso decurvo.
In sylvaticis frequens. Ad Björstorp l. Heckeberga formam legimus perianthiis abbreviatis subimmersis, innovationibus J. subapicalem referentem.

1230. b. J. *interrupta* Nees, ramis distichis horizontalibus, foliis ovalibus integerrimis, saepe retusis, rameis primis varie fissis (perianthio oblongo compresso).
In terra muscosa (Trolleholm, Fogelsång). In hac interdum, nec semper in J. asplenioide, folia caulina margine postico reflexa.

1230. c. J. *lanceolata* L. repens, foliis rotundatis, perianthio recurvo cylindrico laevi apice depresso.
In humidis umbrosis (Trollehall, Röstånga-Trolleholm).

1230. d. J. *pumila* With. repens, foliis ovatis concavis, perianthio lanceolato.
In terra rupestri (Klöfvahall, Skärali). Perianthium obscurius plicatum denticulatumque.

1230. e. J. *subapicalis* Nees. procumbens, innovationibus divaricatis, foliis ovato-subrotundis, innovationum primariis bi-trifidis.
In sylvaticis montanis (Trollehall). Perianthium observante Neesio primo terminale, mox dorsale dichotomiaeve impositum nec admodum ex involucro prominulum.

1230. f. J. *scalaris* Schrad. repens, adscendens, foliis rotundatis integris emarginatisve, involucralibus cum amphigastriis magis minusve connatis.
In terra nuda sylvatica (Trollehall, Skärali).

1230. g. J. *crenulata* E. B. repens, innovationibus gracilibus prostratis, foliis adscendentibus orbiculatis marginatis, perianthio angulato.
In terra nuda argillacea Leingaröd, Årup, ut semper *Åkerman!*, Fogelsång, Klöfvahall).

1230. h. J. *Schraderi* Mart. repens, foliis adscendentibus rotundatis basi supera decurrentibus, arcte areolatis (perianthio tereti ore plicato).
In uliginosis sylvaticis (Kullaskogen, ad Björstorp).

1230. i. J. *Sphagni* Dicks. repens, flagelliformi-radiculosa, foliis suborbiculatis punctatis (parum pellucidis) non decurrentibus.
In Dicrano glauco (Årup) & Schraderi (Hassle Mosse).

1230. k. J. *Taylori* Hook. foliis orbiculatis ample reticulatis (perianthio tubuloso bilabiato).
In rupibus umbrosis (Skärali).

1230. l. J. *pallescens* Ehrh. foliis planis horizontalibus rotundatis, amphigastriis bifidis [rarius integris) fugacibus (perianthis subbilabiato).
In humidis (Skärali, Wäsums mosse).

1230. m. J. *albescens* Hook. foliis orbiculatis hemisphaerico-concavis sinu brevi angusto bifidis, laciniis obtusiusculis.
In terra inter Bryaceas pusillas (Fogelsång). A forma alpestri non nisi amphigastriis deficientibus vel radiculis copiosioribus suppressis diversa.

1230. n. J. *ventricosa* Dicks. foliis planiusculis subquadratis laxius reticulatis late emarginato-bidentatis, dentibus acutis, perianthio inflato.
In Bryaceis terraque nuda lichenosa (Fogelsång; Reften-Ö-Torn, Bosarp).

1230. o. J. *porphyroleuca* Nees. foliis subquadratis minutius reticulatis lunatim emarginatis, dentibus inaequalibus obtusiusculis (perianthio ovali).
In Bryaceis lignoque putrescente repens (Skärali, Trollehall).

1230. p. J. *incisa* Schrad. foliis subquadratis bi-plurifidis, laciniis subspinuloso-serratis.
In truncis putridis (Skärali).

1230. q. J. *quinquedentata* L. foliis subverticalibus rotundato-quadratis bi-quinque-dentatis, laciniis integerrimis.
In Bryaceis locis umbrosis montanis (Klöfvahall, Skärali, Årup). Variat innovationibus julaceis, foliis arctissime imbricatis praemorso-denticulatis (J. attenuata Lindenb).

1230. r J. *bidentata* L. foliis subhorizontalibus oblique ovatis pallidis pellucidis sublunatim bifidis, laciniis acuminatis, amphigastriis bi-quadrifidis.
Locis roridis muscosis frequens.

1230. s. J. *byssacea* Roth (divaricata E. B.) caule rigidulo, foliis remotis carnosis impellucidis angulo fere recto bifidis.
In terra nuda Bryaceisque putrescentibus (Knästorp, Ö. Torn-Reften, Kullaskogen, W. Sallerup, Gullarp, Trolleholm).

1230. t. J. *bicuspidata* L. foliis pellucidis amplissime areolatis subovatis, ad medium fere bifidis, sinu obtuso, laciniis acutis, perianthio ore denticulato.
In nudis schistosis, turfaceis, humosis, sabulosis frequens.

1230. tt. J. *connivens* Dicks. foliis pellucidis ample reticulatis rotundatis lunatim bifidis, laciniis brevibus acutis conniventibus, perianthio ore contracto laciniato.
In terra turfacea (Näs' mosse).

1230. u. J. *curvifolia* Dicks. foliis pellucidis ventricoso-inflatis lunatim bifidis, laciniis subulato-elongatis incurvatis.
In truncis putridis (Trollehall).

1230. v. J. *trichophylla* L. foliis amphigastriisque conformibus tri-quadripartitis, laciniis setaceis strictis submoniliformibus.
In terra umbrosa (Trollehall, Klöfvahall, Skärali).

1230. x. J. *nemorosa* L foliis complicato-bilobis rigidulis ciliato-dentatis, lobo inferiore subovali.
In sylvaticis humidiusculis (Trollehall, Skärali, Kullaskogen).

1230. y. J. *undulata* L. foliis complicato-bilobis laxiusculis integerrimis vel denticulatis, lobis trapezoideo-rotundatis.
In uliginosis montanis (Trollehall, Klöfvahall, Skärali).

1230. z. J. *umbrosa* Schrad. foliis complicato-bilobis serratis, lobis acutis convexis arctissime incumbentibus.
In truncis putrescentibus (Skärali).

1230. a b. J. *curta* Mart. foliis complicato-bilobis apice obsolete serratis, lobo superiori acuto adscendente.

Ad margines fossarum (Kullaskogen; Reften-Ö.Torn; Näs' mosse, Skärali).

1230. a c. J. *albicans* L. foliis arcte complicato-bilobis, lobo inferiore subacinaciformi.
In scopulis (Trollehall, Skärali). Lobus uterque medio longitudinaliter vittatus; perianthium ovatum, dum proximis quatuor (Nemorosis genuinis Nees.) compressum truncatum.

1230. a d. J. *minuta* Dicks. foliis concavo-complicatis pectinatopatulis, lobis subaequalibus.
In rupibus (Skärali.) Perianthium oblongum, ore plicatum.

1230. a e. J. *exsecta* Schmid. foliis concavis, lobò superiore parvo dentiformi, inferiori acuto emarginatove-bidentato.
In truncis putrescentibus terraque silvatica (Leinga-röd, Skärali).

1231. J. *emarginata* Ehrh. erecta, foliis verticaliter adnexis subquadratis emarginatis sinu lobisque obtusiusculis.
In rupibus irriguis (Trollehall, Skärali).

1232. J. *pusilla* L. prostrata, foliis horizontalibus subquadratis undulatis inaequaliter sinuato-crenatis. — Passim.

b. *Foliis incubis.*

1233. J. *reptans* L. caule pinnato, foliis convexis laxe areolatis apice 3-4-fido hamato-incurvis, amphigastriis 4-fidis inflexis.
Locis silvarum siccis humidiusculis (Trollehall, Klöfvahall, Trollehom, Årup.)

1234. J. *trilobata* L. caule flagellifero; foliis imbricatis oblique ovatis apice truncato tridentatis, amphigastriis subrotundis concavis crenato-incisis.
In rupibus umbrosis (Skärali, Leingaröd) In proxima J. *tricrenata* Wahl. folia convexiuscula).

1335. J. *Trichomanes* Dicks. caule reptante, foliis ovatis obtusis pellucidis, amphigastriis orbicularibus emarginatis.
In udis silvaticis turfaceisque (Klöfvahall, Näs' mosse, Leingaröd.)

1236. J. *ciliaris* L. caule pinnato, foliis imbricatis cum amphigastriis ciliato-fimbriatis (luteofuscescentibus).

In saxis et lignis putridis silvarum, Skärali, Årup, etc.

1237. J. *complanata* L. caule pinnato, foliis imbricatis suborbiculatis, auriculis rhomboideis adpressis, perianthio compresso truncato.
Ad arborum truncos, lapides, terramque umbrosam frequens.

1238. J. *serpyllifolia* Dicks. foliis oblongis rotundatis sinu saccato auriculatis amphigastriisque (bifidis) convexiusculis laxe areolatis.
In rupibus umbrosis, Trolleball.

1238. b. J. *platyphylla* L. ramis complanatis, foliis opacis imbricatis ovatis obtusis auriculis et amphigastriis (margine reflexis) integerrimis.
In arboribus frequens. In auriculis interdum dens unus alterve invenitur.

1238. c. J. *laevigata* Schrad. ramis siccis semiteretibus julaceis, foliis nitidis arcte imbricatis auriculis amphigastriisque planiusculis sinuato-dentatis.
In rupibus (Skärali). Folia ovata, apiculata obtusaque, irregulariter serrulata et integerrima varia.

1239. J. *Tamarisci* L. complanata, foliis nitidis arcte imbricatis orbiculatis, auriculis clavatis, amphigastris emarginatis margine revolutis.
In arboribus saxisque frequens.

1239. b. J. *dilatata* L. tumidula, foliis opacis orbiculatis, ramorum depressorum remotiusculis, adscendentium imbricatis, auriculis galciformibus, amphigastriis convexiusculis bifidis.
In arboribus saxisque (Heckeberga, Reften, Lund, Skärali etc).

BLASIA. Prima species (1240) est Linnaeo generis typus; perianthio frondi immerso, reliquae absque perianthio Linnaeo Jungermanniae), nunc genera e calyptra 1) glabra, a) involucrata membranacea = *Pellia*, (1241) b nuda, carnosa, verrucosa = *Sarcomitrium* (1242), 2) echinata = *Metzgeria* (1243).

1240. BLASIA *pusilla* L. fronde procumbente superne dichotoma undulato-lobata, in nervum latum ramulorum fasciculos emittentem medio incrassata.
In humidis umbrosis (Fogelsång. *Åkerman!*)

1241. *B. epiphylla* (Jungerm. L.) fronde procumbente rotundato-lobata marg ines versus membranacea, medio incrassata.
In udis (Fogelsång etc.) Angustior ad Bösmöllan.

1242. *B. palmata* Hedw. (Jung) fronde adscendente carnosa subpalmata enervi, laciniis linearibus.
In turfaceis lignisque putrescentibus (Näs' mosse, Trollehall, Leingaröd).

1243. *B. furcata* L. fronde dichotoma lineari membranacea uninervi.
In rupibus (Klöfvahall, Skärali) truncisque passim.

1244. MARCHANTIA *polymorpha* L. receptac. 7-10-radiato.
In umbrosis humidis (Bösmöllan, Trollehall etc.)

1245. *M. quadrata* Scop. receptac. subquadrato costis loculisque interjacentibus quatuor.
In clivis udis argillaceis (Bösmöllan, Trolleholm, Stabbarp) et turfosis (Bosarp). Pedunculus longe laxeque pilosus.

1246. *M. barbata* Link, recept. 4-6-lobo ad insertionem pedunculi strigoso.
In clivo sabuloso udo prope Lackalänge.

1247. *M. conica* L. recept. conico plicato membranac.
Ad rivulos (Foglesång, Stabbarp, Belteberga).

1248. ANTHOCEROS *punctatus* L. fronde laciniata crispa.
In fossis agrisque udis juxta Höjeå.

1249. RICCIA *glauca* L. fronde radiante glaucovirente, lobis cuneiformibus dichotomis canaliculatis.
In terra subhumida (Knästorp, Ö. Torn, Remarlöf) Capsula frondis superficiei immersa.

1250. R. *fluitans* L. fronde dichotoma, laciniis linearibus furcatis. *Linn. Scan. p. 241.*
In stagnis Scaniae australis copiose. *Fries.*

HOMONEMEAE s. Haplogeneae.

Class. XIX. ALGAE.

CHAR. Plantae cellulares, epidermide perfecta stomatibusque destitutae, agamae. Systema vegetativum praecellens (*thallus*) sistit "radicem, folia e caulem in unum", gemmulis herbaceis. Fructificatio et thallo enata aut nulla praeter gemmulas. *Cryptogamae homonemeae, e medio cingente nutritionem absorbentes.*

Plenius variae hujus classis rationes et differentiae expositae in *Lichenogr. Europaea.* Familiae aliae 1) enituntur apothecia e thallo a) stratoso, gonidiis in strato proprio sub corticali collectis = LXXX LICHENES (stuppei aut leprosi, aërei) b) stratis confusis, gonidiis sparsis = LXXXI BYSSACEAE (gelatinosae l. floccosae, amphibiae) c) strato exteriori haud discreto, sed corticante, centro molliori gonidiifero = LXXXII FUCACEAE (salino-aquaticae]: aliae 2) apotheciis carent propaganturque a) gonidiis laete coloratis = LXXXIII ULVACEAE, b) frustulisve decoloribus e thalli divisione = LXXXIV. DIATOMACEAE. (Appendix).

Fam. LXXX. LICHENES.

CHAR. Thallus crustaceus effiguratusve, stuppeus leprosusve, strato gonidiorum infra corticale discreto. Sporidia ascis, thalamio immersis, recepta. *Algae aëreae, perennes, interrupte vigentes, exogeneae, sensim stratum leprosum deponentes, sporidiis gonidiisque multiplicatae.*

Clavis tribuum: Apothecia 1) discifera aperta, a) excipulo thallode marginata, *Parmeliaceae* (1251—1328); b) excipulo proprio, disco * orbiculari æquabili persistente: *Lecidinae* (1329—1391) ** gyroso canaliculatove elongato: *Graphideæ* (1392—1402). *** pulveraceo-collapso: *Calicieæ* (1403—1426). II) nucleifera, clausa; excipulo a) thallode * libero rimoso-dehiscente = *Sphærophoreæ* (1427) ** immerso, in collum attenuato et papilla *heterogenea* discreta terminato = *Endocarpeæ* (1428—1435); b) proprio carbonaceo * ostiolo homogeneo continuo papillato = *Verrucarieæ* (1436—1449) ** simplici poroso-aut rimoso-dehiscente: *Limborieæ* (1450—1455.)

I. PARMELIACEAE. Discus 1) tenuissimus, membranaceus, apertus, strato thallode impositus, ascis imperfectis = *Usneaceae*; 2) crassus (humectatus mollis tumens) e conniventiexplanatus, hypothecio impositus, ascis perfectis = *Parmelieae.*

a. *Usneaceae.* Thallus semper effiguratus, verticalis [aut decumbens imbricatus] in eadem et maxime affinibus forma maxime varius, ut pessime exinde sumantur sectiones, genera vulgo dictae. Contextus vero et consistentia constantes sunt, hinc e thalli structura generum (aut potius subgenerum) dianomen hoc loco trado, cum apothecia in omnibus valde serotina et raro obvia. Thallus a) *verticalis* aut pendulus, undique similaris, hypothallo o. — nunc *medullaris*, strato corticali floccoso a medullari solido filamentoso discreto et secedente = *Usnea* — nunc *stuppeus*, fistulosus aut medulla laxa floccosa contigua farctus = *Evernia* — nunc *gelatinoso-cartilagineus*, undique similaris et fertilis, apotheciis scutellaeformibus sparsis = *Ramalina* — nunc *cartilagineus*, apotheciis terminalibus, peltaeformibus obliquis = *Cetraria;* b.) decumbens l. adscendens, *membranaceus*, subtus hypothallo obscuriori saepius fibrillosus = *Imbricaria* vide sub Parmel.]

1251. USNEA *barbata;* apotheciis radiatis.
Ad truncos, ligna etc. communis. *Lich. floridus* L. erectus, apoth. maximis s. forma typica copiosa in fagetis; eadem minor, pulverulenta, saepe sterilis, (Lich. hirtus L.) in saepibus; pendula et saepe sterilis (L. plicatus, barbatus L.) in pinetis etc. Identitatem harum omnium a me primo junctarum formarum jam agnoscunt omnes, sed aliud nomen malunt. Rationes, quae ad receptum servandum cogunt, in Lich. Eur. indicavimus.

1252. EVERNIA *arenaria* Fr filaris, glauco-candicans.
In campis arenosis Scaniae orientalis ad Åhus etc. copiose. Discus pallidus luteolus.

1253. *E. jubata* L. filaris, nigrofusca canescensve.
In truncis Scaniae silvestris frequens; forma typica fruticulosa tantum ad Hallandsås ad saxa inter muscos. Discus nigrofuscus.

1254. *E. ochroleuca* c. Fr., filari-compressa, ochroleuca.
In pinetis passim, in fagetis raro. Forma fruticulosa, erecta, terrestris nobis deest. Discus lividofuscus

1255. *E. vulpina* L. fruticulosa, angulata, citrina.
In Gothungia ad Broby etc. in templorum tectis imbricatis et in saepibus raro. Manifeste jungit praecedentes cum sequente.

1256. *E. prunastri* L. subfoliacea, ochroleuca, subtus alba. Frequens ad truncos et frutices. [Proxima *E. divaricata*, quae demum articulata ut *Usnea barbata*, nobis deest; e descr. haec omnino sistit genus *Alectoriae* Link, at a *Lichene articulato* Linn. diversissima est planta.]

1257. *E. furfuracea* L. subfoliacea, glauca, subtus nigra.
Passim ad truncos, præcipue in pinetis. Transire videtur ad Imbricarias, sed hujus et prioris typicae formae nulla re praeter colorem differunt.

1258. RAMALINA *calycaris* L. ramoso-foliacea, rigens, lacunosa, apoth. margine erecto.
Ad truncos et ligna vulgatissima, valde protea; sterilis sorediifera = *Lich. farinaceus* L. Ramalinae nostrae omnes glaucae, disco concolori.

1259. *R. pollinaria* Ach. ramoso-foliacea, flaccida, corrugata, apoth. margine incurvo.
Ad rupes, raro ad truncos arborum. Etiam sicca flaccida est et vulgo maculis pulveraceis adspersa.

1260. *R. polymorpha* Ach. caespititia, rigida, costato-rugosa, apoth. disco concavo.
Ad saxa maris baltici.

1261. *R. Scopulorum* Retz. caespititia, rigida, polita, apoth. disco convexo.
Ad scopulos maris occidentalis, Kullaberg, Torekow etc. copiose.

Cel. Wallroth a Ramalinis deducit *Lich. jubatum, sarmentosum* etc.; eorum status typicos esse *Everniam bicolorem*, *ochroleucam* etc. manifeste vidi. *Everniae jubatae bicoloris* nexus cum Cetr. islandica nullus omnino est. Nullam utilitatem, magnum detrimentum capit scientia e theoreticis illis judiciis de speciebus non visis transit. — *Everniae* et *Ramalinae* sunt duae thallo et disco omnino diversae stirpes Lichenum, in exteris ditissimae, semper facile distinctae, quae, cum ut genera proposita sunt, ut subgenera omnino servari possunt. Verum quidem est me eadem haud separavisse,

nisi antea recepta fuissent, sed novimus plurimos continuis commentis defatigatos in stabilitis, idque bene, lubentius consistere.

CETRARIA. De generis limitatione cfr. Parmelias.

A. *Erectae, nunc tubulosae* (quales omnes habemus) saepius vero ad typum *Clad. furcatae racemosae* in folium canaliculatum dehiscunt.

1262. C. *aculeata* Ehrh. fruticuloso-ramosissima, spadicea, apotheciis terminalibus liberis.

In campis sterilibus, paludosis etc.; etiam regionis campestris, quo maxime jam a sequente differt. Utique *foliaceo-canaliculata* etiam occurrit, sed apoth. certissime a sequente distinguunt utramque formam.

1263. C. *Islandica* L. ciliata, canaliculata, olivaceo-castanea, apoth. lobis anticis adnatis.

In jugis montanis S. Åsen, Hallandsås etc. sed jam macra, sterilis.

1264. C. *cucullata* Bell. conniventi-canaliculata, laevis, ochroleuca, apoth. lobis posticis adnatis.

In campis sterilibus maritimis. Legi inter Lomma et Löddeköping macram, sterilem.

1365. C. *nivalis* L. patulo-canaliculata, lacunosa, ochroleuca, apoth. marginalibus.

In campis arenosis Scaniae orientalis, jam a Linnaeo indicata. Ad praecedentem accedit ut *Cetr. islandica* ad *C. aculeatam* canaliculatam.

1266. C. *juniperina* L. canaliculata, lacero-laciniata, citrina, apoth. lobis anticis adnatis.

Ad Karsholm, *Ljungstedt*, qui plurimos in Scania indagavit Lichenes rariores. A *C. pinastri* distinctissima planta! Specimina terrestria (*C. Tilesii* Ach.) colore unice a prioribus differunt; hunc locum indicant insuper margines nigro-denticulati; forma *tubulosa* in Ölandia vulgaris, cum similibus *C. nivalis, C. cucullatae* (quae *Dufourea muricata* Laurer) analoga. Sed *Duf. madreporaeformis*, huc a *Wallrothio* ducta, cum his aeque parum commune habet ac *D. ryssolea* cum C. sepincola. Utraque ad Everniarum stirpem pertinet. Cui bono illa de plantis non visis judicia? Ubi de his autoptas haud sequitur, licet fontes raro agnoscat, vulgo errat!

B. *Adscendentes, compaginatae, planae, inermes et subtus nudae.*

1267. *C. glauca* L. adscendens, latifolia, glauca, subtus nigricans.
Ad truncos et saxa in silvaticis.

1268. *C. sepincola* Ehrh. adscendens, foliaceo-laciniata, olivaceo-fusca, subtus pallida.
Ad truncos vetustos quercinos raro. [Immixta raro species similis *ochroleuca*, fertilis nondum visa.]

1269. *C. pinastri* Scop. subimbricata, rotundato-lobata, inermis, viridi-lutea.
Ad truncos Betulae in Gothungia raro.
Addi posset *tertia hujus generis sectio* decumbentium et subtus fibrillosarum; de quibus conferatur Parmeliae sectio *Imbricaria*.

b. *Parmelieae.* Thallus horizontalis, expansus, subtus hypothallo fibrillosus l. adnatus. Ceterum apotheciorum disco maxime ab Usneaceis differunt, nempe ut Lecidinae reliquæ a Cladoniis. Observandum tamen e disci indole *Parmelias Imbricarias* e maxima parte ad Usneas pertinere. — *Apothecia* a) *peltaeformia*, *innata* vel infera nuda = *Nephroma* (thallus cartilagineo-coriaceus subtus avenius) vel antica, velata = *Peltigera* [thallus frondosus, coriaceus, subtus villosus venosus]; b) *scutelliformia*, e thallo emergentia, excipulum decorticantia = *Sticta* (thallus amplus, frondosus, coriaceus, subtus villosus avenius maculis cyphellisve variegatus) thallove adnata immersave, exciptulo thallode l. in discolor mutato haud decorticante = *Parmelia* (thallus varius, absque cyphellis, venis et priorum notis).

1270. NEPHROMA *resupinatum* L. subspadiceum.
In silvaticis ad rupes truncosve.

1271. PELTIGERA *apthosa* L. coriacea, nigro-verrucosa, laete viridis, apoth. rotundis.
In campis sterilibus passim. Color omnium in statu vivo s. humido indicatur.

1272. *P. malacea* Ach. spongiosa, laevis, lividofusca, subtus avenia, apoth. (prioris) planis.
Locis similibus, at rarior. Venae non desunt, sed confluunt, inde avenia videtur.

1273. *P. rufescens* Hoffm. coriacea, laevis, subtomentosa, cinereo-virens, subtus venis nigrofuscis, apoth. oblongis revolutis.
In campis et saepibus vulgatissima.

1274. *P. canina* L. membranacea, scrobiculata, tomentosa, fuseo-virens, subtus venisque albis, apoth. prioris.
Ad terram silvarum frequens.

1275. *P. polydactyla* Hoffm., papyracea, supra laevis glaberrima nitida plumbeo-virens, apoth. demum revolutis.
Inter muscos locis praecipue irriguis.

1276. *P. horizontalis* L. coriacea, supra glabra lacunosa nigrovirens, apoth. transversim oblongis horizontalibus.
Ad rupes udas et in locis humidis silvarum.

1277. *P. venosa* L. coriacea, flabelliformis, viridis, apoth. rotundis in lobis anticis subliberis.
In terra humosa fagetorum e. c. ad Krageholm. Apothecia Stictae!

1278. *P. saccata β.* crustoso-membranacea, glauco-pruinosa, apoth. frondi applanatis mox saccato-depressis.
In terra montis Ifööklack. Est var. *β.* Lich. Eur. ab alpina forma non parum recedens.

1279. STICTA *silvatica* L. fusca, cyphellis albis.
In Scania superiori ad Karsholm etc. locis irriguis fagetorum. *Ljungstedt!* (Specimina vero fertilia, quae se legisse putabat, ad immixta luxuriantia individua *Nephr. resupinati,* disco integro! nec in peltam fisso, pertinebant.)

1280. *S. scrobiculata* Scop. plumbea, lobis rotundatis scrobiculatis, subtus albomaculatis.
Ad truncos et rupes passim; locis irriguis saepe fertilis.

1281. *S. pulmonacea* L. e viridi cervina, laciniis laxis elongatis lacunoso-reticulatis, subtus papulosis albo-maculatis.
Ad truncos praecipue Fagi copiose et ubique fertilis.

1282. *S. glomerulifera* Lightf. glaucescens, laciniis coriaceis adpressis laevibus sinuato-lobatis.
Ad caudices arborum, in Hallandsås etc. Amic. *Ljungstedt* dedit formam candicantem in superficie pruinosam. Cum *Peltigera* haec et sq. nil omnino habent commune.

1283. S. *herbacea* Huds. glauco-fusca, laciniis submembranaceis laevibus sinuato-lobatis.

In Kullaberg copiose; in dumetis ad litus orientale lacus Lefra-sjö alibique, at minus frequens.

Stictae genus, ut plurima Lichenum, maxime naturale, (et haec est caussa, cur verbis tam aegre definiantur, quod facillimum est in generibus artificialibus v. c. Muscorum) incipit a formis verticalibus v. c. *Sticta filicina* et per adscendentes serie contigua descendit ad horizontales imbricatas. Haec futuram Cetrariae limitationem illustrabunt.

PARMELIA. Hoc genus, quod de industria et exposita mea exceptione, in Lichenogr. Europaea servavi quale vulgo receptum, satis diversas complectitur formas. Idem vero ad thalli formam haud separandum, quidquid alii fingant, omnino certissimum est Neque majoris ponderis sunt, quae de structura floccosa narrant; haec neutiquam cum thalli forma convenit; quae, ut unicum citem exemplum, *Parm. haematomma* manifestius floccosa? In thalli vero historia duos diversos vidimus typos; alter eorum angustatus abit in formas filamentosas, Usneaceas [numquam vero in formas crustaceas], quales e serie glauca L. *intestiniformis*, e serie fusca L. *lanatus*, e citrina *Usnea capensis*; habemusque analogum *Parm. incurvae* e serie ochroleuca. In his numquam thallus desideratur, apothecia vero serotina frequenter. His igitur manifeste subest typus Usneaceus. Alter typus in stato mutilato semper abit in formas crustaceas (numquam in filamentosas), apothecia coaetanea l. praecocia, quare saepe absque thallo occurrant. In his, maximam partem complectentibus, typus Parmeliaceus evidens. At maxime singulare est illum typum simul habere apothecia prorsus *Usneacea*, nempe discum membranaceum, absque ascis perfectis, excipulum semper persistens thallodeum; hunc vero apothecia omnino *Parmelieae*, nempe discum crassum, ceraceum, tumentem, ascis perfectis, excipulum thallodes excludens l. in spurie proprium (discolor) mutans. Illas saepius subcartilagineas subtus atras glabras et filamentosas simul obvias ad Cetrarias s.

Usneaceas transferre omnino constans est, sed continua illa nominum Lichenum mutatio, ut quisque siglam suam apponat, tam taediosa, ut e thallina differentia hoc loco servamus. Quando hae rationes ab omnibus perspectae tum nomina sponte mutantur. *Cetrariae* genus, limitibus fluctuans, utique praemature est separatum, tamen fructus typo Usneaceo certe diversum et reformandum, non delendum. Cui hic locus minus aptus, sed haec indicasse forsan juvabit.

A.) *Imbricariae.* Thallus foliaceus, aut constrictus filiformis. Apothecia peltata, excipulo constanter thallode. Discus tenuis, membranaceus, immutabilis, nudus, strato gonimo impositus, absque ascis perfectis. *Cetrariae* Mscr.

* *Glaucae.* (Cetrar. glauca).

1283. P. *tiliacea* Ehrh. imbricata, glauca, laevis, subtus fusca atro-fibrillosa.
Ad Christinaehof prope Andrarum parcissime lecta. [Per P. *perforatam*, *perlatum* etc. seriem cum *Cetrar. glauca* contiguam sistit.]

1284. P. *saxatilis* L. imbricata, glauca, reticulato-lacunosa, subtus nigra atrofibrillosa.
Copiosa ad saxa et truncos.

1285. P. *aleurites* Ach. imbricata, glauca rugosoplicata, subtus pallida fusco-fibrillosa.
Ad ligna vetusta quercina.

1286. P. *physodes* L. stellata, inflata, glauca, laevis subtus atra glabra. *Cetr. physodes.*
Ad truncos et saxa passim.

** *olivaceo-fuscae.* (Cetr. sepincola).

1287. P. *Acetabulum* Neck. imbricata, membranacea, viridi-olivacea, subtus pallidior nigrofibrillosa, disco concavo. Formae imperfectae, steriles apud nos in Quercubus vetustis hactenus tantum rarissime lectae.

1288. P. *olivacea* L. imbricata, membranacea, umbrino-olivacea, subtus pallidior obsolete fibrillosa, disco plano.
Ad cortices et ligna frequens. Huc etiam falsa P. *stygia* aliorum.

*** *ochroleucae.* (Cetr. complic. Laurer.)

1289. P. *conspersa* Ehrh. imbricata polita, stramineo-virescens

subtus fusca nigro-fibrillosa, laciniis planis.

Ad saxa, immo ad ligna indurata obvia. [P. *caperata* ad hanc exacte se habet ut P. *tiliacea* a P. saxatilem, ut P. *Acetabulum* ad P. olivaceam — nobis ut vera, maxime diversa, P. *centrifuga* deest.]

1290. P. *incurva* Pers. substellata, globulifera, stramineo-virens, subtus nigra fibrillosa, laciniis teretibus incurvis.

Ad saxa in silvaticis passim. Nil cum P. *aquila*, ut fingit Wallroth, habet commune.

**** *Citrinae.* (Cetr. pinastri, chrysophtalma etc.)

1291. P. *Hypnorum* Oed. squamuloso-imbricata, e luteolo fuscescens, subtus pallida.

In ericetis montanis maritimis prope Houf in promontorio Hallandsås. Ad *Cetrarias* accedit ut *Peltig. limbata* ad Peltigeras. Nil haec planta cum P. *brunnea*, nisi manitudinem, habet commune. Omnino confusae apud *Wallroth. Crypt. p. 475.*

B. *Parmeliae verae.* Thallus crustaceus aut effigurato-foliaceus, qui tamen omnium facile constrictus crustaceus variat. Apothecia scutelliformia, excipulo thallode saepe excluso aut in discolor mutato. Discus crassus, lentiformis, *immarginatus*, nudus, ceraceus, humectatus subtumens, hypothecio impositus, ascis perfectis. Ob species paucas varias negligimus sectiones, in Syst. universali servandas. A praecedentibus et Usneaceis in genere diversissimae, at *Stictis* et *Biatoris* propinquae. Qui differentiam Lecidinearum in marginis tantum colore ponunt, in perenni confusione versabuntur. Vix ulla exstat hujus sectiones species, quam excipulo colorato aut evanido (h. e. *Patellariae* specc. sensu Wallrothii) non habeo.

†. *Thallo* (in statu typico) *foliaceo a matrice libero;* occurrunt tamen lusus thallo tam subcrustaceo, quam nullo. **Lividae l. glaucea.*

1292. P. *plumbea* Lightf. coriaceo-membranacea, submonophylla livido-plumbea, excipulo decolore integro.

Ad truncos Fraxini etc. passim. Apothecia fere *Stictae*, sed occurrunt etiam granuloso-marginata Parmeliae.

1293. P. *rubiginosa* Thunb. membranacea, laciniato-multifida, livido-glauca, excipulo thallode crenato.

In truncis Sorbi Populi, Kullaberg etc. Ad Fagos lecta P. *conoplea* Ach. h. e. praesens granulosa.

1294. P. *pulverulenta* Schreb. cartilaginea, stellata, e viridi-fusco glauco-pruinosa, excipulo demum foliaceo-crenato. Vulgatissima ad truncos, mire varia, ut aliis locis plenius exposuimus. Saepe squamulosa et crustacea.

1295. P. *stellaris* L. cartilaginea, stellata, viridi-glauca epruinosa, excipulo tumido integro.
Frequens ad truncos; b.) *hispida*, adscendens longe fibrillosa ad Populos rarior; c) *squamulosa* l. *crustacea*, subtus vix fibrillosa, passim ad Lund etc.

1296. P. *caesia* L. substuppea, stellata, e caesio glauca sorediis caesiis pruinosa, excipulo tenui inflexo.
Ad ligna, saxa etc. A priori omnino differt, sed variationis series eadem; forma adscendens s. *Lichen tenellus* in saxis ad Lund vulgatissima.

** *Fuscescentes.*

P297. P. *ciliaris* L. e viridi-cervina, laciniis laxis ciliato-fibrillosis, excipulo podicellato dentato-lacero.
Ad truncos frequens.

1298. P. *aquila* Ach. castaneo-fusca, laciniis linearibus adpressis subtus undique fibrillosis, excipulo sessili subcrenato.
Ad saxa litoralia Scaniae borealis, tam occidentalis, quam orientalis v. c. ad Årup. P. *aquila* W. hujus loci esse nequit.

1299. P. *obscura* Ehrh. e viridi livido-fusca, epruinosa, subtus nigro-fibrillosa, excipulo integerrimo.
Perfectissima ad *Populum tremulam*, vulgo laciniis parum dilatatis ad *Salices*, *Juglandes*, crustacea ad ligna vetusta.

*** *Ochroleucae*

1300. P. *lanuginosa* Ach. ochroleuca, laciniis latis lobatis excipuloque pulverulentis.
Ad rupes passim (etiam circa Upsaliam). Apothecia mollia, ceracea.

1301. P. *ambigua* Wulf., ochroleuca, laciniis linearibus, excipulo integerrimo.
Ad ligna putrida, etiam fabrefacta.

**** *Citrina.*

1302. P. *parietina* L. citrina, membranacea, excipulo integerrimo.

Ubique vulgatissima, saepe squamulosa et crustacea. Admiratum illum in *P. cerinam*, *vitellinam*, *Biatoram aurantiacam* etc. transitum falsum et illusorium tantum esse in Lich. Eur. demonstravimus.

†† Thallo crustaceo nunc effigurato, nunc uniformi.

* *lividae l. glaucae.*

1303. P. *lentigera*, crustaceo-foliacea, ambitu lobato sinuato laciniata, apoth. testaceis, margine thallode tenui persistente.

Rarissima solo calcareo ad Ignaberga alibique Scaniae orientalis, sed vix bene evoluta,

1304. P. *microphylla* Sw. squamulis cartilagineis crenatis livido-cinereis demum in crustam contiguam compactis, disco excipulum thallodes obtegente.

Ad latera rupium irrigua in Hallandsås, S. Åsen etc. — Mire omnino a Wallroth cum his confusa distinctissima *B. muscorum*, etiam in Scania lecta.

1305. P. *brunnea* Sw. squamulis livido-cinereis mox granuloso-conglobatis, excipulo incurvo persistente.

Ad terram humosam, copiose in fagetis. Cum P. *Hypnorum* haud comparanda.

1306. P. *ostreata* Hoffm. squamulis membranaceis crenatis glaucis subtus pulverulentis, excipulo thallode! demum nigricante.

Ad Quercus vetustas passim. *Lecid. scalaris* Ach. Marginem thallodem esse jam ex optima cel. *Laureri* icone apud Sturm, patet.

1307. P. *coarctata* Sm. squamulis cartilagineis crenatis glaucis subtus nudis, excipulo thallode primo urceolato, dein disparente.

In pineto-montanis ad saxa forsan primaria thallo prioris obvia, sed nondum lecta — sed vulgaris ad muros et terram argillaceam crusta subleprosa. Varietas *macrocarpa*, habitu Biat. icmadophilae, in Lich. Europ. memorata est *Patellar. Wallrothii* Wallr. Crypt Germ. 1. p. 374.

1308. P. *rubra* Huds. cartilagineo-granulosa, glauca, apoth. adnatis crenato-marginatis, disco concavo polito rubro.

Ad Quercus vetustas frequens.

1309. P. *tartarea* L. granuloso-conglomerata, glauca, apothe-

ciis adnatis incurvo-marginatis, disco testaceo ruguloso.

Ad truncos, rupes, muscos in montosis.

1310. P. *pallescens* L. rugoso-granulata, glauca, apoth. tumidis erecto-maginatis, disco scabrido.

Ad cortices arborum. Var. *parella*, crusta subamylacea, apotheciis deformatis ad saxa litoralia.

1311. P. *subfusca* L. e laevigato granulosa, glauca, apoth. adnatis erecto-marginatis, disco plano laevi subfusco intus albido.

Ad saxa, cortices et ligna, vulgatissima. Formae tenuiores marginem thallodem omnino excludunt, quales *Parmelia argena*, *intumescens*, *Patell. cyrtella* Wallr. etc. — Inter plures hujus varietates notanda var. *angulosa* (P. pallida Wallr.) apoth. difformibus pallidis pruinosis — ad Salices campestres copiosa, minor ad ligna.

1312. P. *atra* Huds. e laevigato granulosa, glauca, apoth. adnatis, disco polito nitido extus intusque atris.

Ad saxa et Fagi cortices.

1313. P. *cinerea* L. areolata-rimosa, tartarea, glauco cinerea, apothec. innatis nigricanti-marginatis, disco nudo nigricante, intus pallido.

Ad saxa tantum granitica s. micacea. Apoth. emersa demum prioris. — *Wallroth* e meis schedul. Crit. omnia hujus synonyma transscripsit, aliam stirpem (P. calcaream) se habere stirpem non observans.

** *fuscescentes.* (Series magis montana, hinc apud nos in plerisque generibus paupera).

1314. P. *cervina* Pers. squamulis cartilagineis subpeltatis repando-lobatis livido-castaneis.

Ad muros hujus initia tantum visa. Mirus apud nos defectus Lichenum calcareorum. Apoth. vulgo pseudo-Biatorina.

1315. P. *badia* Ehrh. cartilaginea, areolato-adnata, olivaceo-badia, disco polito fusco-atro.

Ad saxa silvatica ericetorum.

1316. P. *sophodes* Ach. tartareo-granulosa, e saturate viridi-fusca, disco scabrido opaco nigricante.

Ad ramos Betulae, Alni, Tiliae etc. Marginem thallodem in ramulis saepe excludit, cui saltim convenit *Patell. umbrina* Wallr.

*** *ochroleucae.*

1317. P. *haematomma* Ehrh. granuloso-leprosa, ochroleuca subtus et ambitu (perfecto) radiante floccosa, disco coccineo.
Ad cortices Quercus, Fagi etc. ubique fructifera, raro sterilis ad rupes [qualem fertilem vidi Upsaliae.]

1318. P. *saxicola* Poll. areolata, cartilaginea, virescenti-ochroleuca, ambitu radiosa, disco subfulvo.
Ad saxa, muros, sed in campestribus ut ad Lund etiam ad ligna frequens. In saxis crusta haud semper effigurata; in muris insuper v. c. templi Lundensis cum apotheciis albo-pruinosa [P. galactina *Wallr*]; etiam occurrit prorsus acrustacea [Lich. Suec. ex. 392—395] *Parm. straminea Wallr.* nil cum vera habet commune.

1319. P. *varia* Ehrh. tartareo-verrucosa, flavovirens (deliquescens leprosa ochroleuca], apoth. disco lutescente carneo lividoque.
Ad ligna, cortices et saxa, raro vero crusta perfecta. Analoga, sed distinctissima est P. *subfusca*, a qua deducit Wallroth; saepe marginem thallodem excludit, quales *Patellaria ochrostoma* Wallr. Crypt. p. 370, *polytropa* l. c. p. 377, P. *intricata* l. c. p. 452 (haec tamen etiam prioris formas complecti videtur); acrustacea saepe in *Clistomo corrugato* = Lecid. Ehrhartiana. Ach.

**** *Citrinae.*

1320. P. *murorum* Hoffm. crustacea, vitellina, ambitu lobato apotheciis adnatis disco saturatiori (haud fuscescente).
Ad saxa et muros regionis campestris frequens; in horti Botanici muro occidentali umbroso occurrit var. *chlorina*, flavoviridis, ex omni parte similis P. *chlorophanae*, sed Patria differt; in rupibus marinis saxisque insolatis var. *miniata*, intensius colorata; haec absque omni thallo est verus *Lich. obliterat.* In Kullaberg copiosus. Frequentes hujus formae totae leprosae aureae, quas cum sequ. sub *Parm. aurella* mire commiscet Wallroth; hujus formae acrustaceae cum aliis diversae originis redeunt sub *Patell. holocarpa* et *obliterata* Wallr.

1321. P. *vitellina* Ehrh. granuloso-tartarea, flavo-vitellina, apotheciis superficialibus, disco luteo-fuscescente.
Ad saxa et parietes ligneos, maxime ab omnibus prioris formis diversa. Intercurrit similibus locis var. *holocarpa* Lich. Eur., ab hac manifeste orta, male vulgo cum similibus specierum analogarum confusa. Bene novi sub L. *holocarpo* alienae originis simul venditari, sed exinde meum synonymon non cavillent Lichenum hypercritici.

1322. P. *cerina* Ehrh. Hedw. cartilagineo-granulosa, cinerea, hypothallo nigro, disco cerino. *Lecid. aurantiaca* Schaer. excl. prorsus syn. Wahlenb.! Fries.! plurimisque aliis.
Ad cortices frequens, saxa rarior. In statu perfecto, qui primo ubique attendendus, manifesta est *Parmelia*, sed athallinārum formarum margo saepe nigricat l. prorsus excluditur, ut in reliquis omnibus Parmeliis genuinis vidimus. Ob defectum excipuli proprii hae formae cum Lecidinis confundi non possunt. — Ex his formis atypicis P. *cerinae*, quod nomen antiquissimum, orti sunt infausti tituli *Lich. luteoalbus* et L. *aurantiacus*, varia complectentes; valde minor acutiss. Schaererum illud vagum nomen praetulisse. Exstat vero autonomus Lichen (*B. aurantiaca*) sub isto nomine notissimus, cui id nomen absque dubio servandum est. Speciminum fide quoque novimus ad B. *aurantiacam* pertinere primarium Lichenem aurantiacum tam Wulfenii, quam Lightfothii; ceterum majorem ubique tribuimus vim Auctoribus, genuinas species, quam quisquilias, describentibus.

C. URCEOLARIA. Thallus crustaceus. Apothecia thallo immersa, nunc convexo-protuberantia, nunc urceolata. *Discus pruinato-velatus*, laminae margine intra thallodes cinctus.

1323. P. *orosthea* Ach. rimoso-areolata, lutescens (deliquescens ochroleuca), disco innato luteolo-pallido, dein protuberante livido-fusco immarginato.
Ad latera rupium; in statu perfecto manifeste hujus generis nec in ullo statu vere *Lecidina* bene observante Stenhammar Lich. Suec. p. 165, sub Lecanora! (Corrige apud alios; inutilia synonyma non fictis multiplicanda quorum nostro aevo revera luxus.

1324. P. *sordida* Pers. rimoso-areolata, glauca, disco innato carneo-pallido, dein protuberante nigro.
Ad saxa granitica copiosa; saepe sterilis in Isidium mutata = *Lich. corallinus.* L.

1325. P. *impolita* Fr. tartarea, leproso-deliquescens, glauca, disco hyalino-fusco margine utroque evanido.
Ad quercus vetustas etc. copiose, mire mutabilis. Normalis est *Lecan. glaucoma* arborea Ach.; absque margine = Lecid. biformis. Cfr. ceterum *Stenh. Sched. Crit.* 273. Wallrothio nunc *Peltigera agelaea*, *biformis* etc. excluss. excludendis v. c. *Lecidea turgidula* et sub hac et sub B. *mixta* citata. — In formas *Arthoniae* (Arth. pruinata Ach.) et *Spilomatis*, crusta trita *aurea* (Spil. decolorans) insuper abit Lichen proteus.

1326. P. *Lundensis* Fr. rimoso-areolata, tartarea, glauca, disco immerso plano (humido) coeruleo, margine laminae nudo thallodeque demisso persistentibus.
Ad ligna putrida, etiam saxa et terram ad Lund. Est in vivo e pulcherrimis.

1327. P. *calcarea* L. cartilaginea, areolato-verrucosa, glauca, disco areolis urceolato-immerso nigricante, margine laminae a thallode mox soluto.
Ad saxa formationis recentioris in regione campestri. (P. *cinerea* et P. *calcarea* Wallr.) Nobis desunt formae deliquescentes amylaceae. — Cum hac facile commutantur infimi status P. *circinnatae*, thallo in ambitu vulgo effigurato, sed bona saltim haec in Scania non lecta. [Ab utraque eximie differt *Parm. variabilis* Stenh. Sched. Crit. n. 395, P. *cinereae* potius affinis.] Pro more P. *circinnata* et ut *Patellaria circinnata* et ut *Parmelia*, P. *versicolor*, a Wallr. describitur.

1328. P. *scruposa* L. tartarea, rugoso-granulata, disco immerso urceolato nigro, margine laminae cinerascente a thallode primitus obtecto.
Ad saxa in cryptis parcior, frequentior var. *bryophila* in aggeribus campestribus.

Obs. I. Omnes Parmeliae absque crusta perfecta, aliarum degenerationes [non tantum crustacearum sed reliquarum etiam] ex usu tantum addisci possunt. Multae exinde fictae species collectivae sunt, prorsus delendae,

v. c. *Lecan. scrupulosa* Ach., P. *crenulata* Wallr. Crypt. Germ. P. *caesiella* Wallr. l. c., P. *albescens* Wallr. l. c., P. *Hageni* W. e. s. p. etiam apud nos obviae. De formis Patellariis (Biatoris ex parte) falso adscriptis videas sub Biatora.

Obs. 2. Proximum GYALECTAE genus, Lecidinis simillimum, sed excipulo limbato primo *clauso* et disci indole admodum distinctum, apud nos desideratur. Cum his confundi posse *Biatoras* v. c. B. *pineti* disco elapso vix fingerem. Hinc haud ducam ad G. *cupularem* γ. Lecid. Pineti a. Schaer., cum spernam morem probos cavillandi Auctores, ceterumque, ut disertis verbis in Lich. Eur. notavimus, recentiora etiam nos videmus spuria *Lich. lutei* Diks. specc. jam pridem a me ad B. vernalem relata.

II. LECIDINAE. Apothecia a) cephaloidea in podetiis thallinis vel solida, ascis perfectis = *Stereocaulon*, (podetia solida, intus fibrosa) vel inflata, ascis imperfectis = *Cladonia* (podetia inania, fistulosa); b) *capitata*, inflata, stipitata proprium basi arcte amplectentia = *Baeomyces;* c) *disciformia*, solida marginata excipulo ceraceo disco dilutiori = *Biatora* l. carbonaceo atro = *Lecidea.*

1329. STEREOCAULON *corallinum* Er. glabrum, ramosissimum, digitatofibrillosum, apotheciis sphaericis sparsis.
In pineto-montanis, saxis semper basi caespitosa testacea innata. St. *ramuloso* proximum, a nostris distinctissimum.

1330. S. *tomentosum* F. tomentosum, recurvato-ramosum, crenato-squamulosum, apoth. lateralibus sphaericis.
In terra ericetorum l. supra saxa, quibus semper laxe adhaeret.

1331. S. *paschale* L. glabriusculum, ramosissimum, granulosum, apoth. terminalibus planis.
Ad saxa montium vulgare.

1332. S. *pileatum* Ach. crustosum, podetiis simplicibus granulosis, apothecio terminali peltato.
Ad terram glareosam et in saxa ad Hallandsås var. granulis deliquescentibus [St. *cereolinum* Ach.]

1333. S. *nanum* A. gracillimum, fastigiato-ramosum, granulosum [pulverulentum] virescenti-ochroleucum, apoth. lateralibus.

In fissuris Kullaberg, Hallandsås etc. Nobis minime rara species; mire a variis torta, v. c. ad *Clad. squamomosam* delicatam, ad *St. tomentosum* e. s. p. Pauca modo Stereocaula, genus enim alpinum, *Wallrothio* obviam venisse palam est.

CLADONIA. Quoad discum *Cladoniae* a reliquis Lecidinis ut Usneaceae a Parmeliaceis differunt. Genus proteum at facile discernuntur species, si ad formas typicas attendas.

* *Glaucae*, apoth. rufis.

1334. Cl. *alcicornis* Lightf. scyphifera, thallo foliaceo subtus nigrofibrilloso.
Copiose in Scaniae orientalis arenosis.

1335. C. *turgida* Ehrh. scyphifero-fruticulosa, thallo foliaceo efibrilloso.
In Hallandsås in ericetis udis.

1336. C. *Papillaria* Ehrh. crustacea, scyphis nullis.
Cum pracedente.

** *Fuscae*. apoth. fuscis.

1337. C. *pyxidata* L. turbinato-scyphifera, verrucosa aut furfuracea.
Frequentissima; hujus exstat forma *cariosa* in regione campestri.

1338. C. *gracilis* L. polita, laevigata, cylindrica, scypho planiusculo.
In silvis et forma *verticillata* in campis. [Alia exstat forma *verticillata* in *Cl. degenerans* transiens; *Cl degerantem*, basi alboguttata, bonam in Scania haud vidimus.]

1339. C. *cornuta* L. inferne polita, sursum pulverulenta, scypho incurvo angustato.
E Gothungia Ljungstedt reportavit.

1340. C. *fimbriata* L. undique pulverulenta, scypho cupulari l. abortivo.
Copiose in silvaticis.

1341. C. *brachiata* Fr. pulverulenta, axillis apicibusque fertilibus perviis.
Ad truncos putridos, raro ad terram.

1342. C. *squamosa* Hoffm. squamoso-decorticata, axillis perviis.
Ad saxa et truncos muscosos.

1343. C. *furcata* Schreb. polita, axillis apicibusque fertilibus perviis.
Ubique in campis. Hujus et Cl. *gracilis* specimina sterilia simplicia subulata vix discerni possunt; nisi squamulis thalli Cl. *furcatae*, ut in duabus praecedentibus, dissectis; *sequens* squamulis semper caret.

1344. C. *rhangiferina* L. trichotoma, subvelutina, apicibus sterilibus nutantibus.
In campis et silvis frequens.

*** *Ochroleucae*, apoth. carneolis.

1345. C. *carneola* Fr. turbinato-scyphifera cornutave ochroleuco-pulverulenta.
In pineto-montanis, passim.

1346. C. *Botrytis* Hagen, fastigiato-ramosa, verrucosa, flavovirescens.
In truncis putridis Quercus haud rara.

1347. C. *uncialis* L. dichotoma, laevigata, straminea, axillis subperviis.
Copiose in silvis et ericetis. Crustacea primo est, mox vero thallus evanescit. [Accepi ab eximio Sommerfelt Cl. *amaurocreae* perfecta et genuina specimina, thallo crustaceo: hanc pro vera specie agnosco; alpes inhabitat.]

**** *Coccineae*, apothecis coccineis.

1348. C. *Cornucopioides* L. turbinato-scyphifera, verrucosa.
In campis sterilibus.

1349. C. *Flörkeana* Fr. cylindrica, polita, fastigiato-ramosa.
In silvis ad terram raro. Podetiis cinereis, basi nigricantibus, demum squamoso-decorticatis insignis.

1350. G. *deformis* L. sulphureo-pulverulenta, scyphis cupularibus, margine erecto crenato.
In silvaticis et montanis ad terram.

1351. C. *digitata* L. ochroleuco-pulverulenta, scyphis angustatis incurvis palmatisve.
Ad ligna cariosa passim.

1352. C. *macilenta* Ehrh. incano-pulverulenta, cylindrica, scypho obliterato.
Ad terram et ligna putrida.

1353. BAEOMYCES *roseus* Pers. glaucus, apoth. carneis. Ad terram sterilem ericetorum.

BIATORA. De unione hujus generis cum naturalissimo *Lecideae* vix ulla quaestio oriri potest, si rite perspiciatur, quanti ponderis excipulum carbonaceum, quo tantum Endocarpon a Verrucaria e. s. p. differunt. Qui *Discomycetes* norunt, inter quos omnium harum fructus evidentius explicati, de summa ejus vi dubitare nequeunt. Merito igitur illustr. *Wahlenberg* Lichenes excipulo carbonaceo ut peculiarem sectionem a ceteris distinguebat, nam inter Verrucarias, Pyrenotheas, Opegraphas, Lecideas etc. multi directi transitus, ut etiam inter Pertusarias, Endocarpa, Parmelias; *nullus vero directus* inter genera excipulo carbonaceo destituta l. instructa. Qui igitur *Biatoras* cum Lecideis confundunt me semper dissentientem habebunt. — Alia ratio affinitatis *Parmeliae*; cum his aeque ac Lecideae saepe confluere videntur, quando nempe e crusta erumpunt ejus aggerculo cinguntur; hoc modo etiam *Biatorae byssoidis*, *icmadophilae* etc. stipites usque ad discum e crusta vestitos vidimus. Est itaque marginis color e charactere *Parmeliarum* et *Lecidinarum* prorsus excludendus; in *Parmeliis*, *Peltigeris* etc. saepissime desideratur omnis margo, saltim thallo discolor in plurimis *Stictis*, *Parmeliis*, *Gyalectis*. Ex ejusmodo Parmeliis mutilis compositum est *Patellaria* Rec.. ad quam ducere voluerunt Biatoras. Quam inepte et injuste primi hujus generis determinatoris nomen rejiciunt, in *Lichenol. Eur. p.* 250. exposuimus, nec apud melius sapientes ejusmodi commenta, unice ut suam siglam nominibus adscribant excogitata, justum devincunt. Biatorae et Lecideae a Parmeliis differunt *excipulo vere proprio*, nec tantum thallode decolore, *semper aperto*, *disco in ejus apice primitus nudo punctiformi.* — Illo excipulo margine thallode spurio coronato v. c. in B. *ferruginea*, *aurantiaca* etc. variisque Lecideis proprium admodum manifestum est. In Parmeliis autem discus e sola lamina constat, apothecia primo clausa. Tenuissimae earum formae disco turgescente mox convexae marginem thallodem excludunt, sed excipulo proprio carent, quo certissime a rite evolutis Biatoris differunt. [*Biatoras* personatas esse *P. rubiginosam*, cujus misit Dufour specimen 10 apotheciis perfecte Biatorae discretis intra mar-

ginem lacero-ruptum thalli, P. *microphyllam*, etc. in sched. Crit. et Lich. europ. jam observatum est.]

* *Glaucae*, hypothallo albo.

1354. B. *Cladonia* Fr., foliaceo-squamosa, apothec. stipitalis pileatis incarnatis.
In ericetis udis Scaniae borealis, rarissima.

1355. B. *Byssoides* L. tartareo-leprosa, ambitu subsquamuloso, apoth. stipitatis pileatis nudis carneofuscis.
Ubique ad terram sterilem, etiam ad saxa et in schisto ad Foglesång.

1356. B. *icmadophila* L. tartareo-leprosa, apoth. subsessilibus cupularibus incarnatis nudis tenue marginatis.
Ad ligna putrida et terram sphagnosam in montanis. Vidi apoth. eximie stipitatis.

1357. B. *campestris* Fr. membranacea leproso-pulverulenta, apotheciis stipitatis cupulatis testaceis margine pruinato.
In campis hinc inde, sed pusilla.

1358. B. *rosella* Pers. membranaceo-granulosa, apoth. cupularibus incarnatis pruinatis planis obtuse marginatis.
Ad fagi truncos abunde.

1359. B. *vernalis* L. disco turgido nudo versicolori, rel. prioris.
Copiose in truncis, lignis, muscis. *Gyalect. cupularem* γ. hujus loci non esse vix est quod moneam — et quo modo exhiberi potuit me hujus formas farinosas aeruginoso-leprosas a subsequentis, quae hybridam *Lecid. virescentem* sistunt, haud nosse perlectis Lich. Eur. p. 262 non intelligo.
β. sanguineo-atra, apoth. primitus sanguineo-atris, mox atris.
Copiose in aggeribus argillaceis ad Lund, rarior ad cortices in silvis, ubi in Lich. Suec. 217 ita evidenter abit, ut nil manifestius. Quam varia et perversa judicia de isto Lichene edita!! Me vero autonomiam ejus primum denegasse et ut synonymon elucesceret tantum distribuisse, sedulo reticent.

1360. B. *carneola* Arb. e cartilagineo granulosa, apoth. liberis cupularibus excavatis elevato-marginatis nudis e carneo fuscis.

Rarissimam speciem prope Krageholm ad cortices legit *Ljungstedt.* [Var. *minor* Lich. Suec. n. 99 e Smol. parum evidens, indeque in Lich. Eur., ut omnia haud rata et clara, omissa.]

1361. B. *decolorans* Hoffm. areolato-granulosa, tartarea, apoth. adpressis nudis margine tenui dilutiori evanido convexo-difformibus.

Copiose ad terram turfosam in silvis, etiam ad ligna, Daed. quercinam! etc. Apoth. valde decolorant. Ad hanc, nec aliam, pertinet *Lecid. fungicola* Ach.; crusta in pulverem aeruginosum ad ligna praecipue deliquescit. Videntur quidam hanc cum B. *vernalis* analogo statu confundere; certe non nos.

β. B. *flexuosa* Fr. apoth. semper planis atris, margine tenui livido persistente.

Hanc, ut subspeciem prioris a me semper propositam Cfr. Sched. Crit., legimus ad ligna indurata Quercus, Pini. *Lecid. viridula* Borrer ex Schaerero.

1362. B. *mixta* Fr. e cartilagineo rugoso-verrucosa, apoth. adnatis corneis, excipulo annulari, disco pruinoso versicolori.

Ad cortices Tiliae, Quercus, Betulae; in Pinubus exoticis ad Lund. Species clara et evidens, cum heterogeneis maxime apud Auctores confusa. Cum *Lec. enteroleuca* Ach.! L. *carneola* Ach.! L. *dolosa* Ach.! cum *Patellaria glomerulosa* Dec.! [evidentissimam *L. sabuletorum* sub hoc nomine habeo a Dufoureo, ita etiam Cel. Meyer], cum *Coniangio*, cum *Lecid. turgidula*, cum *Parmel. subfusca* d. etc. etc. nil commune habet. Acharius *Lec. anomalae* nomen, utpote prorsus vagum et ad formas P. *variae* primitus spectans, rejiciendum jure monuit, alii praeferunt tale certo et definito. Ceterum quanta copia inutilium synonymorum!

1363. B. *anomala* Fr. leproso-tartarea, apoth. subliberis cupularibus ceraceis epruinosis e hyalino fuscoatris, margine tenuissimo evanido.

Ad cortices. Vagum Acharii nomen hoc loco cum Lecan. commutatae syn. fixi ad ipsius monitum. — Varietatis loco addenda L. *dryina* Ach. optima ex interpretatione amicis. *Stenhammar Lich. Suec. e s. n.* 273.

— Facile etiam h. l. crederem *Lecid. globulosam* Flörk. licet cum omnibus melius sapientibus optime videam, quam temeraria sint judicia de ejusmodi diminutis formis in loco haud observatis. Sed cum vero *Lichene pyrino* Ach. (verissima *Parm. sophode*!!) et quae inde pendent synonyma nil commune habet.

** *Fuscescentes, hypothallo nigro.*
(Parm. plumbea, rubigin.)

1364. B. *triptophylla* Ach. squamulosa, livido-fuscescens, dein granulato-corallina, apoth. sub disco brunneo plano albis.
Ad truncos, saxa, et terram.

1365. B. *muscorum* Osb.! squamulosa, fusco-castanea, apoth. sub disco carneo plano fuscis.
Supra muscos in rupibus irriguis.

1366. B. *atrorufa* Dicks. contigue crustacea dein areolata cinereo-fusca, ambitu foliaceo-lobato, apoth. applanatis rufofuscis.
In declivibus udis in Hallandsås. Bene monent *apparentes* in squ. exsistere transitus.

1367. B. *uliginosa* Schrad. granulata, e saturate viridi fusca, excipul. cupulari discoque turgido extus intusque e rufo fusco-nigricantibus.

1368. B. *panoela* Ach. areolato-verrucosa, apoth. ex hypothallo nigro e livido rufove fusco-nigris, excipulo annulari.
Ad saxa in pineto-montanis.

1369. B. *rivulosa* Ach. tartarea, umbrino-limitata, apoth. e crusta carneo fuscove nigris, excipulo annulari.
Copiose ad saxa montana et truncos Fagi, quae *Lecid. Lightfothii* Ach. syn.! ad mea specimina definita et e vicinia *Lec. parasemae* remota. Typica Anglica Acharii convenientissima esse plurimos cito testes. Aut speciem male novit aut falsum specimen accepit ingen. *Schaerer*, qui in perenni errore de hoc syn. versatur.

1370. B. *erysibe* Fr. tartareo-spongiosa virescenti-olivacea, apoth. e crusta luteofuscis, excipulo annulari.
Ad muros vetustos ad Helsingborg lecta.

*** *Ochroleucae.*

1371. B. *quernea* Dicks. granulato-farinosa, ex hypothallo nigro fuscescenti-ochroleuca, apoth. brunneis.
Copiose ad truncos vetustos Quercus.

1372. B. *lucida* Ach. granulata, virescenti-flava (deliquescens leprosa ochroleuca), apoth. convexis luteolis.
Tam ad ligna (v. c. ad Lund, V. vallen) quam ad saxa (v. c. ad Herrevads Kloster) frequens, utroque loco crusta integra et deliquescente, e quibus male finguntur varietates.

**** *Citrinae* l. *ferrugineae.*

1373. B. *aurantiaca* Lightf. [teste *Hook. Brit.* V. p. 185.] crusta lutea in hypothallo nigro, apoth. aurantiacis.

Copiose ad cortices Fraxini, Populi etc. Hic est unicus autonomus *Lichen aurantiacus* inter tot spurios, nec alius umquam ab ullo in Suecia *aurantiacus* dictus fuit. [Swartzius hanc pro *Lich. aurantiaco* Lightf. et L. *aurantiacum* Schaerer. = *Parm. cerinae* statum imperfectum, pro Lich. luteo-albo ex Anglia reportavit.] Variet. *saxatilis* s. *erythrella* apud nos deest, in aliis vero provinciis Patriae copiosa v. c. in Omberg, ubi optime observante Wahlenbergio, evidenter in *Lich. rupestrem* Auct. abit. Hunc autonomum non esse Lichenem jam e physiologicis rationibus constat. — *Patell. incrustans* Dec. e plurr. specc. gallicis manifeste *Parm. murorum*, exacte respondens L. *fusco-luteo* Dicks. quem bene ad P. cerinam b. refert amic. *Schaerer*, mecum Lecid. fuscoluteam recentiorum prorsus dissolvens.

1374. B. *ferruginea* Huds. crusta subcinerea, apotheciis ferrugineis.
Ad cortices a); b. supra muscos, c. *festiva*, minor, ad saxa, sed insigniores varr. v. c. *ammiospila* apud nos desunt.

Obs. Parmelias tenuiores immarginatas vel marginem thallodem decolorantes a Biatoris levi usu difficile non est discernere ob excipuli proprii defectum, quod in Biatoris numquam plene obliteratur. Saepissime tamen

diversissimorum proles commutantur v. c. sub *Lecid. cyrtella*; melior utique, jam observante Sommerfeltio a P. subfusca, ut L. *luteo-albus* a P. cerina, sed indicavimus jam in Lich. Eur. formas etiam B. *anomalae* etc. sub isto nomine vendi. Talia specimina ante oculos habere posse Cel. *Schaererum* non nego; sed prorsus denego meam P. *subfuscam* d. ad B. mixtam esse referendam, cum nil conjunxerim, quae aperte et directe confluere non viderim.

LECIDEA. Genus alpinum et montanum, quod in regione campestri vix unam alteramve bonam formam enititur; nonnullae tamen jam exstant in regionibus nostris montanis. [Haec quoque caussa cur Wallroth genuinarum formarum tam inops sit et verorum synonymorum nescius de omnibus fere in dubio versetur inextricabili.]

A. *Crusta libere evoluta, subgranulata, hypothallo pallido.* Hae quoad stationem variabiles.

1375. L. *sanguinaria* L. tartareo-granulosa glauca, disco strato sanguineo imposito.
In montanis copiosa ad saxa, cortices. Vidi saepe disco rubro-fusco.

1376. L. *sabuletorum* Schreb. e cartilagineo granulata, apotheciis e crusta intus fuscis, excipulo annulari.
In Scania campestri ad saxa (crusta saepe disparente l. deliquescente), ligna, terram. — Sub hac in diversis regionibus plures latent species. — Adest apud nos quoque var. intus alba.

1377. L. *myrmecina* Fr. granulis cartilagineis primitus discretis cervinis, apoth. immixtis planis nudis rugoso-plicatis.
Ad ligna indurata Quercus rarior. Cur hanc ad suam scalarem citat Wallroth, cum paulo supra jam distinxit?

1378. L. *milliaria* F. tartareo-granulosa, granulis primitus discretis, apoth. immixtis nudis intus corneo-atris, excipulo cupulari.
In regione pineto-montana ad terram, saxa, ligna. L. *citrinellae* et *arcticae*, vix L. *sabuletorum*, rite affinis.

1379. L. *albo-atra* Hoffm. areolato-verrucosa glauco-candicans, apoth. protuberantibus caesio-pruinosis.
Ad cortices, muros etc., haud rara, sed tantum in

regione campestri. Vulgo atypica *farinosa* deliquescens.

1380. L. *citrinella* Ach. tartareo-granulosa, subcitrina, apoth. immixtis cupularibus.

Ad terram glareosam passim, etiam regionis campestris v. c. ad Sillåkra. Apud nos vix nisi leprosa lecta, sed ex ejusmodi atypicis statibus varietates non distinguo. Hujus vero typicum statum pro L. *flavovirescente* s. L. *scabrosa* sumunt, qui hanc pro L. *citrinellae* varietate habent. Veram L. *flavovirescentem* aut non viderunt aut pro nova habent specie v. c. *Schaerer* meam L. *flavovirescentem* Lecid. sphaericam! dicit. Deleatur igitur in Lich. europaea id synonymon sub L. *epigaea* b, deleantur apud Schaererum sub L. *citrinella* synonyma ad *Lecid. flavovirescentem* spectantia. Ex effato Acharii, a Schaerero ipso citato (p. 163. obs. 1.) facile elucet Acharium *Lecid. scabrosam* Schaer. pro "L. *citrinella* ipsa" declarasse. L. *flavovirescentis* nomen, certe jam apud Dicksonium confusum, inde melius omittitur.

B. *Crusta subareolata e hypothallo nigro enata.* Absolute saxicolae.

1381. L. *albocoerulescens* Wulf.! primitus tartarea contigua e coeruleo-albescens; disco ceraceo coeruleo-pruinoso, humectato rufescente, excipulo annulari tenuiter marginato.

Ad saxa formationis primitivae in pineto-montanis. Species a *Wulfenio* luculentissime *descripta* et *depicta*, ab omnibus (Cel. *Meyero* excepto) male intellecta et cum analogis formis L. *spilotae* (disco corneo, excipulo annulari valido) et L. *contiguae* confusa. Apoth. intus alba.

* L. *immersa*, crusta imperfecta l. nulla, apoth. saxo immersa.

In regione campestri raro v. c. in muris ad Gamla Hospitalet ad Lund.

1382. L. *contigua* Hoffm., primitus cartilaginea glauca, disco corneo aterrimo glaucopruinoso, excipulo cupulari obtuse marginato.

Ad saxa in montanis. Apoth. intus atra; uti prioris vetusta locisque irriguis pruina destituta.

1383. L. *nitidula* Fr. cartilaginea deliquescensve, disco corneo nudo aequabili excipulo cupulari discreto tenue marginato.

Ad saxa regionis campestris; praeter historiam et stationem L. *parasemae* simillima.

1384. L. *atroalba* L. areolato-verrucosa fusca dealbatave, disco corneo nudo subpapillato, excipulo cupulari-confluente obtuse marginato.

In montanis et silvestribus, sed in regione campestri crusta deliquescente dealbata, vulgo L. *petraea* dicta.

1385. L. *panaeola* Fr. areolato-verrucosa fusco-variegata: disco aequabili pruinoso intus albo, excipulo cupulari discreto obtuse marginato.

Ad saxa in pineto-montanis. *Lecid. panoeola* Ach. ad specimina fertilia est *Biat. panaeola*. Variae crustae panaeolae oriuntur e verrucis primo fuscis, mox dealbatis.

1386. L. *fusco-atra* L. cartilagineo-areolata, nitida, subfusca, disco tumente, primitus pruinoso, excipulo confluente tenue marginato.

Ubique in montanis copiosa et speciosa, sed in saxis campestribus recentioris formationis cartilagineam indolem, typicum nitorem et colorem amittit. *Lec. tessulata* Flörk. pallescens! ad Bösmöllan in schisto.

1387. L. *geographica* L. areolato-verrucosa, viridi-lutea, excipulo cupulari tenue marginato.

Ad saxa montana et silvatica. — Hujus, ut reliquarum, crusta locis ventosis tersa, contigua et laevigata.

C. *Crusta typice hypophloeode, hinc denudata leprosa.* Corticolae l. lignatiles.

1388. L. *premnea* Ach. excipuli cupularis margine obtuso nitido, disco corneo opaco intus basi albo.

Ad cortices Fraxini, Populi tremulae etc. *Dufour* a sequente non distinguit, ut in schedula ad *Lecid. leucoplacam* Dec., ipsi hujus synonymon, observat. Huc *Lich. abietinus* E. Bot. ex Schaerer.

1389. L. *parasema* Ach. excipuli cupularis margine tenui opaco, disco corneo nudo extus intusque atro

In corticibus et lignis. Protea, sed valde falluntur qui huc ducunt quaeque apothecia nigricantia in corticibus et lignis obvia, v. c. *Coniangium*, quod *vivum* ferrugineo-fuscum, intus fulvo-pulverulentum.

1390. L. *enteroleuca* Ach. excipulo annulari tenue marginato, disco subceraceo tumente intus albo.

In regione campestri vulgatior ad ligna et cortices; s. d. *Lecidea farinosa* Flörk. (respondens L. *albae* l. *parasiticae* prioris) copiosa ad Lund.

1391. L. *turgidula* Fr. excipulo indistincto, apoth. convexis immarginatis atris caesio-pruinosis, intus corneo-atris *Schaer. spic. p.* 157.

Ad cortices, raro ad ligna, Pini silvestris; frequens in montanis. — Ut Arthoniam sub *Peltigera biformi*, ut Lecid. sub *Patellaria anomala* citat Wallroth, neutri vero affinis.

III. GRAPHIDEAE. Excipulum 1) *thallodes*, in proprium carbonaceum mutatum, primitus clausum, dein disco rimoso l. gyroso = *Umbilicaria* (thallus foliaceus); 2) *proprium carbonaceum* primo connivens, disco canaliculato nudo aut sporis pruinoso = *Opegrapha;* primitus apertum, disco anguloso, velo thallode pruinoso = *Lecanactis;* 3) *pulveraceum* coloratum = *Conioloma.*

UMBILICARIA. E fructus partibus maxime essentialibus magnopere distat tam a *Lecidea*, quam ab *Opegrapha.* Est omnino ex hac grege removendum et inter *Stictas* et *Parmelias* inserendum; in utrumque genus transitus manifesti. Ad Stictas, etiam disco Umbilicariae obvias, exacte se habet ut Lecidea ad Biatoras. *Lich. Eur.* — Apud nos parce obvium genus.

1392. U. *pustulata* L. papulosa, subtus glabra reticulato-lacunosa.

Ad saxa juxta aquas.

1393. U. *polyphylla* L. laevis, utriusque glabra, subtus aterrima.

Ad saxa passim in jugis montanis. — Locis irriguis *furfuraceo-flocculosa* et saepe cribrosa ut sequens (L. *deustus* L.); num veram U. erosam vidit Wallroth, cum U. polyphylla jungens?

1394. U. *erosa* Web. cribroso-reticulata, subtus papillosa cinerascens.
In Kullaberg rarissime visa .[U. *proboscidea*, reticulato-rugosa, subtus fibrillosa — in jugis montanis inquirenda.]

1395. U. *polyrrhizos* L. laevis, aeneo-fusca, subtus atra pannosa.
In saxa montium frequens. — [Omnes U. *glaucae*, sub U. *vellea* comprehensae, sed species characteribus et Patria distinctissimae et necesse separandae — apud nos desiderantur.]

1396. OPEGRAPHA *rupestris* Pers., nuda, margine tumido.
Ad saxa rarissime lecta, mihi e specim. perfectis haud rite cognita. [*Op. petraeam*, altioribus pineto-montanis peculiarem, a me habet Wallroth.]

1397. O. *varia* Pers. excipuli integri superficialis margine tenui, disco plano dilatato convexove subpruinato.
Ad ligna et cortices, ubique.

1398. O. *atra* P., exc. integri nudi gracilis nitidi margine tenui, disco lineari canaliculato nudo.
Copiose in corticibus; in ramulos abit in maculas stellatas.

1399. O. *herpetica* Ach. excipuli integri innati elliptici margine tenui a disco tumente demum obtecto.
Copiose ad cortices Carpini, Coryli; margine thallode saepe ocellata.

1400. O. *scripta* L. excipulo laterali erumpente, disco lineari, primitus pruinoso.
Ad cortices Fagi, Coryli, Betulae vulgatissime.

1401. LECANACTIS *illecebrosa* Duf. apoth. angulosis, disco albo-pruinoso, demum papillato.
Ad Krageholm legit *Ljungstedt* specimina cum *Dufoureanis* prorsus congrua. Ab his fingerem spec. in exs. Suec. n. 193 ab eodem data haud multum differre. — Proxima *Lecan. lyncea* in unica Quercu, sed abunde, in Hallandia lecta.

1402. CONIOCARPON *cinnabarrinum*, apoth. cinnabarr.
Ad cortices Carpini etc. Scaniae australis, etiam a *Ljungstedt* primo inventum, ceterum in Suecia desideratum.

CONIANGIUM, in Scania non obvium et in pineto-montanis Smolandiae a me tantum lectum, *Coniocarpo* utique proximum est. Longe rarius videtur, quam fingitur, cum palam sit omnes fere qui de eo judicia tulerunt numquam in natura vidisse. Specimina lignicola Lich. Suec. 1. ad *Lecid. parasemam* ducta ab ea in vivo vel colore ferrugineo-fusco quam maxime abhorrent. Prae reliquis judiciis praeferrem Eschweileri esse genus *Sclerotiaceum* sporidiis liberis farctum nisi perenne esset et crusta manifeste Lichenosa saepe adesset. *Epinyctis fuliginea* Wallr. congener videtur.

IV. CALICIEAE. Excipulum a) *carbonaceum* l. innatum disco ascigero = *Trachylia* l. liberum, disco e sporidiis nudis compacto = *Calicium;* b.) *nullum*, sporidiis in capitulum, vulgo velatum, compactis = *Coniocybe.*

TRACHYLIA. Ascis liberis, oblongis, floccoso-connexis, ab omnibus hoc genus differt. A Caliciis insuper apothecii indole et habitu; a Lecidinis et Opegraphis deliquescentibus disco. Cum *Lecidea* nuperius conjunctum vidimus, sed affinitas cum Caliciis utique major videtur. Quum jam constet in *Tr. tympanella*, *tigillari* etc. ascos primariis Trachyliis simillimos adesse easdem huc transferre minime dubitamus, excluso e charactere excipuli margine. Cfr. *Laurer* in Sturm. Deutsch. Fl. Lichen. t. 32.

* *Excipuli margine obsoleto.*

1403. T. *saxatilis* Fr. (V. Ac. Handl. 1822) crusta tartarea rimosa alba. Calic. saxatile *Schaer. spic. p.* 225.
Ad Klöfvaball in S. Åsen, rupibus irriguis innascens. [T. *Arthonioides* l. c. apotheciis similis, sed crusta diversissima.]

1404. T. *ligniaria* Fr. l. c. crusta granulata fusca.
Ad parietes ligneos raro, saepe acrustacea. Apoth. ceterum sequentis.

** *Excipulo distincte marginato.*
Calicii s. Cyphelii spec. A.

1405. T. *tigillaris* A. verrucoso-areolata citrina.
Ad truncos quercinos, rarissime lecta prope Karsholm.

1406. T. *tympanella* Ach, granuloso-tartarea glauca, disco marginem albicantem superante.
Ad saepes ligneas et truncos Quercus.

1407. T. *stigonella* A. parasitica, disco plano marginem concolorem aeqnante.
In crusta Pertusariae communis v. coccodis. Copiose ad Krageholm. — Reliquae omnes Cyphelii spec. Ach. vera sunt Calicia.

CALICIUM. Omnia Calicia, typice saltim, pruinosa fingimus. Haec pruina, subinde excipulo, inde colorato, adnata, primarium offert dispositionis fundamentum; sed caute observanda, vetusta enim evanescit nec ulla exstat species excipulo colorato quam simul aterrimam non habemus. Fatendum porro est *Calicium melanophaeum* et *curtum* vix umqnam pruinosa occurrere, sed eorum series ex habitu et sporidiorum colore patet.

* *Excipulo* (typice) *glaucescente.*

1408. C. *lenticulare* Hoffm. apoth. lentiformibus subtus albido-cinereis *firme stipitatis*, disco convexo atro.
Ad cortices Quercus frequens per regiones campestres; in pineto-montanis haud obvium. Habemus ex eadem crusta apoth. vetusta tota atra; etiam disco protruso = C. *discoidale* A.

1409. C. *curtum* Turn.! apoth. turbinato-cylindricis atris *breve* stipitatis, disco demum protruso aterrimo. *Lich. Eur. p.* 387 ad specc. Turneri.
In lignis putridis Pini in regione pineto-montana tantum, vulgatissimum generis. Uti analogum C. *melanophaeum* vulgo aterrimum est, sed marginem juniorem *albo-vibrantem* video. Huic obsoleto quidem characteri nimis tribuisse visus sum, id vero factum 1) ob typum, qualem excepi hujus sectionis, cui omnino pertinet; *Acharius* ad mea specimina aterrima prorsus descripsit, ita ipse absque theoretico regimine in Sched. Crit. descripsi, quia talia vulgo apparent; 2) ut differentia a C. *phaeocephalo*, cum quo coufundebatur, acutius promineret. Ad ipsissimum nostrum *Cal. curtum* pertinere C. *nigrum* Schaer. Helv! n. 248 neutiquam in dubium vocari potest, licet ad Cal. lenticulare b. nostrum ab ipso ducatur.

1410. C. *subtile* P. apotheciis lentiformi-globosis mox cum stipite tenui *flaccido* nudis.

Ad ligna pinea, praecipue fabrefacta, copiose. Aliud sine dubio alii habeant necesse *Cal. subtile* cum nostras formas a. et b. distinguant; mea numquam separari possunt. Priorem seu *albopruinosam* formam legebam in pariete pineo nuper exstructo et exinde in editione prima Lich. Succ. divulgabam, sed cum eandem brevi eodem loco pro nova editione quaererem omnia individua abiverant in formam b. s. nudam; sed et in herbario omnia formae a. exemplaria post aliquot annos a formae b. nullo pacto discerni possunt. Ut testes cito omnes primam editionem Exsiccat. possidentes! Sic meam formam a. semper in novis parietibus tantum vidi, ubi sequentibus annis semper b. — Specimen C. *subtilis* Pers.! etiam aterrimum erat et haec est caussa, cur Acharius id synonymon non ad formam pruinosam (ut descripio suadet) sed ad nudam referret. Sanctissime testor me ex novis de Caliciis controversis aeque parum ac olim ex priscis [nova enim harum quotannis messis] a prima mea expositione unguem latum discedere haud posse.

1411. C. *trichiale* A. apoth. turbinatis, subtus albido-cinereis, disco umbrino.

Ad lignea pinea. *Cal. stemoneum* Ach. non nisi varietas est immixtumque ubique legi; sed C. *physarellum* verum extus fuscum nil cum hac specie habet commune, nisi externam faciem.

** *excipulo typice fuscescente.*

1412. C. *hyperellum* A. apoth. lentiformibus subtus ferrugineis, crusta granulata viridi-lutea.

Copiose ad ligna et cortices in montanis. Habemus vetustum apoth. extus aterrimis = C. *peltatum* A.

1413. C. *trachelinum* A. apoth. turbinato-lentiformibus subtus rufoferrugineis, crusta laevigato-rugosa granulataque glauca.

Ad ligna et cortices Quercus etc. Crustam saepe vidimus genuinam perfectam a prioris diversissimam.

1414. C. *melanophaeum* Fries, apoth. turbinato-globosis atris, disco ferrugineo, crusta granulosa lactea.

Ad ligna indurata Quercus passim. Hujus formam

incompletam esse *Cal. parietinum* Schaer. facile crederem, nam a meo *Cal. brunneolo* (Cal. trachelino absolete proximum et sensu strictissimo var. cfr. Lich. Eur). cui auct. fide subscripsi, plane diversum videtur.

1415. C. *physarellum* Fr. apoth. turbinatis extus *fuscis*, disco umbrino, crusta verrucosa cinereo-viridi.
Ad saepimenta lignea v. c. ad Lund in Paradislyckan. An plene hujus loci *Calic. trichiale* Schaer.? Non enim fingere possum acutum virum distinguere potuisse plantas adeo manifeste congruas ut nostrum *Cal. trichiale* a. et b. neque alio modo explicare quomodo hoc cum C. *trichiali* jungeret. Specimina in Schaereri exs. tradita ita manca ut ex his nulla mihi lux. Cfr. Cal. trichiale *Lich. eur.*

*** *excipulo flavo l. aeruginoso-pruinoso.*

1416. C. *chrysocephalum* Turn. apoth. turbinato-lentiformibus, margine flavis, disco umbrino, crusta granulosa citrina.
Ad ligna et cortices passim.

1417. C. *phaeocephalum* Turn. apoth. flavoviridi-pruinosis, disco fusco nigro, crusta granulosa fuscescente.
Ad parietes et saepes ligneas, ubi in cryptis, jam pridem observante ill. detectore, manifeste abit in *Calicium chlorellum* Whlb. «Quidquid contendant alii" cum C. saepeculari jungendum negat Schaerer; alienam, ut vulgo fit, tum necesse ante oculos habebit plantam: *Calicium aciculare,* crusta granulata alba- excl omnibus C. *chlorelli* syn. Cfr. Lich. Eur. obs. post *Cal. chrysocephalum.*

1418. C. *roscidum* Flörk. apoth. lentiformibus margine discoque, demum olivaceo, primo flavoviridi-pulverulentis dein atris, crusta rugosa glauca.
Ad truncos Quercus passim. Monstrum, sessile, deformatum est *Cal. adspersum* Pers.

1419. C. *disseminatum* Fr. apothecis globoso-lentiformibus atris, primitus viridi-pruinosis, disco olivaceo, crustaque entoxyla aeruginosa leprosa erumpentibus.
Ad ligna vetusta pinea, nec alibi, in *Cal. trichialis* consortio. Cfr. *C. microcephalum.*

**** *apotheciis aterrimis, atrove pruinosis.*

1420. C. *corynellum* Ach. apoth. lentiformibus opacis aterrimis, crusta tartareo-leprosa citrina.
Ad rupes Gothungiae rarius. Alii vix affine. Thallus a *Parm. haematomma* toto coelo diversus.

1421. C. *byssaceum* Fr. apoth. clavato-turbinatis nitidis aterrimis, disco impresso punctiformi, (crusta aterrima.)
Ad ramos alneos vivos in silvis humidis. Mire ad *Cal. subtile* refert *Wallroth* speciem cum nulla alia comparandam.

1422. C. *microcephalum* Borr., apoth. turbinatis subsessilibus discoque aterrimis, crusta superficiali cartilaginea demum rugoso-verrucosa fuscescente.
Ad ligna et cortices Quercus, Betulae. Manifeste statum vetustum C. *disseminati* pro hoc sumit *Schaerer.* C. *disseminatum*, *microcephalum* et *viridulum* (hoc bene exposuit Schaerer) totius vexata re ipsa inter se haud affinia sunt!

1423. C. *turbinatum* Pers. parasiticum, apoth. subsessilibus e globoso-turbinatis atro-nitidis.
In Pertusaria communi etc. frequenter.

CONIOCYBE. Ob externam faciem consimilem et sporidia pulverulenta hoc genus ad Calicieas est relatum, licet apoth. structura diversissima sit. Hanc male omnino intellexit *Wallroth* Calicia disco turgido huc referens. Nomen sine omni ratione mutatum esse vix est quod moneam; *Emboli* nomen, cujus Auctor Haller, ad fungos plene pertinet; *Batsch* nullum habet genus *Embolus* dictum, sed *Coniocybas* sub Mucore in Elencho, in continuatione quidem *Calicium trachelinum!* et *furfuraceum* ad istud Hallerianum genus male referuntur; et ex hac ratione fingit Wallroth Botanicos in siglarum ejus gratiam generis melius limitati receptum nomen missuros.

1424. C. *furfuracea* L. apoth. flavo-floccoso - pulverulentis, crusta granuloso-leprosa sulphurea.
Locis occultis ad terram, stipites. Var. *sulphurella* (Lich. sulphureus Retz.) ad saxa.

1425. C. *pallida* Pers. apoth. subcinnamomeis albicante-pulverulentis, crusta obsoleta albicante.

Ad truncos cariosos. — Omnino constanter differre C. *leucocephalam* P. in Lich. Eur. observatum est, sed distinguere haud utile duxi, quamdiu longe evidentiora quotidie commutantur.

1426. C. *nigricans* Fr. apotheciis globosis nudis nigris.
Ad ligna quercina raro.

V. SPHAEROPHOREAE. Nobis unicum genus nucleo nigro fatiscente = *Sphaerophoron*. Tribus saltim locis mihi objicit Cel. *Link*, quod huic generi ascos denegaverim. Vera ratio est me tribus locis ante ipsum, ni fallor, ascos *Sphaerophoro* adscripsisse v. c. in *Sched. Crit.* Dec. XIII. Lundae 1827 p. 21. "In Sphaerophoro, quibus Cel. Meyer denegavit, ascos vidi", porro in Lichen. fundam., tandemque in *Sphaerophorearum* charactere in *Lichenogr. Eur. p.* 403.

1427. SPHAEROPHORON *coralloides* Pers. ramis teretibus laxis.
In silvaticis copiose; unica Suec. merid. species.

VI. ENDOCARPEAE. Nuclei 1) thallo omnino inclusi cum perithecio colorati = *Endocarpon* (thallus foliaceus) l. nigricante = *Sagedia* (Thallus ut sqq. crustaceus.) l. omnino nudi = *Pertusaria* 2) demum in verrucis thalli apertis disciformi-collapsi, perithecio velati = *Thelotrema*.

1428. ENDOCARPON *miniatum* L. coriaceum glabrum fulvo-cinereum.
In rupibus in Kullaberg etc.

1429. E. *fluviatile* Web. membranaceum, glabrum e viridi fuscescens.
Ad saxa in amnibus silvaticis.

1430. E. *pusillum* Hedw. cartilagineum, olivaceo-brunneum, subtus nigro-fibrillosum.
In terra regionis campestris, rarissime versus Trolleholm lectum ab *Ahnfelt*. — Medium inter hoc et sqq. genus, huic perithecii indole proximum, sed sub hoc reliqui, ne genus specie primitiva privetur.

1431. SAGEDIA *fuscella* Turn. areolata, griseofusca.
Ad lateres ad terram. Perithecii natura, collo elongato, papilla discreta heterogenea a Verrucariis differt genus. Endocarpeis certe proximum.

1432. PERTUSARIA *communis* Dec., glauca, apoth. hemisphaericis, ostiolis depressis discretis.

Vulgaris ad cortices; var. *leucostoma* in arboribus campestribus v. c. in Helgonbacken; sterilis orediifera est *Lich. carpineus.* L.

* P. *sorediata*, subtartarea, albicans, ambitu zonato, apoth. farinaceis pertusis.

Copiose ad Fagos, specie forte diversa, licet passim cum priori concrescat. Sorediifera L. *fagineus* L.

1433. P. *ceuthocarpa* Turn. fuscescens, fusco-limitata. apotheciis caespitoso-confluentibus, ostiolis prominulis.

Rarissima ad Fagorum bases. [Vulgo in saxis].

1434. P. *Wulfenii* Dec. sulfurea, expallens, nigrolimitata, apoth. depressis, ostiolo communi dehiscente.

Ad Fagi cortices copiose.

1435. THELOTREMA *lepadinum* Ach. apoth. urceolatis.

Ad Fagi, Quercus etc. truncos.

VII. VERRUCARIEAE. Unicum nobis genus, apotheciis simplicibus, perithecio carbonaceo aterrimo = *Verrucaria;* in regionibus tropicis magnus generum valde singularium et peritheciis in singulo apothecio pluribus compositorum numerus.

1436. VERRUCARIA *sabuletorum* Fr. *terrestris,* tartarea, alba, perith. emersis papillatis.

Ad terram glareosam raro. Abunde differt a V. *epigaea*, quam Recent. fide ad Pyrenotheas refero. [Proxima V. *muscorum* in Blekingia lecta]

** *saxicolae.*

1437. V. *argillacea* Fr. tartarea, albicans, perith. dimidiatis conico-hemisphaericis.

Ad lapillos argillaceos, passim ad Lund.

1438. V. *muralis* Ach. subtartarea, albicans, perith. integris semiimmersis persistentibus.

In muris v. c. Gamla Hospitalet ad Lund.

1439. V. *laevata* A. tartareo-pulverulenta albicans, perith. nudis integris collabescendo-umbilicatis.

Ad saxa formationis recentioris; crusta primo viridis. Subspecies *V. rupestris*, apud nos vix bonae. — In schisto ad *Trolleholm* Verr. crusta imperfecta. sed perith. dimidiat. basi circumscissis ab hac diversa. Accedit ad V. *talcaceam*, sed multiplo minor.

1440. V. *nigrescens* Pers. rimosa, fusco-nigricans, perith. globosis obtectis.

Ad saxa calcarea, lateres raro. Stratum gonimon *nigrum* ab omnibus distinguit.

1441. V. *margacea* Whlnb. e viridi cinerea albave, perith. integris hemisphaerico-conoideis apice denudatis.
Ad rupes graniticas irriguas. Klöfvahall in S. Åsen. *Ahnfelt!*

1442. V. *umbrina* A. e fusco umbrina subverrucosa, peritheciis globosis obtectis papillatis.
Ad saxa granitica juxta aquas v. c. ad Ringsjö.

1443. V. *maura* Whlnb. ex atroviridi aterrima rimosissima, perith. innatis globosis astomis.
Ad maris litora abunde, Båstad, Torekow; Kullen etc.

*** *Corticolae.*

1444. V. *nitida* A. olivaceo-virens, perith. integris obtectis.
Copiose ad Fagos, Carpinos etc. — In *Fago* crusta saepe fusca, in *Carpino* laete virens.

1445. V. *alba* Schrad. alba, perith. integris liberis nudis.
Ad Quercus, Tilias etc. raro. Crusta denudatur leprosa.

1446. V. *gemmata* Ach. glauco-albicans, perith. hemisphaericis dimidiatis emersis.
Ad cortices Fagi. Crusta haud leprosa.

1447. V. *carpinea* Ach. fusco-nigricans, peritheciis integris innato-denudatis papillatis.
In cortice Carpini, sqq. proxima sed crusta manifesta, quae in sqq. vulgo, nec semper, omnino deficit.

1448. V. *epidermidis* A. peritheciis dimidiatis basi patente innato-superficialibus.
In *Betula* perith. ellipticis; orbiculatis in *Alno.*

1449. V. *punctiformis* A. perith. minimis basi inflexa dimidiatis innato-superficialibus.
Ad corticem v. c. Fraxini. — *Haec et prlor* in bivio Lichenum et Pyrenomycetum positae sunt, sed ad Lichenes referendae e vegetatione, e duratione perenni, e loco in cortice vivo, e nuclei analysi, e tota historia v. c. anamorphosi abeunt in maculas *Arthoniae* aliorum Lichenum simillimas; ut taceam usum, a quo in rebus aequivocis numquam discedamus.

VIII. LIMBORIEAE. Perithecium a) astomum, collabescendo corrugatum, rimis transversim dehiscens, nucleo incluso = *Cliostomum.* b) poro pertusum, nucleum globuli

instar eructuans; dein scutellato-dilatatum = *Pyrenothea.* Plurima accedunt insignia genera tropica, quorum *Strigula* in foliis coriaceis tropicis commune, Lichenum infimum.

1450. CLIOSTOMUM *corrugatum* Fr. granulosum, glaucum. Ad truncos Quercus etc. *Lecid.* dein *Limboria* Ach. *Cleiostomum* Lk. *Pyrenothea* Spreng. Hal., sed cum Pyrenothea vix apte jungitur.

1451. PYRENOTHEA *epigaea* Spreng. terrestris, e gelatinoso-leprosa lutescenti-pallida, perith. minimis nudis. Ad terram nudam in ericetis. Secundum *Sprengelium* (Fl. Hal. ed. 2) in hoc genere recepi, licet nucleo coronatum nondum legerim, cum demum fiat Lecidino-dilatatum, nucleo orbatum.

1452. P. *incrustans* Fr. rupestris, tartareo-leprosa, alba, peritheciis nudis globulo gelatinoso luteo. In cryptis rupium, sequenti prope cognata, at pro ejus subspecie vix sumenda; globulus maxime differt! nec Lecidina.

1453. P. *leucocephala* Ehrh. corticola, laevigata, glauca, peritheciis nudis globulo farinaceo albo. Ad cortices Quercus, Alni etc. minime rara, sed illa forma *Lecidina*, in Abiete in hujus crusta obvia, apud nos absolute deest. Transcribendo alios auctores Wallrothius omnia synonyma hujus sibi ignotae ad P. *vermicelliferam* refert, plantam genere potius diversam, quam specie conjungendam.

1454. P. *vermicellifera* Kunze *β. fuscella* corticola, crusta cinereo-fuscescente, perith. e crusta vestiente albis globiferis. Ad cortices arborum circa Krageholm *Ljungstedt*, ad Belteberga! Forma hujus speciei primaria (num diversa?) crusta glauca nobis deest; et eximio *Ljungstedt* nostram sub P. *fuscellae* nomine distinguenti haec nondum innotuerat. Utraque perithecio haud vere carbonaceo et crusta vestito ab hoc genus ad *Segestrellas* fere abit.

1455. P. *stictica* Fr. hypophloeodes, glauca, illimitata, dein rufescens, perith. punctiformibus immersis nudis. Ad cortices praecipue Alni. — Huic speciei, quam pro typo generis habeo, variae accedunt novae, Lich.

Europ. edituro bene mihi cognitae, quas vero speciminibus in Exsicc. divulgatis nondum fixas seorsim describere nolui, ne vagorum titulorum numerus augeatur. Ex his jam ab Am. *Stenhammar* distributa est *Pyren. lilacina* Lich. Suec. exs. n. 272. Plures sequentur.

Fam. LXXXI. BYSSACEAE.

Char. Thallus liber, discretus, hygrophanus; floccosus l. in frondem gelatinosam absque omnibus stratis discretis conglutinatus. Sporidia recepta ascis thalamio vulgo immersis, interdum liberis. *Algae amphibiae, perennes per intervalla in vegetatione retardatae, heterogeneae, nulla vero strata discernentes, sporidiis gonidiisque multiplicatae.*

Ordo inter Lichenes et Ulvaceas ita intermedius, ut singula fere species in diverso statu et inter Lichenes et Phyceas adhuc recepta sit. Vegetatione Phyceis utique proximae, sed e statione aërea fructu Lichenes imitantur. Necesse igitur duximus admittere ordinem inter Algas aëreas et aquaticas medium et amphibium, cum characteribus et habitu bene videatur definitus eoque haud separato reliquorum limites omnino fluctuent. *Byssaceae* typice sunt Lichenes in statu hypothallino, sed praeterquam quod Byssaceae hunc evolutionis gradum numquam superant ab hypothallis Lichenum dignoscuntur thallo libere evoluto et discreto. *Cfr. Lichenol. Fund.* §. 6. Nobis paucae formae, in tropicis plures. Repetunt singula genera tribus Lichenum. Tribus:

I. COLLEMACEAE. Thallus gelatinoso-conglutinatus, caulescens aut foliaceus. Apoth. endogenea.

II. BYSSEAE. Thallus filamentosus aut floccosus, haud gelatinosus. Apothecia subexogenea.

I. COLLEMACEAE. Apothecia 1) *clausa* vel terminalia libera = *Lichina* (*Sphaerophoron* Collemaceum) vel minutissima, thallo immersa, nucleum eructuantia = *Nostoc* (*Endocarpon* Collemaceum); 2) *discoideo-aperta*, excipulo thallode = *Collema* (*Parmelia* Collemacea, thallo pulposo, contextu moniliformi-filamentoso) vel proprio = *Leptogium* (*Biatora* Collemacea, thallo membranaceo, contextu celluloso.)

1456. LICHINA *confinis* Ag. thallo tereti. Lichen *Turn.*

In scopulis marinis paulo supra aquae limites v. c. in

Kullaberg. Inter Lichenologos olim *Stereocaul. confine* Ach., nunc Thrombium glaciale Wallr. Obs. Genus SYNALISSA et thallo et apotheciis omnino medium inter hoc et sq. genus tenet locum.

1457. NOSTOC *commune* Vauch. olivaceo-viride.
Ad terram argillaceam passim v. c. ad Lund (Lergrafvarne utom N. Tull.) — Inter Lichenologos audit *Collema fugax* Ach., *Thrombium Nostoc* Wallr.

Reliqua Nostocia terrestria in statu perfecto ad Collemata pertinent v. c. *Nostoc Lichenoides* ad C. *crispum*, N. *foliaceum* ad Coll. *flaccidum*.

COLLEMA. Genus specierum in diversis regionibus dives, sed e speciminibus siccis, licet reviviscant, aegre determinandnm.

* *thallo udo crasso tumido lobulato.*

1458. C. *crispum* L. atrovirens, lobis pulposis imbricatis crenatis. *Lich. Suec. exs. n.* 303.
Ad terram Scaniae orientalis passim; etiam in rupibus ad Bösmöllan e. s. p.
* *limosum*, lobis granulosis discretis integris. *Lich. Suec. n.* 302.
Vulgare ad terram argillaceam.

1459. C. *tenax* Sw. glauco-virens, lobis compactis rotundatis planis.
Ad terram Scaniae orientalis, ad Karsholm raro.

1460. C. *fasciculare* L. olivaceo-virens, lobis gelatinosis in caespitulum hemisphaericum complicatis. *Lich. Suec. n.* 50.
Ad truncos praecipue Sorborum.

1461. C. *furvum* Ach.! olivacenm, lobis gelatinoso-turgidis imbricatis corrugatis. *Lich. Suec. XII.*
Ad cortices Fagi, Fraxini. Siccum quidem membranaceum, sed ceterum priori proximum et a C. *flaccido* tam diversum, ut aliam habere videantur plantam cum hoc jungentes.

** *thallo tenui foliaceo gelatinoso-membranac.*

1462. C. *cheileum* Ach. olivaceum, lobulis foliaceis imbricatis subcrenatis. *Lich. Suec. n.* 304.
Copiose in aggeribus argillaceis.
† C. *melaenum* Ach. nigrescens, lobis foliaceis elongatis stellatim expansis multifidis. *Lich. Suec. n.* 134.

In Scania lectum specimen vidi, sed locus nimis incertus.

1463. C. *nigrescens* Huds. olivaceo-nigrescens, monophyllum, membranaceo-expansum. *Lich. Suec. n.* 69.
Ad truncos Populi.

1464. C. *saturninum* Dicks. atrovirens, lobis latis subtus velutinis. *Lich. Suec. n.* 299.
Ad truncos vetustos. Apothecia in Smoland. legi.

In Lich. Suec. exs. insuper ex hoc genere tradnntur *Collema flaccidum* n. 155 eique proximum C. *rivulare* n. 298, C. *plicatile* n. 96. Quo modo hoc cum *Leptogio lacero* jungere potuerit Wallroth, ipse explicet.

1465. LEPTOGIUM *Tremelloides* L. ex atro-viridi caesium, lobis rotundatis laevibus integerrimis. *Lich Suec. n.* 70.
Ad rupes irriguas ad Öfvedskloster; Kullaberg. — *Leptogia* ob fructum diversissimum, cui addetur diversa metamorphosis et thalli structura, a Collemate necesse esse separanda primarii Lichenologi consentiunt, sed cum *Stereocaulis* et *Cladoniis*, suadente Wallrothio, equidem conjungere nequeo.

1466. L. *scotinum* Ach. fuligineum, lobis complicatis rugosis subintegris. *Lich. Suec. XII.*
In campis muscosis ad Ryssbergen in par. Ifötofta hactenus tantum lectum.

1467. L. *lacerum* Ach. glauco-fuscescens, lobis lacero-laciniatis denticulato-ciliatis. *Lich. Suec.* 49.
Ad terram inter muscos, bases truncorum passim.
* C. *tenuissimum* Dicks. lobis linearibus. *Lich. Suec.* 305.
Ad terram collium argillacearum abunde fructiferum (vulgare saepius sterile) v. c. ad Trollenäs.

1468. L. *muscicola*, nigrum, fruticulosum, pulvinatum. *Lich. Suec n.* 306.
Ad latera rupium inter muscos. Copiose ad Hallandsås. Habitus prorsus sqq.

II. BYSSEAE. [Plurima nobiliora genera, thallo laete viridi Confervaceo, sed in frondem saepe contexto v. c. *Cilicia*, *Dichonema*, *Coenogonium* tropicis regionibus propria videntur. At a *Coenogonio* vix nisi thallo et habitu differt *Thermutis*, fructificatio eadem.] Asci 1) thalamio immersi, a.) excipulo proprio e pluribus fibris hypothalli copulatis

enato = *Thermutis;* b.) excipulo thallode e singula fibra enato = *Ephebe* 2) e fibris ipsis mutatis a.) contiguis medio fertilibus = *Racodium* (Color ater l. atrovirens); b.) apice subincrassatis articulatis = *Byssus* (Color laetus, siccitate aerugineo-canescens.)

1469. THERMUTIS *pannosa* (Collema Ach.).
Ad saxa et muros locis udis. *Scytonema byssoideum* Ag. et Phycologor.; mire a Wallrothio cum sq. jam hypothalli structura diversissima jungitur. Nec cum hypothallo *Biatorae triptophyllae*, ut vulgo fit, commutanda. Plures exstant hujus et sqq. generum species.

1470. EPHEBE *pubescens* L. (Lich.) *Lich. Suec. n.* 211.
Ad saxa (nec alibi) aqua saepe irrigata. *Stigonema* Phycologorum. Apothecia Usneacea, prioris Biatorae.

1471. RACODIUM *rupestre* Pers. nigrescens. *Lich. Suec.* 241.
Ad rupium latera, lanuginem perennem atram subcompactam referens, locis irriguis atrovirentem. Stirps certe autonoma nec Fungis adscribenda. Haec est primaria *Racodii* Pers. species, haec sola autonoma generis stirps, quare hoc loco nomen necesse servandum. — *Conf. ebenea* Dillw. inter hoc et sequens genus medium indicat.

BYSSUS. Genus olim prorsus vagum, sed quale a nobis plurimis abhinc annis limitatum et ad species Linnaei primarias (B. auream, B. Jolithum) restrictum utique maxime naturale. Cum hae species et Michelio et Linnaeo fuerint generis typi ad hoc nomen servandum omnino cogimur. Una alterave tantum fertilis visa.

* *Ex aureo canescentes.* Trentepohlia *Mart.*

1472. B. *aurea* L. aurea, fibris persistentibus, *Lich. Suec. XII.*
Ad rupes irrigatas v. c. in schisto a Löddeström irrigato ad Bösmöllan. Dematium petraeum Pers.

1473. B. *abietina* (Dematium P.) fulva, fibris collabentibus.
Ad corticem vivum Abietis passim.

** *E rubro canescentes.* Amphiconium. *Nees.*

1474. B. *Jolithus* L. odorata, sanguineo-rosea, fibris persistentibus pellucidis. *Lich. Suec. n.* 390.
Ad saxa juxta vias in pinetis.

1475. B. *odorata* Web. odorata, coccineo-rubra, fibris ramosis opacis persistentibus. *Lich. Suec. n.* 301.

Ad Fagos passim, pulchra in Kullaberg. Lib. Bar. *Gyllenstjerna.*

1476. B. *spiralis* Fr. inodora, rosea, fibris simplicibus spiraliter intortis persistentibus.

Ad ligna putrida. Helicomyces roseus *Link.*

1477. B. *rubens*, inodora, rubens, fibris crispis pulveraceo-collabentibus. *Lich. Suec. n.* 181.

Copiose ad Salices prope Lund.

Plures similes (Chroolepi specc. Ag.) v. c. *Conf. rubicundam*, *Lichenicolam* etc. vidimus, sed spec. Exsiccat. divulgatis nondum fixas recipere noluimus. Caute separandae Lichenum crustae e gonidiis rubentes. Byssi genus sub *Amphiconio* Nees, sub *Trentepolia* Martius rite indicarunt.

III. Duae restant plantae *Lichenoso-byssaceae* utique atypicae, sed nondum ad aliam tute referendae. Constant e fibrillis ramosis in pulvinulos intricatis et gonidiis dense obtectis. *Link* inter *Sporotricha* recepit, sed neutiquam fungosae indolis et vegetatio rupestris, perennis etc. prorsus Lichenosa. Vidi in utraque apothecia ex habitu *Trachylii* generis, ut ad idem facile transferres, sed forsan parasitica modo sunt.

† LEPRARIA *chlorina* Ach. pulvinato-conglomerata, citrina. *Lich. Suec.* 121.

Ad latera rupium umbrosa, in cryptis montium.

† LEPR. *latebrarum* Ach. late contexta, mollis, e violacea incana. Lich. *Suec. n.* 271.

Locis similibus. Minime prioris status expallens, ut suadet *Flörke.*

De aliis similibus conferas infra Byssaceas spurias a.)

Appendix.

BYSSACEAE SPURIAE.

(Syst. orb. veg. 1. p. 512)

Vulgo cum praecedentibus confusae, sed absque fructificatione tantum obviae et ex autonomarum plantarum censu prorsus excludendae. Nimis omnino a plerisque negligi maxime necessariam distinctionem inter plantas autonomas et spurias, derivatas e. s. p. utramque speciem haud esse commiscendam plurimis locis, *frustra* tamen hactenus, monuimus. Res tamen in aprico est.

Hoc loco citandae formationes non e discriptionibus et characteribus dignoscuntur, sed ex morphosi et anamorphosi agnoscendi. Cum characteribus circumscribuntur, diversae originis necesse confunduntur.

A.) *Byssaceae spuriae* e contextu aliorum vegetabilium dissoluto ortae:

a. *Leprariae*, strata pulverulenta e gonidiis Lichenum effoetis, indeque nec fructificationem edunt, nec in perfectos Lichenes explicari possunt. *Byss. saxatilis, lactea, incana, candelaris* L., quae loco humido omnino viridis fit et in B. *botryoidem* L. varia tamen complectentem abit. Quando simili ratione Lichenes contextu floccoso dissoluti, oriuntur *Pulverariae* Ach. v. c. *Byssus aeruginosa* s. *Conf. pulveria* a Parmel. lanuginosa; Cladoniis e. s. p. B. *antiquitatis* L. ex hypothallo Lichenum soluto oritur.

b. *Mycinemata.* Contextus fungorum locis cryptis, defectu lucis, in floccos caespitosos solutus. Tales *Byssus septica, phosphorea* L. Ceterum magna copia Fungorum s. d. generum, a nobis in systemate, non vero in observando, neglectorum.

c. Ex aliis plantis et Phyceis pari ratione aquae vi dissolutis oriuntur etiam formationes Byssaceae, haud infrequentes. Vulgo vero sub aqua occurrunt indeque ad Phyceas relatae. Sed etiam corporis animalis in aqua putrescentis fibrae in similes byssaceas formas efflorescunt. Qui hunc typum pro *Leptomiti* idea habet, vix errat.

B.) *Byssaceae spuriae* ex organis systematis vegetativi degeneratis ortae:

a. *Plegmatium.* Fila implicata fulva l. fusca, subseptata e radiculis luxuriantibus l. degeneratis Filicum, Muscorum etc. orta. Quales *Byssus muscorum* Bory s. Conferva muscicola, Protonemata fusca, Mycinema Pteridis, fulvum e. s. p. — *Hypothallus Lichenum* niger locis irriguis pari ratione in fibras continuas gonidiis farctas abit, qualia plurima *Scytonemata terrestria* et *rupestria* (Scytonema velleum autem Myxothecii, Fungi species.) — Similis lusus inter Phyceas videntur *Tophorae* Syst. orb. veg. l. c. aliaeque Phyceae anomalae, *Stigonemata* = thallus submersus sterilis Ephebes e. s. p.

b. *Mycinemata*, v. c. Hyphae quaedam, h. l. etiam citanda.

c. *Phylleriaceae.* Fibrae e pilis l. cellulis plantarum vascularium tranformatis. — Vulgo inter Fungos citantur. Haud praetervidenda analogia "*Bedeguar*" in ramis Rosarum.

C.) *Byssaceae spuriae* aliarum plantarum primordia, licet saepe, externis momentis obstantibus, ad perfectum statum haud attingant.

a. *Protonema.* Fila viridia, radicantia, persistentia, nuda, in stratum intexta. Sunt *Nemata Filicum*, *Muscorum* etc. v. c. *Byssus velutina* L., *umbrosa terrestris* etc. [Nemata Lichenum, vulgo *Lichenes dendritici*, v. c. *Rhizocarpi* spp. utpote adnata facile separantur: Ad Protonemata se habent, ut Scytonemata terrestria ad Plegmatia.]

b. *Byssocladium.* Fila decoloria, radiatim vulgo expansa; demum in conidia collabentia. Sunt nemata s. Mycelia Fungorum, quibus etiam variae *Hygrocroces* v. c. H. *atramenti*, *Mycodermata* adnumeranda. [*Syncollesiae* veri Fungi.]

c. *Protococcus*, gonidia Algarum primordialia globularia vegeta subgelatinosa, plerumque viridia [*Mucor viridescens* L.] interdum rubra. Natura sunt Phyceae, non Lichenosae, ut Leprariae, typice tamen identicae. Sed Leprariae perfectioris evolutionis haud compotes sunt, Protococci vero abeunt non tantum copulatione ad Ulvaceas (etiam veras Ulvas) sed etiam novorum gonidiorum intus susceptione *in Palmellam botryoid.* et in Lichenes. Palmellae botryoidis evolutionem in D. *vernalem*, *pineti* e. s. p. vidi perspicuam. Sed *Chl. murale* v. c. effoetum omnino fit *Lepraria botryoides*, quando luce color inceditur *Lepr. aurea* quaedam-originem saepius ducit a *Parmelia murorum*!

d. *Phycomater* est mucilago fere inorganica absque gonidiis, Palmellis et Diatomearum strato ceterum similis. Talis saepe hypothallus Lichenum v. c. *Lecideae milliariae.*

Haec aliis locis plenius exposita, hoc loco repetere debui, ut tirones sibi persuasum habeant harum atypicarum formarum studium magis gratum et fructuosum fore, si ad rerum nexus et caussas attendant, quam si modo recepto in collectivo nomine rerum heterogenearum acquiescant. Addi posset quarta grex tam Byssacea v. c. *Lanosa*, Hyphae pr. p. quam *Phyceae* naturae v. c. *Hygrococes* spp. plur. a physicis et chemicis legibus unice pendentes, indeque e *Vitae* regno excludendae. Sic fibra vegetabilis ex extractis fermentatione saepe separantur, fibrae ligni aëri expositi in floccos lanuginosos (Sow. Fung. t. 387. f. 10) solvuntur etc., quae omnia Algae speciem prae se ferunt.

Fam. LXXXII. FUCACEAE.

(Ascophyceae *Reich. consp. Veg.* 1. *p.* 27. optime!)

Char. Apothecia a thallo formata, externa, nunc exserta, nunc a thallo haud discreta. Sporidia *metamorphosi perfecta* a gonidiis diversa, semper receptaculis partialibus (ascis l. peridiis) recepta. Thallus contextu fibroso aut totus fibrillosus, centro molliori (interdum celluloso, tum facile cavo) absque stratis discretis, gonidiis sparsis l. in soros collectis. *Algae endogeneae* (earum structura a Lichenum differt ut Monocotyledoneae a Dicotyledoneae arboris. Cfr. *Lich. Fund.* Cap. 2), *non tantum submersae semper*, *sed absolute salinae* (marinae) *contigue vigentes*, *subperennantes* (non vero perennes stratosae) *sporidiis gonidiisque multiplicatae.*

Familia pulcherrima, ditissima ob patriam, latissime patentem oceanum, sed ad litora nostra, sinus tantum maris, pauper et praecipue in mari baltico tam individuorum magnitudine et copia, quam specierum numero mire decrescens. Ab *Ulvaceis* jam a Dioscoride et Plinio separantur; *Rajus*, *Dillenius* etc. Fucaceas (Plantas marinas) ut familiam ab Ulvaceis, cum Muscis ab his junctis, distinctam proposuerunt. Estque differentia sensu naturali tam palpabilis, ut a vulgo et in linguis vernaculis separantur, sed ob systematicos limites difficile indicandos vulgo conjunguntur. Si attenditur vero tam ad diversam thalli structuram (negligenda praecipue thalli articulatio Cfr. *Syst. orb. Veg. p.* 323. f.), quam praecipue *ad perfectam* fructus enitendi gratia *metamorphosin*, ut his vera sporidia, quas rationes facies externa et vegetationis historia confirmant, eas utpote diversum orbis vegetabilis evolutionis gradum sistentes necesse esse separandas facile patet. Algas vero aquaticas, duce, Achario eas primo separante, sub *Phycearum* nomine aptissimo complectimur; Algarum nomen jam apud Plinium et Lichenes et Phyceas colligit; ad hanc integram classem cum *Linnaeo*, *Jussiaeo*, *Wahlenbergio* etc. Algarum nomen necesse mihi videtur servandum. Praesentem familiam lubentius cum Lamourouxio *Fucaceas*, quam *Phykoideas* (non Fucoideas) dicimus.

Hujus familiae studium cum Lichenum et Fungorum intime cohaeret, ut idem negligere mihi non *licuerit.* Segregato enim harum familiarum studio necesse fit, ut veri singularum limites negligantur, ut formis peregrinis vulgo atypicis l. nondum explicatis reliquarum conspurcentur, ut ad principia tam physiologica quam systematica prorsus divergentia l. contraria exponantur, ut singulae formetur terminologia priva partium prorsus identicarum, multaeque aliae molestiae nascantur. Hac de caussa in Syst. Orb. Veg. 1. Lichenes et Fungos expositurus, etiam, quatenus mihi cognita, Phycearum genera secundum systema Rev. *Agardh* recepi, studens modo Phyceas accuratius limitare, formas peregrinas expungere, terminologiam conformem introducere, dispositionem primariam e thallo [v. c. articulato et continuo e. s. p.] negligere fallacem, genera quaedam, heterogeneis ut videbatur adscripta, distinguere etc. Haec quoque jam ita perspicua videntur, ut melius sapientibus *rei gratia* verbum addere necessarium haud videatur; aliae rationes neque a me respiciuntur nec animum studiave nostra vel levissime turbant. — Ipsam dispositionem nunc ex plena facile generum revisione ab amic. Viris *Gaillon*, *Greville* etc., quibus eximia quoque specimina debeo, factab plenius exponere licet, et non tantum cum Rev. *Agardhio, Lamourouxio* ad coloris series, quas duabus novis auximus, sed etiam ad harmoniam structurae et fructus et thalli, qualem necessariam *Link* praemonuit, extendere. Utramque non tantum inter se [et alias etiam vix moneam] optime persistere, immo alteram sine altera mancam, nulla enim dispositio serialis omnem affinitatem capit, plene mihi persuasum habeo. Parum et naturam et systema intelligere mihi videntur, qui nesciunt illam variis rationibus excipi posse et debere, sine quo multa obliquis intuebimur hirquis. Vellem *peritorum et a praejudiciis liberorum attentione digna videantur* (multorum sane studiorum fructus; nisi de omni opere humano superfluum videretur, in hac nostra praecipue expositione multa esse manca specialiter testarer; quis vero hoc antea nesciret); optamus modo velint *genium* respicere, nec formam, numeros etc. hunc efficere; quod qui credunt, me numquam intelligunt. In Auctorum de singula fere re dissensu, singulorum judicia rite intelligire et exponere studui; si enim Auctorem legamus in eum tantum finem ut omnia fal-

sa inveniamus et ut paradoxa proponamus, facile patet nos nil rite excipere posse. Si hoc religiose evitaretur, quot contentiones etc. haud defuissent! Quae hoc loco recipere non licuit, alio loco reserventur.

Familia ipsa limitata, primum videtur summum et infimum gradum discernere. His inventis seriem sponte fluere credimus. Ex omnium plantarum Homonemearum analogia primus locus tribuendus *Dictyoteis*, ob radicem distinctam, frondem flabelliformem l. palmatam, fructum hymeninum, ascos clavatos, contextum reticulatum, ceteris longe perfectiorem minusque rudem e. s. p. Confirmant vegetatio, geographica distributio (centrum tantum in zonis calidioribus), analogia Caulerpearum, formae a ceteris maxime segregatae. Cum v. c. *Fucus* sursum facile per perfectissimam *Macrocystin* in Laminarias abit, deorsum per *Fuc. tuberculatum* in Furcellarias, quid sursum adnecteres *Zonariae* l. *Padinae Pavoniae*, in qua familia et omnes partes concentratae? — *Myrionemeas* esse infimas dubium esse nequit.

Tribus FUCACEARUM e structura thalli et fructus, quae typice et rite intellectae numquam inter se discrepant:

A.) *Apothecia composita;* excipulo a thallo formato et sporidiis, numquam primitus nudis externis, receptaculis partialibus (*ascis*, summis clavatis, dein pyriformibus floccosisve et rotundatis tandem s. *peridiolis* quae eorum series per omnes plantas Homonemeas) receptis,. *Thallus foliaceus* l. *rigide fruticulosus*, *erectus*, *contiguus*, *contextu fibroso composito solido*, *extus compactiori et unito.*

Prima tribus est *hymenocarpa*, altera *angiocarpa*, tertia *gymnocarpa.*

I. LAMINARINEAE. Apothecia innato-superficialia, maculae - l. striae-formia, absque excipulo inflato clauso-dehiscente discreto, sparsa *per laminam thalli frondosi, typo flabelliformi* l. *palmato! sed simul passim saccato-bullosi. Contextus fibroso-reticulatus* l. *cellulosus!* Descendunt hinc ad *Chordarieas*, illinc ad *Ulvaceas.*

II. FUCEAE. Apothecia tuberculosa, excipulo thallode distincto inflato coriaceo-corneo opaco dehiscente aut poroso-pertuso, sporidia cum receptaculis partialibus fixis aut filis conjunctis includente, enata e foliis (vide infra) aut fronde *thalli semper solidi frondosi ex-*

planati l. *foliiferi, typo pinnato et disticho, contigui. Contextus totus longitudinaliter fibrosus.* Descendunt ad *Ceramieas* et *Vaucherieas.* [Interdum foliorum loco *vesiculae*, in sequentibus omnino desideratae.]

III. FURCELLARIEAE. Apothecia nuda, a thallo hinc inde tumente formata, absque excipulo discreto aut dehiscente, peridiolis ascisve immersis. *Thallus fruticulosus, teres*, typo furcellato, fastigiato *contiguus. Contextus in centro cellulosus, in ambitu e floccis horizontalibus radiantibus constipatus, ut superficies contigua et unita.* Media inter priores ratio, utraque inferior, hinc cum *Myrionemeis* (quae Furcellariae fructus absque thallo) analogae.

B.) *Apothecia simplicia* i. e. tota receptacula partialia, externa, nuda, discreta, membranacea, pellucida, nunc ascos nunc peridiola referentes, ut singula per se apothecium sistant. *Thallus chordae* l. *filiformis, a tubulis concatenatis factus, filis nunc liberis articulatis, nunc in filum subcontinuum stipatis, tandemque ex hujus ambitu exeunt fila tenuissima septata.* Priores tribus in hac sectione redeunt inferiori gradu; quarta est *hymenocarpa*, quinta *angiocarpa*, sexta *gymno* s. *myxocarpa*.

IV. CHORDARINEAE. Apothecia (asci tantum in peridiola transeuntes) e contextu floccoso laxo e c ntro communi filiformi horizontaliter radiante enata, clavata, l. oblonga, sporidiis manifestis farcta. *Thallus teres, centro compacto contiguo, ex quo undique exeunt fila septata, summis stipata* (Chordarieis) inferioribus (Digeneis) discreta, ut sensim in *Furcellarieas* et *Ceramieas* abire videantur, at manifeste respondent *Laminarineis* et *Batrachospermeis.*

V. CERAMIEAE. Apothecia ex articulo (licet in nonnullis obscurus sit) thalli inflato enata (hinc in generibus, in quibus thallus e pluribus fibris constat v. c. *Polysiphoniis* in plures fibrillulas solvi possunt, in tubis simplicissimis v. c. *Callithamniis* sistunt membranam tenuissimam simplicem hyalinam) externa, discreta, membranacea, pellucida, («gigartina») subsphaerica, sporidia libera foventia. *Thallus filiformis, fistulosus l. centro molliori medullatus, e filis* (ex articulis seriatim

conjunctis et septo discretis factis) *nunc liberis, nunc longitudinaliter concretis atque tum articulis solidis thallus contiguus apparet.* Hinc abeunt in Fuceas, illinc Conferveis respondent.

Obs. Formae illae articulis obscuris l. apice tantum perspicuis (ut Rhodomelae filiformes, Fucus Helminthochortos L. etc.) in hac tribu limitanda fucum fecisse videntur. At sporidiorum et apotheciorum morphosin, thalli structuram etc. ut taceam, jam typo horum *fruticuloso sursum decrescente*, illorum *foliaceo sursum dilatato* c. s. p. primo obtutu discerni posse mihi quidem videntur.

VI. MYRIONEMEAE. Apothecia externa e thalli *septati* articulo inflato enata, discreta, sporidiolis s. massa grumosa farctis, in massam gelatinosam aut mucosam plus minus immersis conjunctisque. *Palmelleas repetunt, Oscillatorias referentes.*

Inter Ulvaceas videbimus in aquis (typice) dulcibus, eosdem omnino redire non tantum typos, sed saepe genera etiam, evolutionis gradum inferiorem semper servantia. Ignoscant et praetervideant alii aliter sentientes harmoniam a summis ad infima constantem quam in natura non quaerere mihi impossibile est; *haec est mea idiosyncrasia*, cui si indulgere haud liceret, horam naturae studio dicare non possem. Practico usu haud leve videtur discernere Phyceas absolute marinas et typice aquis dulcibus privas. Hac ratione separantur *Mollusca* in duas phalanges, nec differentiam illorum tollunt aquarum dulcium in mari obviae species.

Cum praecedente dispositione e structura et partium morphosi et metamorphosi, ut facilior et magis forsan practica conferenda

Dispositio e colore:

Inter singula genera primaria tam Ascomycetum, quam Lichenum invenimus quattuor definitas coloris series, non thalli tantum sed etiam sporidiorum, quae prorsus analogae singulum genus percurrunt, ita ut species analogae diversorum generum magis externa facie similes quam ejusdem e diversa coloris serie. Cfr. v. c. *Hydnum subsquamosum*: *Polyporus subsquamosus*: : *Hydnum cyathiforme*: *Boletus perennis* etc.

[His rationibus omnis dispositio secundaria Syst. Mycol. nititur, ubi quoque in hunc finem primus exposui anologiae et affinitatis differentias et vim in systema; illustr. *Decandolle* in litt. humanissimis mox datis se inter *Cruciferas*, eodem tempore editas, easdem rationes invenisse et secutum esse observabat.] Eadem ratio inter Lichenes; citrini v. c. *Evernia vulpina*, *Borrera flavicans* et *Parmelia parietina*, *Lecanora cerina* et *Biatora aurantiaca*, *Lecid. farinosa*, *Trachylia tigillaris* e. s. p. e thalli colore et facie seriem tam contiguam sistunt, ut singula cum suis proximis commutata fuerit. His antea neglectis coloris seriebus dispositio nostra secundaria Lichenum nititur. Inter Fucaceas *Lamouroux* primus distinxit has in seriem olivaceam, roseam et viridem. Plene viridem seriem e Fucaceis bene exclusit *Reichenbach*. Restat igitur tantum duplex; sed singula harum in duas facile resolvitur, praeter colorem etiam aliis rationibus inter se congruas. Sunt:

I. *Olivaceo-nigrescens*, sporidiis nigricantibus. His thallus firmior, coriaceus, apothecia optime explicata, *terminalia* (inde a Fucis ad *Clavatellas* inter Myrionemeas, ubi hae rationes jam indicantur manifestae) saepissime persistentia, excipulum et receptacula partialia semper evidentiora (quare in singula tribu genera olivacea sunt typica maxime), vita perennans, plurimae saxicolae et casu quasi parasiticae. Inter has tamen et *Rufo-fuscentes* [*Zonaria deusta*, *Laminariae purpurascentes*, *Chondri*, *Polyides* cum *Furcellaria*] in singula tribu plures transitus, et considerata simul structurae harmonia (v. c. *Sphacelariae* et *Polysiphoniae*, *Callithamnii* et *Ectocarpi*; *Chordariae* et *Helminthorae*, *Perichordae* et *Nemalionis*, *Clavatellae* et *Cruorieae*, *Myrionematis* et *Elachistae*, plurimas rationes ut reticeam, facile patet, olivaceam seriem non cum luteo-virescente, ut vulgo fit, sed cum *Rufofuscescente* potissimum esse comparandam. = *Fucoideae*.

II. *Rufo - aut vinoso - fuscescens*, sporidiis in rufum vergentibus. Bene quidem a priori definita, licet multis rationibus congruens; a *sanguineo-rosea* longius distat. Partium structura a priori vix differt, substantia tamen tenuior, cartilaginea, color vinosus aut purpurascens

siccitate fuscescit, *apothecia lateralia*! minus evoluta, ostiolo simplici. Plurimae rupestres, paucae parasiticae. = *Rhodomelaenae*.

III. *Sanguineo-rosea*, sporidiis roseis, siccitate colorem servans plurimis notis a praecedentibus differt. Structura semper tenuior, consistentia membranacea l. pellucida, apothecia (normalia in his rara, frequentiora accessoria) clausa, receptaculis partialibus longe imperfectioribus, sporidia minima, interdum vix discernenda, conglobata. — Plurimae in Algis majoribus parasiticae. Illa tenuitas thalli et apotheciorum, numquam dehiscentium pellucidorum, jam in Callithamniis indicata totam seriem percurrit. — Cum praecedentibus itaque confundi nequit, sed elotae aliisque rationibus temperatae facile multae species virescunt ut structura parum recedente saepe aegrius separetur sequens. *Florideae*.

VI. *Luteo-virescens*, siccitate in perfectioribus nigrescens; in inferioribus expallens, *sporidiis virescentibus*, sed haec omni respectu infima et Ulvaceis proxima series, contextu et substantia tenuissima, herbacea omnino in explanatis, apothecia rarissime edit, immo hactenus nulla (ut in *Desmarestia*, *Dichloria*) vel omnino amphibola (*Elachista*) ut perinde saepe videatur utrum inter Fucaceas an Ulvaceas recipiantur. Analogia et structura, nec non locus absolute marinus, hoc loco absque dubio servant. Historia ceterum ita cum sanguineo-roseis convenit, ut si duas distinguerem tantum series has duas et duas priores conjungerem. Sed ut infimam decet vix minus reliquas tangit, in *Elachista* cum olivacea jungitur. Sic natura in infimis ea tantum indicat, quae in superioribus divellit. — *Luteo-virescentem* infimam esse jam ex formarum inopia patet. *Dichlorideae*.

Diversae hae coloris series in singula supra descripta tribu redeunt, unde ex hodiernis principiis totidem genera.(?) Accedunt varia genera secundaria aliis notis distincta. En primariorum schema ut tam analogia, quam affinitas et *Fucacearum* evolutionis gradus, uno conspectu intueantur.

Olivaceae.	*Rufo-Nigric.*	Roseae.	*Luteo-virescent.*
1. Dictyota.	2. *Padina.*	3. Nitöphyllum. *)	4. *Haliseris.*
5. Laminaria	6. *Halymenia.*	7. Phyllophora	8. *Asperococcus.*
9. Macrocystis.	11. *Odonthalia*	13. Delesseria.	15. *Desmarestia*
10. Fucus.	12. *Chondrus.*	14. Laurencia.	16. *Dichloria..*
17. Furcellar.	18. *Polyides.*	19. Ahnfeltia.	20. *Sporochnus.*
21. Chordaria.	22 *Helminthora.*	23. Perichorda.	24. *Nemalion.*
25. Mesogloja.	26. *Digenea?*	27. Chaetospora.	28. *Dasycladus.*
29. Cladostephus	31 *Rhodomela.*	33. Lomentaria.	35. *Arthrocladus.*
30. Sphacelaria.	32. *Polysiphon.*	34. Callithamnion.	36. *Ectocarpus.*
37. Clavatella.	38. *Cruoria.*	39. Myrionema.	40. *Elachista.*

Reliqua genera affinitate manifesta suis locis facile inseri possunt. Si longitudinaliter, transversaliter l. secundum numeros legas seriem habebis satis contiguam. E characteribus Scanicarum infra datis quaedam forsan elucescent.

I. LAMINARINEAE Ag. Apothecia a) *emersa* in lineas l. series concentricas situ determinato disposita = *Dictyoteae* (thallus evidenter reticulatus, saepius flabelliformis, radice subdistincta villoso-fibrillosa); b.) *immersa*, = *Laminarieae* (thallus cellulosus, frondosus, integer, digitato- l. palmato-fissus, basi contigua scutata l. lobata).

a. *Dictyoteae.* In nostra regione desunt, et quidem in Fl. Suecica, donec nuperius Amic. Areschoug *Dictyot. dichotomam* et *Striariam* (mihi tamen potius Asperococci sp.) easdem vindicaverit.

---

* *Nitophylli* Gr. pulcherrimum genus, ob contextum, foliorum typum ceteraque ad Dictyoteas referre haud dubitavi. His accedit analogia cum *Caulerpa ocellata*, generis Zonarieis inter Ulvaceas respondentis. At hoc nomen, non tantum contra regulas rei herbariae, sed etiam grammaticas formatum, intactum relinquere criticos vix sperare licet. Novo nomine haud opus tamen est; habemus *Wormskjoldiae* Spr. synonymon, quod nomen in re herbaria perire non debet.

b. *Laminarieae.* Apothecia a) in lamina *thalli coriacei olivacei* hinc inde incrassata maculaeformia = *Laminaria;* b) sori superficiei *thalli cartilaginei vinoso-purpurascentis* iunati = *Halymenia;* c) tubercula in lamina *thalli membranacei sanguineo-rosei* echinato-rugosa = *Phyllophora*, d) puncta echinulato-prominula thallum membranaceo-herbaceum *flavo-viridi fuscescentem* exasperantia = *Asperococcus.* Genera oceanica, apud nos in sinu Codano; cum seqq. grege primum ad balticas species pervenimus. *Fuci* L.

1478. LAMINARIA *digitata* L. digitato-fissa.
In sinu Codano passim. [In L. *buccinali*, genere distincta = *Eklonia* Horn., apothecia marginalia ut in in plerisque *Rhodomeniis* Grev.]

1479. L. *saccharina* L. elongato-oblonga, integra.
In mari ad Kullaberg, Torekow.

1480. HALYMENIA *palmata* Ag. palmata, ecostata.
In sinu saltim Halmstadiensi (sic dicimus sinum inter Torekow Scaniae et Tylen Hallandiae; in hoc plurimas nostras species collegimus). Ex hoc genere prorsus excludentur ex Gaill. et Grev. *Dumontiae* Lamour. *Halym. rubescens* Lyngb.! p. 27 (sub Ulva) vera hujus generis species.

1481. PHYLLOPHORA *rubens* L. digitata, obsolete costata.
In sinu Halmstadiensi. Foliorum typo digitato, fructu etc. Laminarieis adscribenda. Genus Delesseriae analogum et cum eadem primo junctum, dein nomine Dawsoniae separatum a Lamouroux: Greville distinxit sub Phyllophorae nomine.

1482. ASPEROCOCCUS *plantagineus* Roth. planus, digitato-fasciculatus, lanceolatus. *Ulva*! Roth. *Zonaria?* Ag.
In sinu Codano passim. Stipes, rarius frons, rubens ex Grev. ut cum priori confluere crederes; est tamen e serie viridi-herbacea et ob thallum planum ab hoc genere non separandus. *Asperococci* nomen vero characteristicum plurimi restituerunt, et puram utique eruere licet etymologiam.

1483. A. *fistulosus* Hook. cylindrico-fistulosus.
Ad litora maris passim. Scytosiphon fistulosum s. S. filum β. Ag — et Encoel. echinatum simul ex Grev. (?) Proximum *A. bullosum* Lam. Florae Sueciae vindicavit Areschoug.

II. FUCEAE. Apothecia a) *tuberculosa*, poris pertusa; includentia peridiola pyriformia libera floccis adnexa, limbo hyalino = *Fucus* (thallus olivaceus, coriaceus); b) *urceolato-dehiscentia*, peridiolis pyriformibus paucis fixis = *Odonthalia* (thallus cartilagineus e vinoso fuscus); c) sphaerica pertusa (? an omnibus) e fronde cartilaginea enervi = *Chondrus* l. clausa e fronde membranacea costata laete sanguinea = *Delesseria* (peridiola parum evidentia, ut limbus hyalinus aegre conspicuus) d) *ignota*, thallo distiche pinnato ciliato-dentato e viridi nigricante = *Desmarestia.* Fuci L.

1484. FUCUS *siliquosus* L. distiche ramosus, compressus, vesiculis apotheciisque liberis siliquaeformibus.
In sinu Codano v. c. ad Torekow frequens. Hujus vesiculae respondent foliis discretis in generibus exoticis (*Sargasso*, *Cystoseira*); ad hanc ex Agardh melius transferatur, plerisque genus peculiare intermedium (Halidrys).

1485. F. *nodosus* L. ramoso-compressus, vesiculis innatis solitariis, apotheciis in ramulis (lateralibus) terminalibus.
In sinu Codano; copiose legimus ad Kullaberg.

1485. F. *vesiculosus* L. frondoso-dichotomus, integerrimus, vesiculis binis infra-axillaribus.
In utroque mari; in baltico angustatus, ut costa solum demum maneat: F. *balticus* Sv. Bot.; Tales hujus tamen formae steriles, sursum dilatatae facile a Ceramieis separantur. [F. *ceranoides* Ag. evesiculosus, tenuior, apoth. acuminatis, ad Stensjö Hallandiae adjacent.]

1487. F. *serratus* L. frondoso-dichotomus, serratus.
In utroque mari passim.

† ODONTHALIA *dentata* L. pinnatifida, costata.
Ad proxima Hall. litora lecta. Priori tenuior.

1488. CHONDRUS *crispus* L. cartilagineus dichotomo-frondosus sursum dilatatus, apoth. e lamina.
In sinu Torekowensi, ni fallor ad Kullaberg, saxis adnatus ut sq., rarior. Fuscorubens, versiformis (Ch. *mamillosus* valde obscurus ut cum Fuc. *canaliculato* comparari posset.]

1489. C. *membranifolius* Grev. cartilagineo-membranaceus, foliis cuneatis bifidis, apoth. infra laminam.
In utroque mari frequens, cum C. *Brodiaei* s. prolifero,

apice fertili: valde tenuis in baltico. Hunc expallentem saepe et virentem ad *Delesserias* cum Lamour. potius forsan referres, nec apoth. dehiscentia vidi. Hiatus diversas rationes in multis valde insignes vidi, sed raro apud auctores indicatas. [Ch. *Bangii* Horn. laciniis cartilagineo-membranaceis lacero-dentatis, — ad insulas Danicas — quem a Bangio ipso cum omnibus facile Lyngbyanis habeo, ad roseam seriem pertinet et apotheciis e centro versus ambitum dehiscentibus peculiaris generis forsan typus.]

1490. DELESSERIA *sanguinea* L. foliis ovalis integerrimis.
In fucis sinus Codani ut sqq. parasiticus. Pulchrum *Delesseriae* nomen ob Lessertiam delere hypercritica sapit. Sed et meritissimi *Wormsköldii* nomen servandum — forsan *Nitophyllis* Grev., quod nomen aegre persistere potest.

1491. D. *sinuosa* Turn. foliis oblongis sinuatis.
Cum praecedente frequentior.

1492. D. *alata* L. lineari-alata, pinnatifida.
Cum praecedentibus passim.

Obs. A Delesseriis tenuissimis aeque ac *Lomentariis* separandas fingimus *Laurencias* Lamour. Gaill. Gr. apotheciis in ramulis innatis pedicellatisque poro pertusis, peridiolis fixis pyriformibus, thallo prorsus contiguo absque articulis et partibus discretis. Nulla adest harum apud nos species, primum in Bahusia obviam veniunt una cum, inventore Areschoug, *Bonnemaisona Asparagoide* Ag., quae Laurencia quasi tenuissima.

1493. DEMARESTIA *aculeata* L. frondoso-filiformis aculeolata.
In sinu Halmstadiensi reperta. [Ex *Lyngby* circa Bornholm.]

Duas inter hanc tribum separare licet series transversales ut supra indicavimus.

III. FURCELLARIEAE. Receptacula partialia 1) oblonga, limbo hyalino a) in tuberculis terminalibus incrassatis = *Furcellaria* (fusco-nigrescens) b) lateralibus spongiosis = *Polyides* (purpureo-nigrescens); 2) clavato-filiformia, articulata in tuberculis a) oblongis sparsis ramos aequales amplectentibus = *Ahnfeltia* (rubro-expallens) b) hemisphaericis in

apicibus ramorum, inde torulosorum congestis = *Sporochnus* (virescens). Thalli typus in *Laminarineis* flabelliformis l. palmatus, in *Fuceis* pinnatus, in his constanter dichotomus, furcellatus, fastigiatus, unde etiam singularis structura thalli, *Chordarieae* quasi compacta, hinc inde tantum fructu formando tumescens et relaxata. Linnaeo ***Fuci.***

1494. FURCELLARIA *fastigiata* Lamx. rigida, basi fibrosa.
In utroque mari, copiosa.

1495. POLYIDES *lumbricalis* A. lubrica, basi scutata.
In utroque mari passim. "So closely is this plant allied the *Furcellaria fastigiata,* that it is much to be regretted they cannot be retaineæ in the same genus" Hook. Cfr. quoque Ag. Spec. Alg. 2. p. IX. Certe inter *Furcellarieas* eisque analogas *Myrionemeas* (Furcellarieae quasi sine thallo!) coloris series prorsus obliterari videntur. Sic *Furcellariae* color vegetus potius in purpurascenti-fuscum verget, *Polyidis* macrioris contra fusco-olivaceus, *Ahnfeltia* (typice rubens) in diversis statibus singulas series percurrit et *Sporochni* typicus lutescens in olivaceum, rubescentem et nigricantem abire visus est. Hinc dubia Lyngbyi, Linkii aliorumque de vi coloris structuram, fructum reliquasque conspirantes differentias in dispositione vincendi orta videntur.

1496. AHNFELTIA *plicata* L. subpellucida, basi callosa.
In sinu Codano passim. Nomen generis ut videtur distinctissimi dedimus gratum, in memoriam Botanici acutissimi, variis de Muscis dissertationibus et plantis Norvegicis meritissimi, hanc speciem eximie fructificantem cum aliis Phyceis rarissimis e Norvegia reportantis. Hujus porro generis sunt *Ahnf. Griffithsiae, dura* Ag. sub Sphaerococco. Similem fructum in *Fuceis*. ut atypicum occurrere novimus, sed ex structura *thalli* Fucaceus in hoc genere formari nequit.

1497. SPOROCHNUS *rhizodes* Ag. flaccidus, basi simplici.
In utroque mari, dichotomus sed ob structuram centri cellularem ut prior interdum fistulosus. Seriei luteovirentis indoles *herbacea* indicatur tenui et flaccido thallo; sanguineo-roseae *membranacea* in *Ahnf. plicata* pelluciditate [in *Lomentariis* etc. iterum obvia], *carti-*

laginea seriei purpureofuscae mollitie et *coriacea* seriei olivaceae rigiditate. — Sporochnus ceterum valde accedit ad *Chordarieas*, quibus olim ab Agardhio adscriptus, et vix essentialiter ab *Ahnfeltiis* differt.

IV. CHORDARINEAE. Nobis paucae formae. In duas sectiones abire fingerem e receptaculis partialibus 1) ascos l. granula referentibus, thallo filiformi extus innata = *Chordarieae;* 2) peridiola sistentibus libera, filis e thallo exeuntibus liberis pedicellata = *Digeneae.*

a. *Chordarieae.* Sporidia recepta a) ascis undique immersis thalli axi innatis radiantibus, a) e filiformi clavatis l. obovatis; includentibus sporidia olivaceo-fusca = *Chordaria* b) e filiformi oblongis sporidiis roseo-purpureis = *Helminthora* (in utroque genere thallus lubricus, in superficie saepe in floccos solutus, tum Mesoglojae faciem induit; *Chordaria* ex olivaceo — Helminthora e rubro nigrescit) 2) granulis hinc inde immersis; thallus ramulis heterogeneis moniliformibus subverticillatis = *Perichorda* (Rivul. coccinea *Engl. Bot?*) l. simplex, uniformis, sporidiis virescentibus = *Nemalion* Duby, Ultima duo genera nobis desunt.

1498. CHORDARIA *Filum* L. tubuloso-septata, simplex.
In mari, praecipue Öresund, vulgatissima. Asci perfecti obovati, cfr. Hook. Brit., seqq. tum similes; reliqua ita congruunt ut genera vix distinguam. Differt praecipue medulla in centro disparente, thallo subfistuloso, sed idem non tantum in variis affinibus, sed etiam in *Sporochno rhizode*, *Spongiocarpo plicato* etc.

1498. b. C. *flagelliformis* A. farcta ramosissima.
In utroque mari. [C. *divaricata*, *dichotoma*.]

1499. HELMINTHORA *multifida*, dichotoma, erecta, teres, rubra. *Rivul.* Web. Mohr.
In saxis maris in Kullaberg lectam accepimus, et per viginti annos copiose legi ad Badhuset prope Halmstad. Hoc loco 1821 scrupuloso subjeci examini, quia tum temporis ab Agardho ad *Chaetophoras*, a Lyngbyo ad *Chordarias* ducebatur. Cum his plurima habere communia et ascos e filis enatos cum sporidiis (quales nuperius Domina *Griffiths* in *Helm. Agardhii*, Mesoglos. Hudsonii Ag. excl. syn. ex Hook.) primus vidi, hinc novum genus, e *Vermiculorum rubrorum forma* deno-

minatum, constituendum mihi concessum finxi. Ad *Mesoglojas* dein in Ag. Syst. relatum vidi, sed cum mea ex sententia ad alium evolutionis gradum nempe Chordariae pertinebat, genus servabam, nescius an reliquae *Mesoglojae rubrae* hujus essent loci; *Gigartinam lubricam* Lyng. saltim excludendam videbam. [Num haec identica sit cum *Fuco capillari* Turn., qui ad Helminthoram ut ad Chordariam *F. filum* accedere videtur, in medio relinquamus.] Eadem ratio reliquorum generum Phycearum, quorum determinationi meis observationibus omnem vim denegatam vidimus. Ut reliqua etiam verba mea »qui aliorum tribus ad genera promovet, non harum Auctor salutandus, nisi *novis* nitantur *observationibus*" contra meam mentem interpretata. Talia sunt v. c. genera multa Grayi etc. Qui vero fructificationem speciei veram et plane a genere, cui adscribitur, recedentem detegit, ei a genere separare officium esse quisque facile concedet Botanicus. Discrepantia ab Agardhiana collocatione ex eo jam patet, quod meum genus in aliam sectionem abiit. Id manifestum puto *Helminthorae* genus aeque parum a verbo "rubrae" sub Mesogloja, quam *Aegira* a verbo "frondosae" sub Rivularia, enatum esse.

b. *Digeneae* omnes in hac regione desunt. Genera hujus loci *videntur* Agardhiana Mesogloja (*olivacea*) Digenea (*purpurascens*, fructus ignotus) Chaeto spora (*rosea*) Dasyclad. (*luteo-virescens*). Nunc et Digeneam nos haud vidisse observandum est. Qui mihi largiatur singularem parat voluptatem.

V. CERAMIEAE. Apothecia 1) dehiscentia, membranacea, subpellucida (i. e. gigartina) a) *in thallo olivaceo*, ex apicibus ramorum tumentibus (dein scutellato-aperta, sporidiis moniliformi-concatenatis = *Lichina*, h. l. recipienda, nisi manifestius Byssacea, vide supra) lateralibusque sporidiis coacervatis nigris, 1. filo primario solido contiguo, ramis heterogeneis oppositis verticillatisque = *Cladostephus* l. e tubis longitudinalibus facto septato, ramis alternis homogoneis = *Sphacelaria*; b.) in *thallo rubro-nigricante* discreta, lateralia, sporidiis ovatis liberis fuscorubris, filo *nunc* solido, ramulis subheterogeneis = *Rhodomela*; *nunc* e tubulis longitudinali-

bus facto, septato ramulis saepius homogeneis = *Polysiphonia;* c.) in ramulis *thalli rubentis expallentisque;* nunc *innata* (eisque saepe apiculata) diffracto-dehiscentia, sporidiis minimis conglomeratis = *Gigartina* (thallus solidus, saepius omnino contiguus) *nunc adnata* poro pertusa, sporidiis angulatis liberis = *Ceramium* (thallus solidus l. inflatus, saepius geniculatus): 2) tenuissima, limbum hyalinum aut virescentem sistentia, astoma, in filis tubulosis septatis nunc, cum sporidiis, roseis = *Callithamnium*, nunc, cum sporidiis, luteo-virescentibus = *Ectocarpus*.

Genera valde multiplicata; longe plura distinguunt auctores. Si meam aperte dicam sententiam nimia vis tribuitur filis primariis heterogeneis; filis ex uno l. pluribus tubulis compositis. Occurrunt *Sphacelariae* una articulorum serie; *Callithamnia* filis inferne e pluribus tubulis factis. [Lyngby, qui aliorum praemonita in hac grege exposuisse tantum creditur, *Dasyae* genus aperte praemonuit p. 124; et hic fuit omnium temporum genius ut idea primo nascatur, dein ab alio perducetur].

1500. CLADOSTEPHUS *plumosus*, ramulis pectinato-pinnatis. *Sphacelaria* Lyngb.

In sinu Codano. *Agardh.* Cum rami oppositi et verticillati magis inter se affines, quam oppositi et alterni; cum insuper heterogenei sunt et definiti (omnino vagi in *Sph. pennata*) hanc speciem inter Cladostephos, confirmante toto habitu, recipere non dubitavi. Fructus enim differentiam inter citata genera nullam esse jam constat. *Griffithsiae* analogae ob ramos verticillatos a congeneribus non separantur. — Genere sic extenso *Dasytrichiae* nomen quidem, quod Galli antiquius contendunt, aptius quidem videtur, sed *Ceramiorum* expositio Rev. *Agardh* tantum debet, ut ejus nomina quousque fieri licet servare debemus.

1501. SPHACELARIA *cirrhosa* Ag. subpinnata.

In utroque mari passim.

1502. RHODOMELA *subfusca* Ag. pinnato-ramosissima, flaccida, ramulis subulatis articulatis.

In utroque mari copiose. Rhodomelae reformatum genus immediate inter *Sphacelarias* et *Polysiphonias* esse collocandum jam pridem optime docuit Cel. *Gaillon.*

1503. Rh. *elongata* Huds. (Conferv.) stricta, geniculata, geniculis reticulato-venosis. *Hutchinsia* Ag.
In saxis in sinu Codano, ad Kullaberg, Torekow etc. rarior. Ob articulos venoso-reticulatos potius forsan *Rhytiphlaeam* diceres, sed ista differentia in sqq. redit saepe accidentalis, monetque Cel. *Agardh* inter *Rhytiphlaeas* et *Rhodomelas* vix ullos existere limites.

1504. POLYSIPHONIA *nigrescens* Ag. dichotomo-ramosissima, inferne nodulosa, nigrescens. *Hutchinsia.* Ag.
Ad litora sinus Codani haud raro. — Sub *Ceramii* nomine tota fere tribus primo complectebatur, dein ad articulatas restricto. Quae praesens genus, quod vastissimum totius tribus, constituunt, centrum generis erant et ex his nomen sumtum (κεράμιον, urceus), nam his solis apothecia urceolata. Utpote evidentissima haec grex una cum Dasyis, a Lyngbyo exclusis, prima quoque a reliquis distincta fuit sub nomine *Hutchinsiae* Ag.; dolendum sane id nomen persistere non posse ob *Hutchinsiam* Brown. etiam a Kochio restitutam. Mihi Syst. Orb. veg. edituro *plena erat nominum confusio*, quisque suum tuebatur, hinc ut nova nomina specierum saltim vulgatiorum evitarentur et ne periret *Ceramii* nomen (exiguum illud fragmentum nunc Ceramium dictum constantius cum *Lomentariis* jungendum) in Ceramiearum tribu, prisci generis speciebus primariis restituendum finxi. *Hoc justum fuisset*; sed cum *Polysiphoniae* ab omnibus fere receptum videam, meum suffragium facile mittam.

1505. P. *violacea* Ag. diffuso-ramosissima, nigrescens, apice roseola, articulis venosis.
Ad litora maris copiose, sed cum priori, quae concolorem habet varietatem, saepe confusa. Accedunt plures species affines, de quibus clr. *Ag. Spec.*

1506. P. *tenuis* Ag. diffuso-ramosissima, obscure purpurascens, articulis imis obsoletis.
In Öresund, ad Lomma detexit *Agardh.*

1507. P. *roseola* Ag. patenter virgata, purpureo-vinosa expallens.
In sinu Codano et, ex Ag. syn. in baltico.

1508. P. *Byssoides* Ag. decomposito-pinnata, e roseo fuscescens, ramulis multifido-penicillatis.
Speciem spectabilem a ceteris valde recedentem ad Kullaberg legimus. [H. *aculeata* Ag., articulis duplo brevioribus, ad Båstad lecta. Mihi deest].

1509. GIGARTINA *purpurascens* Huds. ramosissima, rubra, subdiaphana, apotheciis innatis apiculatis.
In sinu Torekowensi saltim habeo.

† G. *Confervoides*, ramosa, rubro-virescens, diaphana, apoth. ad latera protuberantibus muticis.
Cum priori in Hallandia, forte etiam in Scania. *Gelidium* est genus analogon seriei rufofuscae. Sunt novae sectionis Ceramieis reliquis altioris rudimenta.

1510. CERAMIUM *rubrum* Roth. rubrum, opacum, geniculis constrictis. *Lomentaria*.
Ad litora maris frequens. Ad pulcherrimas *Lomentarias* Gaill. (Chylocladias Grev. Hook., nomen recentius) ita accedunt *Ceramia*, ut in schedulis meis eisdem subscripserim. Neque habitu, neque generico charactere a Loment. tenuioribus differunt. — Ceteris insignior L. *Kaliformis* etiam Florae Suec. civis, ex Areschoug.

1511. C. *diaphanum* Roth., expallens, pellucidum, geniculis obscurioribus tumidis. *Lomentaria*.
Est e vulgatissimis ad omnia maris litora. [*Ciliae* ad genicula in C. *ciliato* analogiam cum *Arthrocladio* indicant. *Dasyae* genus, a Lyngbyo praemonitum, inter hoc ut *Dasya coccinea*, Fl. Sueciae vindicata ab am. Areschoug, et sequens, (*Call. arbuscula* etc.), e fructu et thalli habitu dispescerem.

1512. CALLITHAMNIUM *thuyoides* A. flaccidum, ramis alterno-bipinnatis. *Cer. roseum* Ag. disp.
In Kullaberg Ag., unde quoque nostra spp. [*Griffithsiae* omnes nobis desunt]. (C. *corymbosum*, ramulis alterno dichotomis, in proximis saltim adest.)

1513. C. *repens* Lyngb. reptans, ramis ramulisque secundis divaricatis.
In fucis in utroque mari.

1514. C. *languinosum* Lyngb. patens, filis simplicibus vageque divisis. C. pubes *Ag.?*
Ad Ceramium rubrum.

1515. ECTOCARPUS *litoralis* A. viridi-fuscescens, intricatus flaccidus, articulis diametro subaequalibus.
Ad litora maris copiosissime. Simillima stirps cornua gerit siliquaeformia = *Ect. siliculosus* Auct.

1516. E. *compactus* Ag. ferrugineus, semi-compactus, filis liberis divaricato-ramosis. articulis diam. duplo longioribus.
In utroque mari passim.

1517. E. *tomentosus* Lyngb. lutescens, in funiculos omnino compactus, artic. diam. triplo longioribus.
Ad Kullaberg, Torekow [Halmstad ad Badhuset.] Quid Sphacelaria ad Cladostephum, hoc genus ad Arthrocladium. Hanc speciem Codium tantum referre, nec affinem esse, in S. O. V. et Ag. Specc. jam observatum, quare Codia inter *Vaucherias*, Ectocarpum juxta *Confervas* s. d. *Fucicolas* collocavimus. Quia ex omnibus generibus his proximi videbantur. Has mox infra in in seqq. evolutionis gradu nunc recipere licet. *Sphacelaria* ob apoth. perfectiora, terminalia, sporidia et gonidia nigra, thallum perfectiorem, normaliter aliter coloratum seriei olivaceae propius accedit, licet in infimis punctis diversae coloris series valde sibi appropinquent.

VI. MYRIONEMEAE. Peridiola a) *terminalia* clavata in apice floccorum (ramosorum) septatorum a centro undique radiantium et in tuberculum gelatinoso-coriaceum stipato-conglutinata = *Clavatella* (olivacea) b) *adnata* basi floccorum tenuissimorum aequalium a basi radiantium in crustam coriaceo-gelatinosam conglutinatorum = *Cruoria* (fusco-purpurescens); c) *immixta* filis clavatis septatis in massam gelatinosam conglutinatis = *Myrionema* (purpureo-expallens) d) *lateralia*, in filis articulato-concatenatis in tuberculum primo junctis, mox exsertis liberis penicillatis vulgo sterilibus = *Elachista* (luteo-virescentia l. fuscescentia). Analogia undique manifesta, praecipue cum generibus primariis *Undinearum*, a quibus fructu Fucacearum unice fere differunt. Ceterum ut Chaetophora est Myriodactylon abbreviatum, *Clavatella* est Chordaria, *Cruoria* est Helminthora contracta.

1518. CLAVATELLA *difformis* L. Tremella.
In sinu Codano Fucaceis inhaerens, haud raro v. c.

in sinu Halmstadiensi. Simillimum vidi globum tomentosum (decrepitum, Ectocarpi facie) cum *Chordaria quadam soluta tomentosa* comparandum. Plantam a Lyngby optime illustratam peculiare sistere genus manifestum erat, quod vero plurimis nominibus mox ornatum. Cel. *Boryi*, qui plures habet species, antiquissimum videtur; *Corynephorae* a Corynephoris, graminum genere, distingui nequit. Specificum Linnaeanum simul optimum, in familia absolute marina inde sumtum nomen superfluum.

CRUORIA. Huc Chaetophorae marinae Hook. Brit., ubi plenior fructus descriptio. Ut membrum evidens in nostra dispositione necesse fuit genus proponere novum. *Cruoriam pellitam*, (Chaetoph. *Lyngb.*)! in Fyonia lectam et ab Hoffman-Bang nobis communicatam, apud nos reperiundam credere fas sit.

1519 MYRIONEMA *punctiforme*? Harv. minutum, hemisphaericum, filis clavatis. *Linkia* Lyngb. t. 66.
In Ceramio rubro simillimam plantam nobis obviam venisse certe meminimus, sed tum incompletam censuimus et rejecimus.

1520. ELACHISTA *velutina*, filis demum in stratum velutinum intertextis ex olivaceo-expallentibus. Sphacelaria *Grev.*!
In Fuco serrato in sinu Halmstadiensi? Spec. e hoc loco sterilia. *Elachistae* genus a cel. Duby propositum dilatavimus; E. *scutellatae* fructum in dubium vocatum novimus, sed in nostris spp. Gallic. adest descriptioni conveniens. Quaerendus in omnibus in statu juniori, s. vernali.

1521. E. *ferruginea*, filis simplicibus caespitoso-fasciculatis ferrugineo-lutescentibus. *Conf.* Roth.
Vulgatissima ad Fucos, versus autumnum expallens. *Conf. fucicola* Auct.

1522. E. *flaccida*, filis tenuissimis fasciculato-penicillatis fuscovirentibus. *Conf.* Dillw.
Cum priori rarior v. c. ad Kullaberg. — An hujus porro generis *Linkia Ceramicola* Lyngb.? Cum *Calotriche scopulorum* aegre jungam. Mire infima in singula serie confluere videntur.

Fam. LXXXIII. ULVACEAE.

Char. Apothecia (tam vera, quam receptacula partialia) et sporidia genuina nulla! gonidiis tantum rotundis, viridibus l. rubris, multiplicantur. Thallus est membrana simplex, absque omnibus stratis heterogeneis, vulgo filiformis, saepe vero distentus, gelatina infarctus vel e gelatina amorpha plura fila conglutinantur. *Algae aquaticae*, (plerumque aquae dulcis) *subannuae*, *continue vigentes*, *homogeneae absque omni veri fructus et sporidiorum metamorphosi.*

Patres jam sub *Bryi* nomine vastam hanc omniumque Chlorophytarum elementis typice accedentem familiam distinxerunt; *Dillenius*, Fucaceis separatis, cum Muscis conjungebat. Quae ad easdem a Fucaceis separandas cogunt rationes jam supra expositae sunt. Sed inter Ulvaceas, Conferveas etc. nulli omnino exstant limites. Gelatina affinitatem saepe personatam reddit. Licet Ulvacearum et Fucacearum infima puncta confluere videantur, non commiscendae, nam ex hac ratione omnes non tantum inferiorium Vegetabilium sed Animalium etiam limites tollerentur. A myceliis Fungorum Ulvaceae facile dignoscuntur gonidiorum praesentia, colore, morphosi imperfectiori, cum Mycelia extus separant conidia, eorum color numquam herbaceo-viridis, adulta sporidia semper enituntur. Difficilius est discernere thallum sterilem *Byssacearum* tam ab his, quam praecipue a Diatomaceis, nec nisi ulteriori metamorphosi a statione aërea discernuntur. — Evolutionis gradus inter Ulvaceas eandem seriem sequuntur ac inter Fucaceas, mutatis tamen iis, quae e verorum apotheciorum defectu necesse pendent. Hinc major vis thalli et gonidiorum. Color plerisque herbaceo-viridis, raro violaceus aut purpurascens. Tribus e Syst. Orb. Veg.

Ser. I. *Thallus continuus*, *contextu composito*, *in paucissimis fasciculatis soluto.*

I. ULVEAE. Thallus membranaceus, continuus, absque receptaculis gonidiorum discretis; gonidiis in membrana innatis. *Hymenothalli*, *analogae hinc* Laminarieis, *illinc* Bangieis.

II. VAUCHERIEAE. Thallus membranaceus, filiformis, continuus, filis plerisque in figuram determinatam coalescentibus, nostris vero saepius solutus caespitosus;

gonidiis in humore aqueo solutis, in vesiculis aut ramulis (Bryopsis) articulato-discretis receptis. *Gasterothalli. Hinc cum Fucaceis, illinc cum Conferveis et Lemanieis analogae.*

III. UNDINEAE. Thallus continuus, gelatinosus, figurae determinatae, intus filis farctus extusque membrana mucove corticatus. Fila e centro communi radiant et gonidia sistunt. *Myxothalli; cum Furcellarieis structura, cum Palmelleis Oscillatoriisque vegetatione analogae. Rivulariae ad Oscillatorineas directe fere transeunt.*

Ser. II. *Thallus e filis discretis articulatis l. in gonidia solutus.*

IV. BATRACHOSPERMEAE. Fila biformia, secundaria a primario verticali subheterogeneo egressa, gonidiis plerumque extus gemmiparis. *Hinc Chordarieis, illinc Hydrureis analogae, plerumque gelatinosae.*

V. CONFERVEAE. Fila uniformia, discreta, tota ex articulis concatenatis facta, gonidiis intra articulos. *Hinc Ceramieis, illinc Fragilarinis affines.*

VI. PALMELLEAE. Gonidia libera vel in fila variasve figuras copulata, in muco matricali indefinito (nec corticato) nidulantia. Hinc cum *Myrionematibus* et *Undineis, illinc cum Oscillatorieis, Frustulieis confluunt.*

Multifariam analogiam, quam siglis in S. Orb. Veg. exprimere studui, pauci perspexerunt; nunc verbis indicavimus; his rationibus clare perspectis signaturam fore magis compendiosam facile quisque videt. — *Undineae* et *Palmellae* in conterminis Diatomearum sunt positae; hinc aliis *Nostocineis* aperte ad Diatomeas referendis, in S. O. V. non potui non omnes ad Diatomaceas referre.

I. ULVEAE. Duplex ut analogarum *Laminariearum* sectio, altera radice discreta repente = *Caulerpeae*, Dictyoteis respondens, nobis exotica; altera absque radice discreta = *Ulveae* str. s. dict. Harum apud nos genera: Gonidia 1) in membrana aequabili quaternata = *Ulva* l. areolata densisime aggregata = *Enteromorpha* (Utrique, hoc loco juncto generi, gonidia viridia) 2) membranae innata, conglomerata (rubra) = *Dumontia* l. dense stipata (fuscescentia) = *Ilea.*

ULVA. Nimis videtur genus naturale divelli. Diffe-

rentia e thallo tubuloso et explanato *plane nulla* est; omnes, etiam *Ulv. Lactucam*, primo tubulosas observavimus. Situs gonidiorum omnium typice forsan quaternarius, licet in laxioribus tantum discerni queat; id saltim constat ea eo evidentius quaternata gradu haud limitabili, quo laxior et magis gelatinosa fit membrana. Nec in aliis v. c. Palmellis hic character constans est. Hinc Ulvas et Enteromorphas, Agardhio quoque jam teste, ut unicum genus proponimus.

* E *tubuloso foliaceae, aequabiles*, sporidiis in gelatinosis saltim distincte quaternatis.

1523. U. *Lactuca* L. plana, sicca laciniato-crispa, gonidiis minimis confertissimis.
In utroque mari, sed rarior, praecipue in baltico.

1524. U. *terrestris* Roth., bullosa, plicatocrispa, rugosa.
Locis irriguis ad terram (praecipue urina saepe conspersis) et in tectis stramineis passim. Locis humidioribus lubrica. Longe minor est U. *furfuracea*.

1525. U. *bullosa* Roth, obovata, lubrica, sinuoso-bullosa.
In aquis stagnantibus et lentis campestribus.

1526. U. *lubrica* Roth. tubulosa, gelatinosa, simplex.
Cum priori circa Lund etc. admodum frequens; vere primaque aestate. Picturam tantum sistit in charta. *Wallroth* juxta Undinas collocat; Undinas esse affines Ulvaceis saltim testatur haec speies.

** *Tubulosae, in formas capillares abeuntes, areolatae.* Enteromorpha *Link. Grev.* Solenia *Ag.* non Hoffm., sed cum Ulvis jam junxit.

1527. U. *intestinalis* L. inflata, simplex, viridis.
Ad litora maris ubiquitaria, parcior in fossis in regione campestri. Statura mire varia.

1528. U. *compressa* L. plana, prolifero-ramosa, viridis.
In utroque mari, interdum capillaris.

1529. U. *erecta*, stricte et pinnato-ramosa, filiformis, viridis. Scytosiph. erectus *Lyngb. t.* 15.
Ad maris litora, etiam baltici, facile discernenda. Sq. var. ex Agardh.

1530. U. *clathrata* Ag. divergente ramosa, reticulata, flavescens.
In aqua tum salsa, quam dulci.

1531. U. *fulvescens* A. capillaris, simplex, punctata. Ad Landskrona (*Gråen* Ag.), unde etiam nos habemus. — Plenius hujus generis species recepimus cum sub excursionibus facile discernantur; eorum vero generum, quae majorem apparatum ad determinandum requirunt, primarias tantum.

Obs. Ambigua U. *percursa*, filiformis; articulato-constricta, filo percursa, eodem loco occurrit. In hanc omnino quadrat *Ulva Confervoides* L., quae quidem primitus e Cap. b. sp., sed hic locus dein omissus, ceterumque Ulvae latissime dispersae.

1532. DUMONTIA *filiformis* Gr., ramosa, cava, rubens. In sinu Codano *Ag.* Intra Öresund. Müller. A me in Scania haud lecta. In genere limitando sequimur acut. *Gaillon.* Est forma tubulosa generis ceterum foliacei.

1533. ILEA *fascia* simplex, plana, linearis. In sinu Codano — etiam in Öresund. *Ag.* Ulva fascia *Fl. Dan.* Laminaria? *Ag.* — Praesente antiquiori *Enteromorphae* Lk. nomine, his restrictum voluimus *Ileae* nomen, eo justius cum ex hac character praecipue sumtus.

1534. I. *foeniculacea*, fistuloso-filiformis, ramosa. *Conf.* Huds. In utroque mari, copiosa in Kullen. Ad praecedentem se habet, ut *Dumontia filiformis* ad foliaceas, eae proxime collocata in Ag. syn.

II. VAUCHERIEAE. Plurima insigniora genera thallo e tubulis dense contexto (Fucoideo) ut *Codium* *) *Flabellaria*, *Hydroclathrus* etc. nobis desunt. Nobis tantum caespitosa, Confervoidea, filis solutis nunc a) elongatis, liberis, vesiculis discretis, deciduis = *Vaucheria*, nunc radicantibus,

---

*) Si hoc genus adfuisset, hoc loco absque haesitatione inseruissem *Badiagam*, thallo e filis continuis intricatis spinulosis in ramos difformes poroso-spongiosos contexto, vesiculis globosis deciduis externis. *Hydrocoryne* est analoga prorsus formatio Undinearum.

BADIAGA *lacustris* (Spongia L.) magna, cornu cervini instar ramosa, foetidissima = copiosa ad ligna putrida in lacubus, tirones Botanices semper crucians. Ad saxa rivulorum forma magis crustacea, spongiaeformis, minus explicata: *Sp. fluviatilis* L.

vesiculis sessilibus dehiscentibus = *Hydrogastrum.* [In *Bryopsi* nullae vesiculae discretae, sed fila biformia, primordialia simplicia, *Vaucheria pusilla*?, secundaria pinnata, ramis septo discretis, vesiculis respondent.]

1535. VAUCHERIA *caespitosa* Vauch. sub Ectosp., filis dichotomis, vesiculis binis in ramulo lateralibus.
Copiose ad fontes, verno tempore, primo lecta ad Foglesång. Haec erecto-caespitosa; simillima sed fluitans V. *geminata*, a qua vesiculis pluribus differt V. *racemosa;* vesiculis ad basin ramuli sessilibus V. *sessilis*, solitariis V. *Dillwynii*, in humo repens, hinc omnes *Conf. amphibia* L.

1536. V. *hamata* V. filis vage ramosis, vesicula in ramulo laterali arcuato terminali.
Copiose in stagnis. In hac ramulus bifidus, altero ramo plerumque (haud semper!) sterili cornuto, sed in V. *ovata* omnino simplex, a qua loco terrestri differt V. *frigida* eademque ratione V. *terrestris* a V. *hamata.*

1537. HYDROGASTRUM *granulatum* Desv. *Ulva* L.
In fossis argillaceis exsiccatis, copiose, congeriem ovulorum piscium referens, sed viridis. Est quasi infimus *Valoniae* gradus et ex meis spec. *Gastridium ovale* Lyngb. huic generi magis affine. Inter tot nomina generica cum Dubyo servamus antiquissimum, unicum difformitatis et innovationum remedium. *Botrydii ceterum* ad aliud genus prioritatis jure pertinet et a Wallrothio jam neglectum.

III. UNDINEAE. Thallus compositus e gelatina definita immixtis filis 1) (tenuissimis arachnoideis = *Hydrocoryne*) 2) moniliformibus = *Undina* (subolivacea) 3) intus septatis fasciatisve = *Rivularia* (e viridi atra indurata); 4) articulatis sed contiguis = *Chaetophora* (laete viridis mollis).

Plures licet adsint olavatae et elongatoramosae ut *Hydrocoryne*, *Undinae* et *Chaetophorae*, nimis deducta videatur analogia cum Furcellarieis, sed si ad filorum situm, structuram, gonidiorum intra fila originem attenderis, invenies evidentem. Nec minus evidens ab Undineis ad Batrochospermeas transitus, quam Furcellarieae in Chordarias, testantibus *Sporochno* et *Chaetophora.* Haec etiam setas exserit ut infima analoga genera Batrachospermea, *Draparnaldia* et *Bolbochaete.*

1538. UNDINA *verrucosa* L. ex ovali frondosa cava plicata olivaceo-virens.

In saxis rivulorum, e jugis montanis defluentium. Ad L. *Båstad* primo ab Agardhio lecta. — *Und. rufescens* Ag. sub Nostoc differt colore rufescente, a me haud visa. — Praesens genus, jam 1825 a Nostoc separatum, dein 1833 a Linkio *Hygrococcus* dictum. At praeter Undinam insuper a *Nostoc*, quod genus Byssaceum, removenda 1) *Collemata*, quorum prima stamina Undinam aeque bene ac Nostoc referunt; 2) *Anabaenae*, quae muco vago, nec ut Undinae membrana determinata corticatae.

† U. *cylindrica*, cylindrica, cava. *Palmella* Lyngb. In Fyonia lecta, apud nos inquirenda; memorabilis ut priorem cum sqq. intime connectens. Membrana exteriori a Palmellis omnino differt.

1539. U. *pruniformis* L. (Ulv.) globosa, cava.

In lacubus, ut ad Karsholm *Ljungst.*

1540. U. *sphaerica* Vauch. globosa, solida, laevis.

In aquis stagnantibus passim.

1541. U. *spongiaeformis* Ag. repens, tuberculosa, carnosa solida. *Ag. Syst. p.* 22.

In Hypno fluitante stagnorum Scaniae. A me haud visa.

1542. RIVULARIA *natans* Hedw. libera, rotunda, cava, filis vaginalis olivaceo-fuscis e centro undique radiantibus.

In fossis inter Lemnas, nunc globosa, nunc inaequalis, unde R. *angulosa* Roth. Vagina *Vaginarias* Oscillatoriae in mentem revocat. Intus moniliformia fila Undinae. *Raphidia natans.* Carmich.

1543. R. *Pisum* A. adhaerens, globosa, solida, filis subcontinuis a centro radiantibus.

Ad plantas aquaticas, pro more junior mollis virens, adulta nigrescens.

1544. R. *hemisphaerica* L. adfixa, semiglobosa, filis a basi radiantibus.

Ad saxa et plantas marinas, frequens, tubercula Lichenis fere referens. Ut reliqua ex aetate et statione demersa emersave variat laete virens et atrovirens, mollis et dura (Cfr. Lyngb. t. 67.; num illa *Rivul. pellucida* Ag. Syst.?, *Rivul. atrae* Roth. nomen vagum ce-

dere debet *Linn.* maxime classicis et characteristicis tam hujus quam seqq. — *Linnaeus* primus omnium has descripsit, quo adhuc sanctiora ejus nomina.

1545. R. *adnata* L. crustaceo-adnata, applanata, filis erectis stipatis. *Chaetoph. plana* Ag.
Ad saxa marina in Kullaberg *Linn. It. Scan. p.* 323! Distinctissima, vix alibi ceterum in orbe visa; nuperrime unicus in Britannia locus innotuit sec. *Harvey*, qui novi generis typum (*Schytochloria*) censet. Color ex priorum typo.

1546. CHAETOPHORA *tuberculosa* Hook. globoso-difformis, natans, demum cava, filis undique radiantibus apice palmato-fasciculatis. *Sq. var. ex Agardh.*
In paludosis turfosis v. c. Öya mosse.

1547. CH. *elegans* Ag. globosa, solida, filis patenti-radiantibus apice penicillatis.
In aquis ad plantas haud raro.

1548. C. *pisiformis* A. globosa, solida, filis strictis dichotomis.
Cum praecedente rarior. A.

1549. C. *endiviaefolia* A. elongata, ramosa, subdichotoma, apice subpinnata.
Ad plantas aquaticas in lacubus, in fluvio in kannik etc. (C. *clavata* Horn. vage ramosa, ramulis subclavatis intercurrit.)
Obs. In stagno *Äfjen* juxta Femsjö ad ligna putrida occurrit stirps huic externa facie simillima, sed adest filum centrale rigidum contextum fuscum ut *Batrach. dichotomo* accedere fingam. Nulli vero ramuli verticillati.

IV. BATRACHOSPERMEAE. Filum primarium 1) e filamentis *contextum* a) heterogeneum, filis secundariis verticillatis moniliformibus = *Batrachospermum* (filis secundariis simplicibus septatis undique obsessum = *Thorea*, nobis deest) b) homogeneum, in fila secundaria intus articulata undique solutum = *Aegira* 2) *simplex*; septatum filis secundariis a) penicillatis fasciatis, apice demum setigeris = *Draparnaldia* b) setaceis simplicibus contiguis = *Bolbochaete*. (appendix): nunc conformibus, nunc in vesiculas racemosas constrictis = *Chantransia*.

1550. BATRACHOSPERMUM *dichotomum* Roth. filo primario aequali dichotomo, apicibus incrassat.
In lacubus et stagnis turfosis. (*B. turfosum* Bory.) B. *vagum* dicere nolui, praesente nomine characteristico, cum sq. quoad stationem *saepius* vagum mihi obviam iverit, ejusque ramificatio magis vaga.

1551. B. *moniliforme* Roth, filo primario moniliformi ramosissimo, apicibus attenuatis.
In aquis dulcibus et limpidis frequentius.

1552 AEGIRA *Zosterae.* Linkia *Lyngb.*
In mari ad folia Zosterae; rarissimam stirpem e sinu inter Torekow et Söndrum hoc loco ad litus rejectum reperi 1824. Virens, muco ut *Draparnaldia* involuta. Cum Rivulariis junctum fuit, cui accedit tantum ut *Batrachospermum* ad Undinam, ut *Draparnaldia* ad Chaetophoram.

1553. DRAPARNALDIA *mutabilis* Roth. Conférva.
In fontibus, rivulis, verno tempore abunde. Distinguendae ex Vaucher, Agardh etc. duae species 1) *glomerata*, penicillis ovatis 2) *plumosa* penicillis lanceolatis Sub excursionibus vix discerni queunt indeque conjunctim h. l. proponuntur.
BOLBOCHAETE *setigera* in Scania lecta fertur, sed spec. non vidi. In proximis provinciis haud rara. Caespites sistit facie sq. sed laete virides. Transit ut sequens manifeste ad Conferveas, sed ut gemmiparae, filis heterogeneis h. l. infimo citantur.

1554. CHANTRANSIA *pulchella* Ag. (sub Ceram.) caespitulis chalybaeis roseisve.
In saxis, lignis, supra Fontinalem. — Genus videtur potius *Conferveum*, sed e characteribus h. l. in limine utriusque familiae militet. Est quoque altior gradus Myxonematum inferiorum v. c. *Calothricis tinctoriae* Ag., *Conferv. nanae* Lyngb. etc. — Sic dictae "capsulae" nil nisi ramuli abbreviati, haud explicati, in gemmulas mutati. Patet ex analysi, patet ex ipsarum dispositione omnino ad ramulorum typum. Ab omni genere, ad quod relata fuit, diversissima est; ad Chantransias primo quidem relegata, et cum nomen a *Decandolleo* meritissim. harum plantarum scrutatori di-

eatum ad reliquas species extendere non licet, hoc loco figere religioni duxi. [Ch. *aeruginosa* A. caespitibus olivaceis etiam in Scania lecta videtur.]

V. CONFERVEAE. Massa gonimica (l' endochrome Gaill.) viridis l. rubens vel intra articulos a) soluta, longitudinaliter effusa, filis membranaceo-articulatis capillaceis adnatis l. e puncto centrali radiantib. discretis = *Conferva* b) in globulum compacta, unde articuli turgent in fila moniliformia pulposo-gelatinosa adnata = *Hormiscia* c) in novum articulum prolifero-exsertum concreta, filis in reticulum saccatum conjunctis = *Hydrodictyon;* d) filorum per tubos transversales copulatione in granula concreta = *Zygnema* (fila aequalia, libera, indefinita, gregatim natantia) e) in globulos concreta, nulla copulatione facta = *Tiresias* (fila prorsus praecedentis, sed non copulata, vulgo arachnoidea) f) in fascias transversales disposita, filis definitis, basi adnatis suberectis muco involutis = *Myxonema;* g) nulla = appendix: *Leptomitus. Ectocarpi* et *Elachistae* saepe steriles, sed thalli et gonidiorum in luteo-olivaceum vergente colore distinctae, hoc loco facile quaeruntur.

CONFERVA. Vix exstat latiori et magis heterogeneo sensu exceptum, quam Confervae nomen. Ante alia excludenda aliarum plantarum elementa; fallacia admodum sunt nemata *Muscorum*, *Filicum*, sed filis reptantibus recedunt. Melius mihi videtur succinctius limitare quam ita vage ut quascumque capere possit quisquilias. Hinc h. l. ad *Polyspermas* Vauch. s. *Chloronita* Gaill. restinximus. Species minus cognitae, ut suis locis inseri nequeant, sine noxa omittuntur l. in appendice subjunguntur. Species quasdam primarias hujus et sqq. generum tantum notamus.

* *Ramosissimae.*

1555. C. *uncialis* Müll. e centro communi egressa conglobata libera pectinato-ramosa obscure viridis.
Ad rupes marinas infra Kullaberg etc.

1556. C. *globosa* Ag. e centro communi conglobata ramosissima, pallescens, apicibus flaccidis.
In stagnis marinis, v. c. Gråen ad Landskrona ubi quoque ab Agardh detecta.

1557. C. *sericea*, Huds. elongata, fasciculato-ramosissima, pallide virens; apicibus secundis rigidis.

Ad litora maris frequens, etiam flavescens.

1558. C. *rupestris* L. virgato-ramosissima, setacea, laete viridis, ramulis obtusiusculis, sicca alternato-constricta nigro punctata.
Ad scopulos maris abunde, Torekow, Kullaberg etc. Ceteris evidentior et firmior, chartae non adhaerens — Ramis ultimis secundis differt C. *diffusa* Roth. quae C. *glomerata rigida* Ag. syn. ipso teste.

1559. C. *glomerata* L. alterno-ramosissima, saturate viridis, ramulis ultimis rectis fastigiatis.
Vulgaris in fluviis (Bösmöllan) rivulis (Helsingborg), etiam in mari, subinde "roseola".

1560. C. *fracta* Dillw. divaricato-ramosissima virescens, ramulis ultimis divaricatis subrecurvis.
In stagnis prope Lund etc.

** *remote ramosae.*

1561. C. *lanosa* Roth. in caespitem subrotundum (adnatum) conglobata, remote ramosa, tenuissima, pallide virens.
In sinu Halmstadiensi ad Ceramia.

1562. C. *crispata* Roth. remote ramosa, elongata, obscure viridis alternis, articulis collabentibus.
In fluviis v. c. ad Lommia. C. *elongata* Ag. crassior, laxe dichotoma ad Möinge, Ålstorp etc. proxima.

*** *simplicissimae.*

1563. C. *rigida* A. simplex, setacea, rigidula, adnata, variegata.
Prope Landskrona ad Gråen. Ag. C. *Lino* affinis.

1564. C. *fontinalis* L. simplex, capillaris, adnata, brevis, stricta saturate viridis.
In fonte Kokällan ad Lund.

1565. C. *rivularis* L. capillaris, longissima, recta, alternato-compressa viridis.
In fluviis, aestate; autumno v. c. ad Bösmöllan.

1566. C. *capillaris* L. tenuissima, prolifera, crispa, virens.
In amnibus et rivulis vulgaris. Ultimae duae fluctuantes ad Tiresiam potius forsan pertineant, sed gonidia granulosa minus conglobata.

1567. HORMISCIA *penicilliformis*, simplex laete viridis. Cfr. *Roth.* Conf. hormoides. *Lyngb.*
Ad saxa marina prope Helsingborg. Genus valde in-

signe, etiam species habet mucosas et ramosas v. c. *Horm.* s. Conf. *Wormskjoldii* Fl. Dan.

1568. HYDRODICTYON *utriculatum* Roth. sacciforme, interstitiis pentagonis C. reticulata L.
In amni ad Trelleborg. *Bruzel.* Non raro in amnibus regionis silvaticae.

1569. ZYGNEMA *genuflexum* Ag. filis genuflexis reticulato-copulatis.
In aquis passim. Transit ad *Ledae* genus, inter hoc et prius medium.

1570. Z. *nitidum* A. filis conjugatis, gonidiis in spiras dispositis. *Salmacis.* Bory.
In aquis pinguioribus campestribus. Plures affines; Z. *quininum*, spira simplici, in aquis frigidioribus vulgatius.

1571. Z. *bipunctatum* A. filis conjungatis, gonidiis in globulos binos stellatos congestis.

1572. Z. *pectinatum* A. filis conjugatis, gonidiis in lineas binas transversas conglobatis.
Utrumque in fossis et stagnis.

TIRESIAS. Genus vastum, intricatissimum, filis ut plurimum arachnoideis, vastorum instar stratorum aquis innatans. Filis indeterminatis, numquam adnatis, gonidiis in globulos confluentibus *Zygnemati*, nec Confervis, proximum. Cfr. n. 1566, 1567.

1573. T. *vesicata* Vauch. capillaris, virescens, articulis hinc inde inflatis nodosis.
In aquis v. c. Höje å, proprie C. *tumidula* Ag. Syst.

1574. T. *fugacissima* Roth., tenuissima, mucosa, recta, aequalis, laete viridis.
In aqua stagnante, prope Lund extra V. vallen. A.

1575. T. *bullosa* L. arachnoidea, in stratum mucosum bullosum implexa pallescens.
In fossis et stagnis verno tempore copiose. Est multarum specierum vere diversarum nomen collectivum, de quibus Cfr. Ag. — Sub excursionibus vix discernendae. — Analoga species in mari ad Kullaberg: T. *nebulosa.* A.

1576. T. *ericetorum* Roth. arachnoidea, implexa, fusco-purpurea.

In paludosis turfosis regionis silvaticae passim.

MYXONEMA. Filis adnatis, suberectis a praecedente differt ut Calotrix s. Scytonema a Lyngbya; fasciae transversales in his primitus praesentes, ut lusus abnormis tantum inter priores obviam veniunt. (Tiresias *Conf. Oscillat.* Ag. videtur et a M. Oscillatorioide diversa?) Fila primo intra mucum nata. *Confervae* Auct. cit.

1577. M. *lubricum* Dillw. filis gelatina obvolutis ramosis, ramulis attenuatis. *Draparn. tenuis* Ag.
In rivulis saxis adnatum frequens. — Ex hoc genere surgunt hinc Tiresiae, illinc Draparnaldiae.

1578. M. *zonatum* Web. Mohr. filis gelatina obvolutis simplicibus rectis attenuatis.
Loco et habitu priori congruum.

1579. M. *contortum* Ag. filis simplicibus contortis in stratum lubricum intricatis.
Lapillis adnatum in rivulis Scaniae. Ag.

1580. M. *dissiliens* Dillw. filis mucosis ad articulos secedentibus.
In palustribus passim. Transit ad Diatomeas. M. *Oscillatorioides* nostrum adnatum, filis flexibilibus, articulis quam in *Conf. Oscill.* Ag. (Tiresiæ spec.?) longioribus. Legi in *Smolandia.*

1581. M. *investiens*, filis subramosis curtis tenuissimis in stratum flocculosum mucosum condensatis.
Ad culmos etc. in paludosis natantes. Statura quidem M. *brachymeliae* (Confervae Lyngb.!), sed tenuior, dilutior. Moug. exs. n. 889. specc. sordide virentia congruunt; coerulescentia non vidi. Cfrr: *Calotrix tinctoria, Leptomitus Libertiae* et *C. nana Lyngb.*

VI. PALMELLEAE. Gonidia 1) in muco denudato amorpho moniliformi-concatenata = *Anabaena*, [in figuras varias radiantes virides concreta = *Echinella* Ach. nec Auct.] = quaternata l. sparsa = *Palmella* 2) Granula nuda intus gonidiis foeta = *Chlorococcum*, simplicissima = *Protococcus*. Mucus absque gonidia = *Phycomater.*

1582. ANABAENA *Flos aquae* L. filis tenuissimis viridibus in membranam spumeam natantem viridi-coerulescentem intertextis. A. *membranina* Bory.
In aqua puriori, certe rarior, valde versipellis. Sub

Bysso flore aquae a Linnaeo comprehenditur et forma Confervoidea et soluta Nostochina. Cfr. *Linn. Spec. Pl.* 2.

1583. A. *Oscillatorioides* Bory, filis curvatis in stratum gelatinosum atroviride dense intertextis.
In rivulis Scaniae. Ag. sub *Oscill. flexuosa* *).

1584. A. *calcicola* Ag. (Nostoc) filis curvato-flexuosis crispis in maculam tenuissimam viridem intricatis.
Lundae alibique in muris calce illitis.

1585. A. *Licheniformis* Bory. filis rectis pallide viridibus in crustam atroviridem intricatis.
Ad terram in aggeribus limosis cum *Collemate cheileo.*

1586. PALMELLA *cruenta* Ag. gonidiis ovali rotundis sanguineis in gelatina crustaeformi cruenta.
In plateis Lundensibus etc. [P. *rubra* Fr., Fl. Dan. differt gonidiis minimis globosis in crusta laete sanguineo-rosea, saxicola. Plures legimus in Smolandia Palmellas ut P. *hyalinam* Lyngb., P. *lividam* Carm. E loco P. *aurantiacam* Ag. pro *Dacrym. stillato* haberem.]

1586. b. CHLOROCOCCUM *botryoides*, granulis aggregatis intus gonidiis farctis. Palmella botryoides Lyngb.
Ad ligna mucida, Sphagna etc.
† PROTOCOCCUS *viridis* Ag., granulis aggregatis simplicissimis. Locis similibus, ad muros. [Effoetum fit *Leprar. botryoides.*] Utrumque, Chlorococcum et Protococcus evidentius, sistit aliarum algarum elementa, et inter se evolutionis gradu tantum discrepat. Occurrunt similes formae et *Chlorococci* et *Protococci* coccineo-sanguinei.

---

*) *Mycodermata* Pers. Desmaz. (Hygrocroces specc. Ag. ex parte) ob analogiam hoc loco citanda, sistunt illas pelliculas filamentosas, quae in plurimis succis vegetabilium corruptis obviam veniunt, ut supra *Vinum*, *Cerevisiam* c. s. p. Constant ex articulis (in altero statu discretis vivomobilibus secund. Desmaz.) in *fila hyalina* (inde non genuine Ulvacea) copulata. Excludenda saltim multa his adscripta Fungorum mycelia. Cum ad artefacta tantum pertineant in Flora spontanea omni jure omitti videntur.

Fam. LXXXIV. DIATOMACEAE. Ag.

Char. Nec apothecia, nec sporidia, neque vera gonidia edunt, horum loco adsunt granula l. frustula rectilinea (non viridia), divisione, ut videtur, tantum multiplicata. Color vix umquam prasinus aut laete purpureus, sed ut plurimum luteofuscus, olivaceus vel cristallinus. Thalli loco adest mucus, quo primitus obvolutae, sed hic circa frustula in superiori gradu in fila, immo frondes rigescit. *Algarum transitus manifestissimus in regnum crystallorum et animalium, ut citentur multae formae pari fere jure inter animalia et vegetabilia; at cum praecedentibus ita sane connexae ut seriem priorem minime h. l. excludere liceat, posteriorem appendicis saltim loco recipere necesse videatur.*

Paucis priscis Botanicis cognitis formis inter priorum genera confundebatur haec familia; inferiorum magna copia a *Lyngbyo* detecta (Diatomeas a Confervis sub Homalogonatis separante), maxime ab *Agardhio* etc. aucta, attentionem Botanicorum primum sibi vindicavit. Inferiorem seriem ut peculiarem familiam primus proposuit Agardh in Syst. Alg.; ipsi ad *Oscillatorineas* simul extendimus, quas ex hac serie excludi haud posse, omnino certum nobis videtur, addentes simul plurimas Nostocinas, cum variae aperte hujus loci ut *Schizonema*, *Hydrurus*, *Gojonema*, videbantur. Illustr. Agardhio haec genera etc. jam ad Diatomaceas referente, *Clavellae*, *Rivulariae* fructu jam melius cognito, reliquas Nostocineas, hoc modo prorsus dissolutas, inter praecedentes familias ut Diatomaceis conterminas recepimus.

Evolutionis gradus in hac familia eidem omnino ac inter praecedentes Phycearum. Hinc idem dispositionis fundamentum primarium; *Oscillatorineae* priorum seriem thallo contiguo, *Diatomeae* alteram thallo articulato repetunt. Plures licet haud h. l. receperim Diatomacearum tribus, reliquae subdivisiones priorum tribubus eximie respondent, *Bangiae* Ulvaceis, *Lemanieae* Vaucherieis, *Oscillatorieae* Rivulariis (Cfr Obs. infra), *Hydrureae* Batrachospermeis, *Fragilarinae* Conferveis, *Frustulieae* Palmelleis. Ubique tenendum per omnes Homonemeas partes interiores eo minores evadere quo perfectior thallus; hinc summis Lichenibus, summis fungis

22

etc. minima esse sporidia, minimi asci, infimis vero maxima, multis locis indicavimus; idem in Phyceis v. c. de *Micromega* observavit Agardh.

I. OSCILLATORINEAE. Frustula granuliformia l. annuliformia intra tubum *continuum*, primitus l. omnino membranaceo-mucosum, recepta.

II. DIATOMEAE. Frustula angulata, ad lineas rectas secta, in mucum primordialem nuda, ipsa tantum in fila articulata copulata, in frustula secedentia l. omnino discreta.

I. OSCILLATORINAE. Syst. Orb. Veg. Thallus 1) frondosus l. filiformi-planus, frustulis rotundatis *innatis* seriatim l. fasciatim dispositis = *Bangieae*; 2) filiformis, granulis intra tubum discretis oblongo-ellipticis = *Lemanieae*; 3) filiformis, granulis intra tubum primitus contiguis transverse recta linea in annulos sectis, dein plerisque discretis transverse ellipticis = *Oscillatorieae.*

a. *Bangiae,* Ulvaceis respondentes, nobis desunt.

b. *Lemanieae.* Granula a) moniliformi-concatenata intus adnata tubo e gelatinoso-cartilagineo = *Lemania* (Hujus substantia, granulis sequentis dignoscitur *Micromega*) b) in series longitudinales disposita intra tubum e gelatinoso membranaceum = *Schizonema;* c) libera longitudinaliter coordinata intra fila mucoso-tenacia = *Glojonema.*

1587. LEMANIA *fluviatilis* L. simplex, papillosa. *Conf.* L. Ad saxa fluviorum v. c. in Löddeström infra Bösmöllan. Locum huic in S. O. V. vindicatum (minime *Oscillatoriae* proximum, sed in eadem serie summum) optimum adhuc videri testor. Ob substantiam firmiorem vulgo longe removetur, sed junior gelatinosa est (*Lem. subtilis* Ag. ut in S. O. Veg. observatum, consentiente quoque Ag. in spec.), proximis *Micromegis* idem habitus fucinus, substantia cartilaginea (et quis has a Schizonematibus divelleret?), granula eadem S. "cymbellae" ac sqq. Vix quid in Algis disponendis facilius confundit quam substantia plus minus gelatinosa, quae nullibi fere limitabilis, hinc Scytonemata nimis a Calothricibus, Ulvae gelatinosae in alium ordinem a Wallrothio e. s. p. separatae. Singula series a gelatinosis incipit,

ad firmiores adscendit, et his structura evidentius composita.

1588. SCHIZONEMA *Dillwynii* Ag. filis setaceis dichotomis viridi-olivaceis.
In sinu Codano et in mari baltico usque ad Blekingiam *Ag.*

1539. S. *micans* A. filis capillaribus simpliciusculis sulphureo-olivaceis.
In plantis marinis. Ad Kullaberg. A. *Berkleya* Grev., ex icone mihi solum nota, ad hoc genus se habere videtur ut Oscillatoria ad *Calothricem.*

1590. GLOJONEMA *paradoxum* Ag. filis longissimis.
In aquis frequens per Scan. campestrem. *Sphaeroplea* videtur inter hanc et sqq. sectionem media ratio.

c. *Oscillatorieae.* Granula intra tubum primo contigua, in annulos densos rectangulo-secta 1) *mutantur* in granula discreta lenticularia a) intra fila adnata, erecta, rigidula = *Scytonema;* b) intra fila libera, decumbentia, flaccida = *Lyngbya;* 2) *immutata* persistunt intra fila decumbentia, oscillantia, muco matricali conglutinata Oscillatoria.

1591. SCYTONEMA *Bangii*, Ag.? filis subramosis in aculeos nigro-fuscos complicatis.
In rupibus irriguis in S. Åsen. Appositione ramosum ut sqq Meliora et insigniora *Scytonemata* propria, quae alpestria, nobis deesse videntur. De genere Cfr. *Syst. Orb. Veg.* Haud unicum novi characterem, quo *Calothricum* meliorum partem (varias enim aliorsum spectare fingo) separare possum. Nam etiam annulorum color ab Hookero laudatus incertus est; *Scyton. penicillatum* ex habitu omnino Calothrix e. s. p. Scytonemata terrestria valde ambigua et decumbentia certe excludenda. Scytonematis nomen praefero et ut antiquius et cum *Callitriche* L., *Calythrice* Labill. etc. minus facile commutandum.

1592. S. *Wrangelii* Ag filis adpresso — ramosis in caespitem fuscovirentem stipatis.
In rivulis et fossis passim.

1593. S. *mirabile* Dillw. filis adpresse ramosis in globulum viridi-canescentem laxe intricatis.

A me repertum in stagnis prope coemiterium novum Lundense supra Hypna demersa.

1594. S. *fasciculatum* Ag. filis rigidulis luteo-virescentibus simplicibus, tandem fasciculato-ramosis.
Ad scopulos marinos. A. Ex Hallandia tantum habeo.

1595. S. *Zostericola* Lyngb. filis tenuissimis flexuosis simplicibus in stratum velutinum junctis. C. *scopulorum* vulgo.
In Phyceis majoribus et praecipue Zosteris.

1596. S. *Confervicola* A. filis fasciculatis strictis aeruginosis dein hyalinis.
In Phyceis minoribus in utroque mari. (S. *mucor.* Ag. caespitulis olivaceo-virentibus, mihi deest.)

1597. LYNGBYA *distorta* Ag. filis ramosis caespitosis mucosis caeruleo-viridibus.
In fluviis et rivulis, praecedenti generi primo simillima!

1598. L. *crispa* A. filis simplicibus crispis in caespitem obscure viridem implicatis.
Ad Öresund Ag. v. c. ad Landskrona.

1599. L. *muralis* A. filis simplicibus curvato-flexuosis siccis in stratum viride implicatis.
Ad terram et muros locis umbrosis. Ad Ulvaceas colore etc. mire deflectit, interdum *articulato-constricta*! manifesta hinc affinitas *Rosariae* Carm. granulis in singulo articulo spurio binis. Si veram habeo *Nodulariam* (Link. Hypnicola Lyngb.) hoc genus etiam eadem ratione oritur.

1600. OSCILLATORIA *autumnalis* Ag. strato e filis obscure viridibus nigro breve radiante. O. *pariet.* Vauch.
In plateis et haris Lundensibus frequens etc. *Obs.* Filorum color hujus generis sub microscopio observandus.

1601. O. *nigra* Ag. strato e filis rectis griseo-lutescentibus nigro longissime radiante. O. nigra *Vauch*?
In stagnis ad Lund v. c. in Horto Botanico.

1602. O. *rupestris* A. strato e filis flexuosis virescenti hyalinis compacto breve radiante.
In rupibus verticalibus Kullaberg. Ag. [Hallandiae] Varietas seq. ex *Lyngby*, sed O. *rupestris* fila torpentia et tranquilla, O. *subfusae* oscillantia et spiraliter rep-

tantia. Major affinitas cum O. *Corio* Ag., quam in Smol. legimus.

1603. O. *subfusca* Vauch. strato e filis rectis hyalinis compacto breve radiante.
Ad saxa in fluviis et rivulis v. c. ad Foglesång.

1604. O. *laevigata* Vauch. strato e filis laete viridibus compacto atrovirente nitente, vix radiante.
In canalibus ligneis, praecipue in silvaticis vulgatissima omnium, valde spectabilis (O. Retzii A.), interdum stiriae instar pendula l. *Hydruri* funiformi — penicillata.

1605. O. *limosa* A. strato e filis obscure aeruginosis conglutinatis atrovirente longe radiante.
Copiose in piscinis ad Lund cum O. *viridi* Vauch. tenuiori, dilutiori, non semper vero brevius radiante. [O. *subsalsae* definitio nil recedit, hinc cum aliis a me non visis omissa.]

1606. O. *lutea* A. strato e filis hyalinis luteo.
Ad saxa marina ad Helsingborg!

II. DIATOMEAE Ag. Syst. addito Hydruro. Frustula nuda 1) thallo filisve stipitata indeque stirps biformis = *Hydrureae* 2) longitudinalia in fila, transverse rectangulo rupta — *Fragilarinae*; 3) in varias figuras copulata l. omnino libera in muco matricali immersa = *Frustulieae.* [Entia maxime amphibola, a Nitsch, Ehrenberg etc. inter Animalia infusoria recensentur, nam monstrant alia motum spontaneum distinctum, alia nullum; sumus igitur in utriusque orbis conterminis. Nomenclatura insuper apud singulos diversa. Sequimur stricte Agardhium, typos nonnullos indicantes. d. *Hydrureae.* In nostro genere frustula cuneata, geminata filis discretis stipitata = *Gomphonema.* Caveas ne formam *Oscillat. levigatae* pro Hydruro sumas.

1607. GOMPHONEMA *paradoxum* Ag. Lyngbya. *Sommerf.* Lapp. Echinella *Lyngby.* (Animal?)
In Phyceis marinis.

e. *Fragilarineae.* S. O. V. Frustula in fila fragillima concatenata a) e globulis internis turgentibus in fila teretiuscula moniliformia = *Meloseira* b) densissime transverse striata tota secedentia = *Fragilaria*; c) transverse in articulos soluta, angulis cohaerentia = *Diatoma.*

1608. MELOSEIRA *moniliformis* A. articulis ellipticis, stria transversali.

Ad litus Scanense. *O. F. Müller* sub Conf. moniliformi. [Lapsu calami in Consp. Crit. Diatom. ad hanc citatur *Fragil. hyemalis* Lyngb., loco Fr. *lineatae*].

1609. M. *aequalis* A. articulis elongatis, filo aequali.
In fluviis Scaniae. A. A me non visa. Genus inter *Oscillatorineas* et *Diatomeas* medium; *Hormisciae* analogum. — *Desmidium*, genus summum Conferveum, nobis deest.

1610 FRAGILARIA *pectinalis* Lyngb. caespite lutescente.
Ad plantas aquaticas vulgaris.

1611. F. *tenuis* Ag. caespite fuscescente.
Ad Kokällan prope Lund, Aprili, A.

1612. DIATOMA *flocculosum* A. filiforme, frustulis quadratis.
In aquis vulgare.

1613. D. *tenue* A. filiforme, frustulis elongatis.
In aquis, primo in rivulo ad Foglesång lectum.

1614. D. *fasciculatum* A. flabelliforme, vix secedens.
Ad plantas marinas.

f. *Frustulieae* (Echinellae Lyngb. et S. O. V.) Frustula 1) linearia, coalita in formam vexilli = *Achnanthes*, 2) *cuneata* in formam circuli l. flabelli = *Meridion* 3) libera, binata l. discreta, quasi omnium antecedentium elementa = *Frustulia* Ag. Syst.

1615. ACHNANTHES *brevipes* A. frustulis subternis.
In mari ad Phyceas filiformes. *Diatomeis* affin.

1615. MERIDION *vernale* A. muco tenaci fluitante.
Ad culmos graminum in rivulis etc.

1617. FRUSTULIA (Stylaria) *bidentata* A. frustulis cuneatis bidentatis.
In mari ad Kullaberg. A.

1618. F. (Cymbella) *cymbiformis* A. frustulis ellipticis obtusis binatis.
In aquis ad Stångby lecta mense Jun. etc.

1619. (C.) *elliptica* A. frustulis ellipticis discretis.
Ad Ulvam clathratam ad Landskrona etc.

1620. F. *acuta* A. frustulis linearibus utrinque acutis.
In aquis quietis dulcibus.

Classis XX FUNGI.

Char. Plantae cellulares, cellulis irregularibus fibrosisque, epidermide perfecta stomatibusque destitutae, agamae. Systema vegetativum (mycelium) floccosum, ut plurimum latens, similare, thalliforme, sed radiculis plantarum perfectiorum tantum respondens, absque omni cum caule et foliis analogo, absque gemmulis (gonidiis) et omni indole coloribusque herbaceis. Systema fructificationis praecellens, primitus velatum, omnibus organis simul explicatis definite periturum, sporidiiferum. *Cryptogamae homonemeae, a matrice intus susceptione sese nutrientes, basi e* fungino, *azoticum exhalantes.*

Classis vastissima, reliquas simul sumtas apud nos specierum numero superans, cujus species sigillatim hoc loco non enumeramus, cum mox prelo subjicietur epitome totius hujus classis, in qua species Scanicae rariores simul synoptice indicantur alioque loco omnium fungorum in patria lectorum stationes et habitationes exponentur. Sed ut conspectum systematis et specierum in Scania summam tradam, notae familiarum, tribuum et generum analysi exponentur, specierum e singula familia in Scania lectarum numerus simul indicabitur. — Hoc modo infra capitulatim propositum invenies systema nostrum Mycologicum, una cum additionibus et emendationibus, quas per ultima lustra continuatae observationes et undique terrarum allatae specierum copiae necessarias docuerunt. Ceterum ad differentias rite percipiendas methodum analyticam, hactenus neglectam, adjumentum haud laeve fore speramus. Genera in Scania non lecta cruce (†) notantur. Familiarum clavis: *sporidia enata* 1) e thalamio vulgo ascigero discreto a) centrifugo infero l. amphigeno, *secedentia* = LXXXV. HYMENOMYCETES; b) supero definito disciformi, *elastice explodenda* = LXXXVI. DISCOMYCETES; c) incluso, nucleiformi, *diffluentia* = LXXXVII. PYRENOMYCETES: 2) intra peridium contextum s. fungi substantiam = LXXXVIII GASTEROMYCETES. 3) e floccis discretis = LXXXIX. HYPHOMYCETES: 4) e conidiis = XC. CONIOMYCETES, quare huc referuntur simul appendicis loco formationes exanthematicae e gonidiis plantarum perfectiorum anamorphosi ortae. Hae sunt naturae organicae in inorganicam regressus. Ridiculum mihi vi-

detur ex his, ut ubique ab inferioribus vagis et indefinitis ad perfecta et rite explicata, ordinem velle deducere.

Cum Filices, Musci et Algae L. in plures familias separantur, Fungi L., inter quos fructificationis varietas multiplo major et gravior, in sex saltim subdividendi. Si vero ad genium Botanices hodiernum e singulo recedente genere nova fingatur familia, longe plures proponendae sunt.

Fam. LXXXV. HYMENOMYCETES.

Char. Thalamium in membranam (*hymenium* dictam) expansum, centrifugum, occupans superficiem in pileatis inferiorem l., pileo haud discreto, exteriorem indefinitum. Hymenium ex ascis brevibus subtilibusque, absque paraphysibus factum, sporidiis secedentibus nec elastice ejiciendis. *Vegetatio centrifuga, discreta; structura composita floccosa; mycelio numquam spurio* (l. a matrice formato) *vel primitus gelatinoso, subperenni, fructu fugaci, ut plurimum libere evoluto.*

Cfr. dissert. nostra: *Genera Hymenomycetum*, in qua tam plenior vegetationis, quam fructificationis descriptio, quam generum characteres exhibentur. Clavis tribuum: *Hymenium* 1) primitus effiguratum, a) lamellosum = AGARICINI; b) porosum = POLYPOREI; c) aculeatum granulosumve = HYDNEI; 2) primitus laeve, a) horizontale inferum distinctum = AURICULARINI; b) verticale, confluens = CLAVARIEI; c) indefinitum, amphigenum, confusum gelatinosum = TREMELLINI. — Huic familiae *nulla* omnino inter Algas respondet formatio, analogia remota tantum cum Filicibus; evidentissima cum LITHOPHYTIS.

I. AGARICINI. Tribus vastissima totius regni vegetabilis inter Fungos et Hymenomycetes in specie centralis (nullus ad reliquas classes adest transitus), cujus in Scania legimus circiter 500 species, inter quas ob solum pingue *Coprini* excellunt (ex aliorum, v. c. *Secretani*, specierum determinatione, triplo major fit numerus). Clavis generum: *Lamellae* 1) *membranaceo-molles* dissepimento (*trama*) nullo aut in proprium mutato, a) una cum receptaculo (*hymenophoro*) a stipite discreto; nunc immutabiles, leucosporae = *Amanita*; nunc subliquescentes, decolorantes, sporidiis discretis coloratis = *Pluteus*; nunc diffluentes, sporidiis quaternatis nigris = *Co-*

prinus; nunc e margine pilei tantum radiantes, sporidiis nudis stipatis nigris = *Montagnea* †; b) cum receptaculo concretae et cum eodem stipite contiguae, nunc persistentes, ascis perfectis, sporidia explodentes = *Agaricus*, nunc decolorantes, ascis imperfectis in sporidia secedentibus pulverulentae = *Cortinarius*; c) a receptaculo, cum stipite contiguo, prorsus discretae et facile secedentes = *Paxillus*: 2) *ceraceae* l. subgelatinosae, dissepimento a pilei substantia, a) acie acutae, dissepimento nunc imperfecto floccoso, ascidiis fusiformibus nigris = *Gomphidius*, nunc subgranuloso, sporidiis rotundis albis, hymenio mutabili succoso = *Hygrophorus*; nunc vesiculoso lactescente = *Lăctarius* l. exsucco *Russula*; b) acie obtusae, nunc venoso-ramosae = *Cantharellus*, nunc latae, inaequales, subtortae, haud decurrentes = *Nyctalis*; 3) *lentae*, cum pileo rigescentes a) acie acutae, nunc integerrimae subplicaeformes = *Marasmius*, nunc tenuissimae, lacero-fimbriatae l. denticulatae = *Lentinus* b) acie obtusae, compaginatae = *Xérotus* (hinc a Xeròtibus discernendi); c) acie longitudinaliter canaliculatae = *Trogia* †: 4) *coriaceae* a) acie longitudinaliter fissae revolutae = *Schizophyllum*; b) acie compaginatae, saepius acutae et anastomosantes = *Lenzites*.

II. POLYPOREI. Infimae hujus tribus formae v. c. *Porothelia* ad Pezizas et Discomycetes abeunt. [*Soleniae* genus, solum inter genera a me visa, cujus locum incertum censeo, potissimum Polyporeum; analogia cum *Cyphella* manifesta.) Species in Scania lectae 95. Clavis generum: *Pori* 1) e tubulis stipatis facti, a pileo omnino discreti et secedentes = *Boletus*; 2) genuini, cum pileo concreti, dissepimento a) e pilei substantia in proprium (discolor) mutato = *Polyporus* (odore primitus acidulo) b) e pilei substantia immutata concolori, nunc integerrimi obtusi = *Trametes* (odore subfragrante), nunc lacerati in sinus labyrinthiformes = *Daedalea* l. lamellas concentricas = *Cyclomyces* †, 3) alveolares, hexagoni, jam primitus ampli a) suberosi, ascis imperfectis = *Hexagona* †, b) lenti, ascis perfectis didymosporis = *Favolus* †, c) gelatinosi, cum pileo similares, ascis nullis = *Laschia* † 4) e venis in hymenio ceraceo ipso superficialibus reticulatis formati = *Merulius*; 5) in papillis,

primitus discretis immersi sparsi = *Porothelium.* (Affinis *Solenia.*)

III. HYDNEI. Non tantum infima genera granulosa v. c. *Gausapia*, sed *Radulum*, *Fistulina* etc. Pyrenomycetes ita referunt ut saepe commutentur. Sic *Hydnum sudans* A. S. est Pyrenomyces, *Sphaeronaema hydnoideum* contra Raduli spec. — Species in Scania paucae (37); nam inhabitant praecipue silvas acerosas, quasi adesset nexus inter harum folia et Hydneorum aculeos. Clavis generum. Hymenium *protuberat* 1) in verrucas tubulos discretos exserentes = *Fistulina*: 2) in aculeos acutos nunc deorsum spectantes = *Hydnum*, nunc sursum porrectos = *Hericium* †; 3) in lamellulas interruptas flexuosas ceraceas = *Sistotrema* †: 4) in dentes coriaceos acutos concretos basi plicata conjunctos = *Irpex* 5) in tubercula elongata, ceracea, obtusa, difformia = *Radulum*: 6) in granula nunc apice penicillato-incisa = *Odontia*, nunc integerrima obtusa excavataque = *Gausapia*: 7) in plicas interruptas cristatas = *Phlebia.*

IV. AURICULARINI. Tribus in tropicis terris nobilis, apud nos parum insignis, licet species adsint ultra 50. Inter hanc et Trichodermacearum tribum exstant formae prorsus intermediae v. c. *Hypheliae*, *Theleph. rosea.* Clavis generum: Hymenium ascigerum 1) ceraceum, persistens, demum plicato-rugosum, primitus absque setis = *Gomphora*: 2) coriaceum contiguum persistens et immutabile, ascis incompl. = *Stereum*: 3) humectatum gelatinosum nunc remote costatum pileo heterogeneo= *Auricularia* †, nunc laeve, pileo homogeneo = *Guepinia* †, 4) in areolas marginatas partitum = *Cora* †, 5) in flocculos collabens = *Thelephora* 6) ceraceum, humectatum tumens, primitus setulosum, ascis perfectis = *Corticium*; a quo habitu ascisque amplioribus differt *Midotis* †. Accedunt ascis destituta genera *Cyphella*, *Hypochnus* †, *Kneiffia* † inter se et a prioribus distinctissima. Cfr. *Gen. Hymen.*

V. CLAVARIEI. Serie fere contigua abire videntur per *Pterulam*, *Typhulam* etc. in Hyphomycetes v. c. Isariam, Anthinam e. s. p. Pro ratione in Scania numerosae, 43 spec., inter quas *Sparassis laminosa* n. sp. (Merisma crispum Ehr.! Ber.) ad basin truncorum Quercus, laminis planis rectis radiato-parallelis apice integris, medium tenens locum inter S. *crispam* et americanam S. *spathulatam.* Clavis gene-

rum: Fungus 1) carnoso-foliaceus, e laminis compaginatis = *Sparassis*: 2) carnoso-clavaeformis ramosusve, subcylindricus a) ascis abbreviatis = *Clavaria*, b) ascis elongatis amplis = *Geoglossum* 3) gelatinoso-viscidus, ramosus clavaeformis = *Calocera* 4) corneus, capitulo gelatinoso — diffluente = *Crinula* †, 5) filiformis, capitulo cylindrico ceraceo = *Typhula* 6) coriaceus, homogeneus = *Pterula* †; 7) ceraceo-corneus homogeneus = *Pistillaria*. In ultimis asci obliterantur.

VI. TREMELLINI. Reliquas classes tangunt, sed ad Coniomycetes praecipue abeunt, in hac serie omnino infimi. Vix ultra 16 specc. in Scania lectae. Genera dignoscuntur: 1) gelatina distenta, tremellosa, contextu floccosa a) uniformi = *Tremella*; b) nucleum compactum includente = *Naematelia*; c) floccoso, conidiis immixtis = *Dacrymyces*: 2) similaria, compacta, corneo aut ceraceo-gelatinosa, contextu haud floccoso; a) foliaceum, cartilagineum = *Phyllopta*! b) ceraceum, sphaericum = *Agyrium*; c) coriaceo-molle, maculaeforme = *Hymenula*.

Fam. LXXXVI. DISCOMYCETES.

Char. Thalamium primitus nucleiforme, dein explanatum in discum solidum, haud fluxilem, superum aut in summis capitato-convexum, semper determinatum. Discus ex ascis erectis, elongatis, persistentibus, immixtis paraphysibus, sporidiis numero definitis (suboctonis) elastice ejiciendis. *Vegetatio centripeta, summis discreta, infimis innata, structura et mycelio, infimorum a matrice formato, variis, disco ceraceo. Ut plurimum persistentes.*

Familia nova ex Hymenomycetibus uterinis et Pyrenomycetibus hymeninis conflata, e quo jam affinitas cum utraque familia patet, sed seriem sistit tam contiguam (Cfr. S. M. II. p. 35.) ut in duas familias dispescere haud liceat. Per se tamen multo propius ad Pyrenomycetes, quam Hymenomycetes accedunt. *Discomycetes* et *Pyrenomycetes* respondent Lichenibus et Byssaceis Algarum, sed ob diversum ipsarum classium typum alia ratione separantur. — Tribus Discomycetum e forma plane artificiales, sed e substantia maxime faciles et naturales; reliquae vegetationis et fructificationis

differentiae cum his intime connexae sunt, sed asci fixi et erumpentes in singula tribu occurrunt et dispositionem purissime artificiosam tantum offerunt. Synopsis analytica tribuum: *Discus receptus excipulo*, 1) disco tenuiori pallidiori, a) *ceraceo* = HELVELLEI; b) *gelatinoso* = BULGAREI; c) *suberoso* = DERMEI: 2) disco molliori saturatiori nigricante d) *coriaceo* ore integro dehiscente = PATELLARIEI; e) *corneo*, rimose in labia l. valvulas dehiscente = PHACIDIEI; d) *spurio*, a matrice nempe formato = *Stictei*.

I. HELVELLEI. Centrum familiae constituunt et licet summa capitata genera, quibus sequentes tribus etiam seriem aperiunt, ad Hymenomycetes forma accedant, nullus omnino adest transitus. Species Scanicae circiter 100. Genera: Disco 1) immarginato, stipitato a) longitudinaliter costato-alveolato = *Morchella*; b) gyroso-costato = *Gyrocephalus* †; c) laevi, mitrato-inflato sublobato = *Helvella* l. campanulato aequali = *Verpa* † l. capitato = *Mitrula*, 2) marginato, saepe sessili a) hemisphaerico bullato-inflato polyrrhizo = *Rhizina* b) aequabili, ascis fixis = *Peziza* l. liberis elastice dissilientibus = *Ascobolus*.

> *Obs. Gyrocephalus* Pers. fungos valde heterogeneos complectitur, reformavimus ad genus definitum, inter Morchellas et Helvellas medium, ab utroque genere species colligens, nempe etiam H. *esculentam*, sed haec genera nimis affinia videri quis negaverit. Ab *Helvella* Leotias ceraceas v. c. L. *circinantem* separare jam impossibile mihi videtur et nova species *Spathularias* cum *Mitrulis* prorsus conjungit. A *Pezizis* minime separare licet *Helotia* Pers.

II. BULGARIEI. Transeunt ascis tenuioribus, plurimae insuper vegetatione et forma ad Hymenomycetes, sed disco supero et sporidiis elasticis mox distinguuntur a Tremelleis, Auricularinisque. Species Scanicae 26, inter quas insignis nova *Bulgaria aurea*, disco aureo, excipulo niveo-villoso ad ramos Sorbi, Betulae. — Excipulum 1) gelatina molliori distentum a) pileato-revolutum = *Leotia* b) cupulare, disco * laevigato, ascis erumpentibus = *Bulgaria* ** costato papillatoque, ascis fixis tenuissimis = *Exidia*; 2) substantia uniformi ceraceo-gelatinosa a) disco e sporidiis pruinato = *Lemalis* S. O. V. †; b) disco nudo, ascis fixis persistentibus

clavatis = *Calloria*; 3) membranaceo-gelatinosum; ascis moniliformibus = *Orbilia.*

Nexum inter Bulgarieas et Exidias testatur *Peziza gelatinosa* Bull. a Persoonio etc. ad *Exid. recisam* ducta, sed *Bulg. sarcoidem* potius forsan sistens. Ad *Calloriam* pertinent plurimae Pezizae minores gelatinosae: ad *Orbiliam*, Ascobolo eximie respondentem, P. *leucostigma*, *xanthostigma.*

III. DERMEI. Tribus valde naturalis, sed genera parva; plurima inter se magis quam priorum distant. Species Scanicae 14. Excipulum 1) primitus apertum, disco a) convexo-capitato, ascis paraphysibusque erumpentibus oscillantibus = *Vibrissea* †; b) scutellato velato, demum plicato gelatinoso-deliquescente = *Ditiola* vel laevi in ascidia fusiformia fatiscente = *Volutella*: 2) primitus clausum, disco a) e paraphysibus emersis pubescente = *Hirneola* S. O. V. †; b) polito glabro ascis nunc fixis = *Dermea* S. O. V. (discus subnigricans) nunc erumpentibus = *Lachnella* (discus pallidus.)

> *Vibrissea truncorum*, ut analoga *Patellaria Fibula* (Bolt. t. 176) statione humidiori mollior fit, ad hanc vero seriem e toto habitu pertinet confirmante V. *rimarum. Dermea* est genus valde insigne, naturalissimum, plures species dispersas colligens; vegetatio Cenangii. *Pez. Carpini* h. l. videtur, nexumque simul cum Ditiola indicare. *Lachnellae*, quarum typus Peziza alboviolascens, sunt quasi Patellariae personatae, nam sub villo adest excipulum nigrum. *Lemalis* et *Hirneolae* analogia manifesta.

IV. PATELLARIEI. Vegetatio Pyrenomycetum, haud floccosa, has et sequentes a prioribus distinguit, inde etiam excipulum perithecii indolem quoque assumit. Species Scanicae hactenus lectae 29 tantum, quia in diversis regionibus species admodum variant. Excipulum 1) semper apertum, disco a) lenticulari, utrinque ascigero obductum = *Sarea* †; b) scutellato — marginato supero tantum = *Patellaria*: 2) primo clauso a) e velo pruinoso, disco ex urceolato expanso membranaceo persistente ascis nunc persistentibus = *Cenangium*, nunc erumpentibus = *Scaphidium* † (Americanum) b) nudo, disco nucleiformi, ore nunc denticulato = *Heterosphaeria* Grev. nunc integro = *Excipula* (discus gelatinosus).

Patellaria colligit insuper varias Pezizas extus atras, v. c. P. *fibuliformem* Bolt., *Lecideolam* etc. *Cenangii* genus mire vexatum a negligentibus metamorphosin, immo cum Sphaeriis collabescendo concavis confusum!!! Cfr. de hoc genere *Elench. fung.*; Icon *C. ferruginosi* apud Grev. Scot. bonam dat de genere ideam. Variat *compressum* e statione, ut omnia affinia; pessime sectionem III., *Clithris* S. *M.*, ut peculiare genus novo nomine propositum; limites prorsus nulli, ipsumque *Cen. quercinum* rite et libere explicatum orbiculare! *Tympanidis* diversissimum licet simile genus, ut confusio terminetur, ad Pyrenomycetes refero, quibus utique adscribendum, licet externa facies locum juxta Cenangium suaserit, ut jam pridem in Elencho expositum. *Heterosphaeria* Grev., Phacidiis propinquum, ob os parum evidenter laciniatum, sed denticulatum tantum, potius in hac regione quaeratur. [Multorum generum nova nomina protulit Wallroth, sed ad nostra antiquiora pertinent. Videas *Epit. Fung.*

V. PHACIDIACEI. Grex evidentissima. Species Scanicae 60 circiter. Excipulum 1) labiatim dehiscens, disco canaliculato a) ramosissimum = *Glonium*, b) stellatum = *Actidium* c) simplex, naviculare = *Hysterium*: 2) laciniato aut frustuloso dehiscens disco placentaeformi a) a centro versus ambitum = *Phacidium* b) rimis transversalibus flexuosis frustulosis = *Rhytisma*; c) totum secedens, disco tenuissimo maculari = *Leptostroma*.

VI. STICTEI. Excipulum vulgo prorsus nullum, sed subinde accedunt rudimenta l. accessorium, quibus nunc nigro ad Phacidiaceos, nunc colorato ad Dermeos adscendere videntur. Sistunt itaque gradum utroque tribu inferiorem. Huc genus *Stictidis* S. M., in plura genera suo tempore dividendum, praecipue *Xylographae* seorsim proponendae. Accedunt *Cryptomyces* Grev. aliaque — nec *Coryneum* ab his rite distingui posse videtur. — Species Scanicae 16.

Fam. LXXXVII. PYRENOMYCETES.

Char. Thalamium nucleiforme, similare, subglobosum (non connivens) gelatinosum, excipulo clauso (perithecio matriceve) inclusum, nec in discum explanatum.

Sporidia typice in ascis convergentibus, immixtis paraphysibus, gelatina junctis recepta et per ostiolum rejecta, sed asci multis deficere videntur. *Vegetatio Discomycetum, fere omnes parasitici et persistentes.*

Vastissima haec familia, cujus ultra 2000 species jam numerantur, additis paucis generibus magis atypicis, sub Sphaeriae genere ex maxima parte militavit. Ab infimis *Discomycetibus* non nisi thalamii indole differunt, sed analogia evidentior adest cum Coniomycetibus, licet inter Pyrenomycetes longe major adsit varietas, longe graviores emineant differentiae. Nulla vero res cautius requirit examen quam asci Pyrenomycetum. Qui in diversis aetatibus varias species examinavit facile videt quam diversas induunt facies vel potius quam levis ponderis sit apparens eorum praesentia l. defectus. Plagulas huc spectantibus observationibus facile implerem. Sic v. c. in *Sphaeria Peziza* sporidia moniliformiseriata absque ascis pinxit Cel. *Corda* apud Sturm, equidem video eadem ascis distinctis, sed pellucidis, recepta. In *Sph. moriformi* pingit Cel. *Schmidt* in Myc. Heft. ascos fusiformes, septatos, ex meis observationibus hi sunt sporidia ascis amplis inclusa. Legebam jove pluvio in caule plantae manifestum *Chaetomium*, quod recens monstrabat mera sporidia in gelatina, sequente die eadem planta exsiccata obtulit ascos eximios, sporidiis seriatis. Species epiphyllae in folio vivo et putrescente semper diversam monstrant structuram. Paucis ex his differentiis dispositionem mallem omittere.

Interea melius dispositionis fundamentum haud innotuit. Probe vero tenendum genera non ad characteres microscopicos esse distinguenda, sed genera tantum habitu, morphosi et vegetatione distincta et acute limitata characteribus analyticis suffulcienda. Genera sic e natura eruta perennant etiam mutato charactere; genera a characteribus vel subtilissimis tantum pendentia brevi evanescunt. Ea bona tantum censemus genera, quae a charactere tantum non pendent, quae e tota indole sine analyticis differentiis mox discernuntur. Gelatinae cirrhose erumpenti, qualis in plurimis jovo pluvio, parum tribuendum; vix nisi in Cytispora characterem essentialem offert.

Tribus. Nucleus 1) ascis perfectis (elongatis) SPHAERIACEI, a) ostiolo prominulo = *Sphaerini*; b) poroso-pertuso simplici

(nec prominulo) = *Dothiorei*: c) rimoso dilatatoque = *Dichaenei* 2) sporidiis absque ascis perfectis (nullis aut rotundis, peridiolis dictis) PERISPOREACEI; a) perithecio definite ostiolato = *Perisporiei;* b) astomo, rimose aut vage tantum fracto = *Apiosporei* c) nullo l. latente, in matrice aut tuberculo nidulante = s. *Cytisporei.* Ex ostiolis nominibus realibus dici possent Sphaerini = *Eustomi;* Dothiorei = *cryptostomi*, Dichanei = *regmostomi*, Perisporei = *porostomi*, Apiosporei = *astomi.* Genera primaria hoc loco tantum notantur nec haec sine pleniori expositione in Epitome Syst. Myc., mox edenda, rite excipi possunt. *Cytisporei* forte inter reliquas sectiones distribuantur ob dispositionis fundamentum mutatum.

I. SPHAERINI. Centrum familiae, species et genera nobilissima complectens. Ostiolo semper prominente a reliquis omnibus mox differunt. Perithecia 1) a stromate ipso formata et exserta, a) terminalia = *Thamnomyces* † (stroma fruticulosum, habitu Lichinae, nunc ramosissimum nunc simplex); b) lateralia = *Rhizomorpha* (exclus. spec. plurimis Auct., mycelia sistentibus): 2) intra stroma definitum formata (multa s. solitaria) a) sporidiis pulveris instar nigri explodendis = *Hypoxylon*: Bull.! b) ascis ipsis filiformibus coloratis erumpentibus = *Hypocrea*: 3) a stromate, saepius spurio aut nullo, discreta = *Sphaeria* (inter has plures latent genera): 4) spuria, nuclei scilicet nidulantur in stromate a matrice formato absque peritheciis propriis = *Dothidea.*

Haec genera primaria *) summis duobus exceptis vastissima. Qui negant in *Hypoxylis* (quod genus et simplices et compositas species includit) adesse perithecia propria intus stroma vix attente has plantas observarunt. *Dothideae* genus ad species genuinas El. Fung. restrictum evidentissimum est — species simplices in S. M., ne genera nimis multiplicentur, subjuncta ob defectum ostioli prominentis nunc separare licet. — Ceterum quamplurima ex hac grege genera adsunt nova e structura valde insignia, sed eadem hoc loco indicare parum inserverit.

*) Ex analogia *Parmentariae* Fea (Pyrenastri Eschw.) separandas *Valsae*, peritheciis circinantibus ostiolis primo conjunctis.

II. DOTHIOREI. Perithecia 1) a stromate formata = *Dothiora:* 2) intra stroma definitum, nidulantia = *Enslinia* +: 3) a stromate indefinito discreta = *Hypospila*; 4) stromate destituta, a) epiphylla, peritheciis liberis in mycelio fibrilloso atro = *Meliola* (perithecia pilo terminata, ostiolo simplicissimo, asci convergentes, genus tropicum) vel colorato = *Asteroma* excl. specc. Dec. (perith. omnino calvo, ostiolo ampliato, asci erectiusculi), b) entophylla, peritheciis innatis a matrice formatis absque stromate et mycelio distincto = *Stigmea* = Dothideae simplices, astomae) et *Depazea*, quae ore ampliato ad Dichaeneos abire videtur, cum *Strigula* inter Depazeas, Coryneliam et Lichenes media.

Non exstat magis essentialis differentia inter Pyrenomycetes quam inter *Sphaerinos* ostiolo genuino praeformato et prominente et *Dothioreas* perithecio primo astomo, dein simpliciter poroso pertuso. Hic character enim ut maxime et facillime prominens citatus, sed altior adest divisionis ratio. Dothioris expurgatis mire sublevatur generum et specierum distributio naturalis. *Dothiora* est vastum genus, e plurimis Sphaeriarum sectionibus species colligens, typus est *Sphaeria melogramma;* Ensliniae *Sphaeria Pocula* etc.

III. DICHAENEI. Transitum sistunt ad Discomycetes; sed discum verum non monstrant; *Actidium* media ratio. Genera eximia, primo obtutu cognoscenda. Perithecia ore 1) e poroso ampliato, nucleo juniore manifeste Pyrenomycetum, a) a stromate discreta lageniformia = *Corynelia;* b) a stromate formata, demum tubaeformia = *Tympanis:* 2) rimose dehiscente a) rima definita vel longitudinali perithecii compressi = *Lophium* (nucleus fatiscens) vel transversali perithecii rotundati = *Ostropa* (nucleus deliquescens) b) rimis variis vagis nunc ascis elongatis simplicibus polysporis = *Gibbera* (nucleus deliquescens) nunc abbreviatis bilocularibus disporis = *Topospora*: 3) circumscissa, operculata = *Stegia* s. *Eustegia* (Decandollei homonymon genus ab ipso revocatum, nomen igitur servandum. Reticendae et spernendae inutiles nominum innovationes).

IV. PERISPORIEI. Transitum sistunt ad Gasteromycetes, asci genuini nulli, sed peridiola tantum forma rotunda-

ta *), hinc perithecia hujus et sequentium potius *peridia* dicenda. Morphosis vero et tota affinitas hos et sqq. cum Pyrenomycetibus jungunt. A Cytisporeis mox discrepant vegetatione et peritheciis superficialibus, *prominulis* cum Cytisporei semper obtecti latitantes. — Perithecia intra stroma cupulare = *Atractobolus* l. nuda 1) nucleum eructuantia a) compactum, operculi instar papillaeformi perithecia tegentem = *Thelebolus* (Erysiphes analogon), b.) gelatinosum, in perithecio firmo subcarbonaceo terminalem = *Sphaeronaema* vel tenui membranaceo-ceraceo = *Zythia* Syst. o. v. (= Coccobolus Wallr.) 2) sporidia tantum explodentia a) peridiolis recepta = *Erysiphe*, b) sporidiolis farcta = *Lasiobotrys*, c) simplicia = *Perisporium*: 3) innata, sporidiis inclusis, a) integra = *Ascospora* (sporidia sporidiolis seu peridiola sporidiis farcta subtilissimis) b) scutato-dimidiata = *Sacidium* (sporid. simplicia).

V. APIOSPOREI. Vulgo Hyphomycetibus adscripti, cum his certe analogi, nucleo vero distincti. Peritheciis s. potius peridiis numquam sponte dehiscentibus, sed diffractis, fatiscentibus laceratisque ab omnibus mox dignoscuntur. Perithecia 1) a mycelio floccoso discreta sporidiis a) moniliformi-concatenatis = *Antennaria* vel, si antiquior Gärtneri recipiatur, *Antennia* (*Racodii* nomen inepte huc ducitur) b) in pulpa gelatinosa simplicibus = *Myxothecium*: 2) cellularia astoma in stromate carnoso-vesiculoso = *Ceuthospora* (habitus Sclerotii): d) fibris depressis radiatis = *Actinothyrium*: 3) absque mycelio innata rimosa a) sporidiis fusiformibus = *Pilidium*, (Cfr. Leptothyrium) b) rotundatis, rima longitudinali dehiscentia = *Labrella*.

VI. CYTISPOREI. Transeunt ad Stilbosporeos, ut thalamio vero nucleiformi cellulari tantum differant. Cum perithecia tribuum duarum praecedentium semper denudata, nucleus horum sub epidermide vegetat et latet, sporidiis saepius cum gelatina tantum erumpentibus. Ostiolum spurium adest; quia

*) Asci et peridiola typice idem organon, sed forma et praecipue situ discrepant. Transitum haud sensibilem inter Tuberaceos videre licet. Sed sporidia fusiformia typice etiam asci in angustiem reducta. Mira typica cognatio omnium internarum partium!

ut in Sticteis excipulum, perithecium verum in his prorsus desideratur. Quod v. c. in *Hercospora*, = Sphaeriis cicumscissis, perithecium dicitur, est conceptaculum omnino respondens conceptaculo Sphaeriarum incusarum, multarum *Cytisporarum* e. s. p., nec clausum, sed superne cortice tectum et intus saepe multiloculare!! His consideratis facile junguntur genera affinia, quae charactere aliter excepto longe remota fuerunt. Nuclei 1) inclusi a) tuberculo gelatinoso celluloso, laete coloroto gelatina cirrhosa = *Naemaspora*! b) cellulis manifestis nigris, poro communi discum tegentem perforantibus = *Cytispora* (sporidia simplicia cum gelatina cirrhosa propulsa) c) cellulis mox deliquescentibus aut saccis, intra conceptaculum peritheciiforme nunc cupulare superne epidermide tectum = *Hercospora* (sporidia septata, atroinquinantia, sporidiolis simplicibus) nunc integrum = *Saccothecium* (structura mirabilis; intra conceptaculum, Sphaeriam simplicem referens, plures sacculi referti sporidiis elliptico-fusiformibus, iterum sporidiis internis, his insuper sporidiolis, farctis), d.) nucleo grumoso simplici intra conceptaculum membranaceum = *Haplodia* (sporidia globosa simplicia) 2) nudi, in matricis substantia (passim vero in ambitu decolorata) nidulantes, gelatina a) in stylum rectum rigidum explosa = *Glutinium* (sporidia simplicia) b) cirrhose explosa, in sporidia fusiformia septata fatiscens = *Septoria*, c) inclusa simplicia = *Phoma*. Cum inter *Hyphomycetes* species nullo habitu diversae supra omnem modum in genera lacerantur, greges naturalissimae et characteribus, historia et facie diverssimae sub eodem genere h. i. coacervantur. Pleniorem dabimus in Epit. Fungorum expositionem. In Scania lectae inter 500 a 600 species, sed in diversis terris maxime variant, ut haec familia omnium fungorum certe vastissima. — Appendicis loco citanda *Xyloma*, *Ectostoma* (minime cum Leptostroma commutandum) e. s. p.

Fam. LXXXVIII. GASTEROMYCETES.

Char. Thalamium discretum nullum vel rarius (in *Tuberaceis* summis) cum interna substantia confusum; fructificatio in centro fungi condensata. Peridium, fructificationem includens, primitus semper clausum, con-

textum nec e membrana simplici factum. Sporidia infimis intra peridium nuda, Lycoperdineis peridiolis evanidis primitus vulgo recepta, Nidularieis vero persistentibus, Tuberaceis plerisque adhuc perfectioribus venis cellulisve hymeninis receptis, immo in ascos veros transformatis, et in summis Phallodeis adest verum receptaculum a perdlio discretum sporidia in strato discreto mucoso (Thalamii indicio) gerens. *Fungi semper libere evoluti, sed passim subterranei, vegetatione centrifuga cum peridio contigua, fructificatione vero centripeta, contextu subvesiculoso et ante maturescentiam plus minus gelatinoso.*

Alteram, Thalamio proprio privam, incipit Fungorum seriem, hinc evolutionis gradu cum Hymenomycetibus facile parem, sed fructificatione simul maxime oppositam, ut duo culmina decet. Mira receptaculorum partialium varietas, ex his oriuntur tribus valde quidem naturales, sed generibus intermediis eximie connexis. Cum Mucorinis confundi nequeunt; horum sporidia peridiolis, i. e. vesicula simplicissima, haud contexta a simplici flocco inflato orta, tantum recepta.

Tribus distiguunt sporidia A) haud pulveracea recepta receptaculis evidentibus persistentibus (ANGIOGASTRES) a) universalibus, hinc solitariis, a peridio volvaceo liberis et pronascentibus = I. *Phallodei* (sporidia in strato mucoso); b) partialibus, peridio clauso, intus saepius loculoso l. venoso, innatis = II. *Tuberacei* (plurimi subterranei); c) propriis, in peridio demum aperto nidulantibus = III. *Nidulariacei*: B) matura libera, sublaxa, pulverulenta, floccis saepissime inspersa (TRICHOSPERMII), inclusa peridio primitus a) carnoso-coriaceo omnino contiguo = IV. *Lycoperdinei*, b) e floccis discretis contexto = V. *Trichodermacei*, c) gelatinoso toto fluxili = VI. *Myxogastres.* — Exceptiones quidem adsunt nonnullae characterum, sed non fallaces, v. c. *Battarrea*, sporidiis sicco-pulveraceis e tota structura ad Phallodeos pertinet.

I. PHALLODEI. Tribus summa seriem eximie contiguam sistens, primo obtutu a sequentibus valde distans, sed per *Clathrum*, *Gautieram* etc. (Cfr acutissimam Vittadini expositionem) in Tuberaceos directe abit et *Nidularia* inter *Phallodeos* et *Nidulareaceos* prorsus media ratio. Receptaculum 1) mitratum integrum a) sporidiis in muco immersis = *Phallus*

(unicum apud nos obvium genus, cum duabus speciebus, *Ph. impudico* et *canino*), b) subpulveraceis = *Battarrea* + 2) radiatum, radiis liberis a) bifidis expansis = *Aseroë* + b) simplicibus erectis extus fertilibus = *Lysurus* + : 3) = *Simblium* + : 4) = *Clathrus* +.

II. TUBERACEI. Fungus 1) *intus cellulosus*, sporidia recepta ascis linearibus, absque paraphysibus immixtis stipatis, investientibus cellulas (Sporangia! Syst. Myc.) internas a) denudatasque ob peridium externum deficiens = *Gautiera* Vittad.! + (sporidia striato-sulcata; genus summum, simile Clathro et Morchellae, sed cum Sparassi potissimum analogum); b) recepta peridio similari, cellulis e venis hymenii frequentissime anastomosantibus formatis = *Rhizopogon* (sporidia seriata, cfr. Krumbh. t. 60. f. 13—20. *Hymenogaster* Vittad. omnino idem genus, alia partium interpretatione tantum distinctum); c) inclusas peridio genuino, cellulis discretis = *Polygaster* (sporidia coacervata). Haec tria genera, *Rhizopogonea*, emersa, fibrilloso-radiculosa, absque peridio intruso): 2) intus *celluloso-venosus cavusve*, sporidia recepta ascis speciosis in peridiola abeuntibus, paraphysibus filiformibus distinctis, a) cylindricis, seriato — suboctosporis = *Genea* Vittad.! + (Fungi emersi, radiculosi, subcavi; non differt *Hydnocaryon* Wallr. b) clavato pedicellatis, e venis enatis, exsertis, paraphysibus tenuissimis = *Mison* + Plinii = *Tuber niveum* Desf. (sporidiis simplicibus conformibus — ex Krumbh. t. 59. f. 19—24) c) peridioliformibus pedicellatis intra paraphyses in cellulis venarum immersis sporidiis biformibus, simplicibus et majoribus sporidiolis farctis = *Balsamia* Vittad.! + (Fungi subterranei, arrhizi, Tuberi simillimi, sed caro alba *). Haec tria genera peridio intruso a prioribus distincta sectionem inter 1 et 3 sistunt omnimodo contiguam: 3) *solidus intus venoso-marmoratus*, (sporidiolis ut plurimum farctus) vulgo a) receptis peridiolis sparsis in substantia decolorante nunc = *Tuber* + (sporidia echinata) nunc alba persistente = *Choiromyces* Vittad. (sporidia sphaerica); rarius b) nidulantibus in venis maculisve carnem albam variegantibus = *Mylitta* (Sphlanchnomyces roseus

*) Hoc videtur verum *Aschion* Theophr., pessime loco definito nomine Tuberis usurpatum.

Corda apud Sturm. hujus species certe est. Ultima duo genera ita simillima, ut oculo modice armato discerni nequeant; *Choiromyces gangliiformis* Vitt. t. 2. f. 2 interna facie refert Mylittam Pseudacaciae, *Ch. meandriformis* Vitt. Myl. venosam Fries in Vet. Ac. Handl. 1830, colore vero et magnitudine admodum ceterum recedentem): 4) *solidus intus subsimilaris*, nec cellulosus, nec venosus, sporidia peridiolis in substantia nidulantibus ut plurimum recepta, peridio l. cortice a) distincto lignoso-squamoso = *Pachyma* +, b) vesiculoso, intus fibroso-celluloso = *Picoa* + (Pachymati simile: h. l. videntur simul *Sclerotium Lotorum*, *Medicaginum* aliaque subterranea) c) toto vesiculoso, radicibus fibrosis copulato = *Rhizoctonia*. + Ob peridiola huc manifeste pertinet nec ad Sclerotiaceas. d) toto grumoso extus floccoso = *Endogone* + (Auctor ipse dubitat an sit Nidularia haud rite explicata.)

Tribus nobilissima, ab Auctoribus hactenus male descripta et mire commutata, praecipue ob variam internarum partium interpretationem, ut paucis speciebus in terris borealibus tantum obviis [in Scania tantum *Rhizopogon luteolus* et *albus*, qui ex Krumbholtzii icone *Tuberis albi* Bull. ab hoc omnino genere differt, licet externa facie sit simile et sub hoc nomine acceperim Rhizopogon) Systema Mycologicum editurus e tot confusionibus me expedire non potuerim, sed Italos Botanicos obtestatus sim illam extricare. Hoc votum supra omnem exspectationem perfecit Cel. *Vittadini*, antiquae classicae mycologiae in Italia exstinctae restaurator, qui hanc tribum omni ratione ita absolvit ut vix parem habeamus Monographiam. Sed incepto accuratiori examine etiam in aliis terris multae eximiae species innotuerunt, etiam in Suecia v. c. *Mylitta venosa*, capitis puerilis magnitudinem excellens. — In nulla familia transitus ascorum in peridiolorum facilius observatur Vitt. t. V. f. 111. b.; sporangia in Syst. Myc. complectuntur et peridiola *Tuberis* et cellulas *Rhizopogonis* etc. Ultima *Lycoperdineorum* genera utique accedunt, sed morphosis et affinitas ad illos ducunt, hinc inter Tuberaceos omissa *Hysterangium* et *Octaviana* Vittad. nec non *Elaphomyces*.

III. NIDULARIACEI. Sporidia 1) conglutinata intra sporangia carnosa peridio proprio interiori membranaceo cincta nunc a) solitaria elastice prosilientia = *Sphaerobolus* [Utrumque peridium stellatim fissum] nunc b) plura primo in gelatina natantia = *Nidularia* (Peridium exterius nunc cyathiforme operculatum nunc versiforme vage dehiscens, nunc floccosum totum evanescens = *Nidularia denudata*, sed ex his differentiis genera non separanda: Cyathi nomen et contra regulas artis formatum et ineptum et vagum rejiciendum]: 2) conglobata, in sporangia nuda ceracea (absque peridio proprio et nucleo sporidiorum priorum interno) conglutinata = *Myriococcum* +: 3) coacervata intra peridiola minora et tenuiora; a) absque floccis = *Arachnion* +, b) floccisque inter sporidia = *Testicularia* + Klotzsch! [*Polysaccum* vide Lycoperdineas] 4) grumosa intra sporangia oblonga, peridio versiculoso-lloccoso = *Polyangium* +.

Sphaerobolus Phallodeis ab Ehrenbergio haud male adscriptus, hoc loco tamen potissimum collocandus, cum Mitremycete analogus. Duae hujus species et 5 Nidulariae in Scania tantum lectae. Ultima genera ad Lycoperdineos facile abeunt, cum Polysacco ambigua. Insuper adsunt primitus peridiola in pleriisque forsan Lycoperdineis, sed pulvere seminali nudo laxo, mox distincti.

IV. LYCOPERDINEI. Genera multa valde insignia. Admittendae videntur duae sectiones primariae, unicam tamen contiguam seriem sistentes, altera A) *peridio emerso definite dehiscente, sporidiis e massa carnosa deliquescente laxis pulverulentis.* In hac sporidia recepta 1) peridio interno absque capillitio = *Mitremyces* + (peridium interius ore, squamis coloratis clauso, cum exteriori, calyptra basi disrupta tecto, tantum conjunctum. Quod Sphaerobolus inter Nidulariaceos, idem Mitromyces inter Lycoperdineos!): 2) capillitio enato e peridio a) contiguo, cortice exteriori vel in peridium externum stellatum fissum et expansum discreto = *Geaster*, vel squamoso-secedente discreto = *Bovista* vel concreto areolato verrucosove = *Lycoperdon*; b) a stipite discreto = *Tulostoma* (peridium interdum basi a stipite circumscissum finditur): 3) capillitio laxo, enato e columella centrali a) styliformi a floccis libero, peridio basi dehiscente = *Podaxon* +,

b) trabaeformi in floccos soluto, peridio ad latera dehiscente = *Cauloglossum* + c) scyphiformi spongiosa, peridio apice dehiscente = *Cycloderma* Klotsch + in Linn. VII. 4) capillitio celluloso-diviso, a) conglomerata, sed peridiolo haud recepta = *Scleroderma*, b) intra peridiola floccis intertexta = *Polysaccum* + . Altera sectio B) *peridio plus minus subterraneo persistente, sponte haud dehiscente, massa sporacea primo subgelatinoso-mucosa, demum exsiccata, sed saepe conglutinata* persistente; in his peridium 1) floccoso-fugacissimum, peridiolis floccoso-contextis conglomeratis intus primo gelatinosis, dein sporidiis pulveraceis = *Ciliciocarpus*. Corda apud Sturm. + (Valde affine Polysacco) 2) persistens a) intus carnoso-cellulosum, cellulis firmis persistentibus muco viscido (nigricante) refertis, demum in sporidia conglutinata exsiccato = *Hyperrhiza* (E alia plaga Polysacco maxime affine, cum quo e *Michelio* junctum genus, quo duce sub Polysacco non visas (spec. 7, 8) notavimus novum genus praemonentes, in vivo autem repertas et cum *Hyperrhiza* genuina collatas ad hoc antiquum genus pertinere mox perspeximus; idem genus sistunt *Bulliarda* Junghun, *Melanogaster* Corda apud Sturm., *Octaviana* Vittad., *Argylium* Wallr.] b) intus mucosum, tubulosum, gelatina diffluente fatiscens = *Hysterangium* Vittad.! (inter prius et sequ. medium) c) intus primo carnosopulposum septatum, demum in sporidia compacta floccos inspersa fatiscens = *Elaphomyces*, d) intus . . . . . sporidiis floccis inspersis, peridio interiori papyraceo ab exteriori lignoso discretum = *Diploderma* + (valde incertum genus), e) simplicissimum, corneum, intus absque loculis et floccis, sporidiis primo conglutinatis, demum cavum = *Cenococcum*.

Hanc seriem naturalem lacerare impossibile videtur, licet alia genera charactere ad Nidulariaceos, sporidia enim saepe peridiolis primitus recepta, ultima subterranea habitu ad Tuberaceos revergunt. Peridia intus cellulosa, non magis differunt a ceteris, quam Aethalii. Spumaria a Reticulariae. Species Scanicae: *Geaster striatus* (Lund, Malmö etc.) *mammosus* (huc omnino pertinet Sowerb. t. 401!), *Bovista nigrescens*, *plumbea* (cum sequente a variis ipsoque Persoonio confusa, magnopere vero diversa) *B. tunicata*, *B. suberosa* (Malmö), *B. gigantea* (a *Lycoperdo Bovista* revera differt capillitio compacto persi-

stente etc.) — *Lycoperdon Bovista*, *caelatum*, *pusillum*, *saccatum*, *gemmatum*, *pyriforme*, *constellatum*; *Tulostoma mammosum*, *timbriatum*; *Scleroderma vulgare*, *Bovista*, *Hyperrhiza tuberosa* Fries S. M. index univers. Cfr. Linn. v. p. 698 (*Polysaccum* S. M. e Michelio Melanogaster tuberiformis *Corda*, Octaviana variegata *Vittad.* Argylium liquaminosum *Wallroth?*) prope Malmö copiose, *Hysterangium membranaceum* Vittad! in Paradislyckan ad Lund *Angelin*, fungorum rarissimorum indagator eximius, *Elaphmyces granulatus*, *muricatus*, *Cenococcum geophilum*.

V. TRICHODERMACEI. Peridium 1) determinatum mitrato-stipitatum a) superne rugosum strato sporidiorum compacto denudato = *Spadonia* + (stipes cellulosus Phalli — Homonymon genus Lessingii recentius, nomen mutabit), b) superne laeve, strato sporidiorum pulveraceo membranaceo-velato = *Pilacre* + (stipes fibrosus); 2) determinatum, capitostipitatum, e floccis contextum, a) sporidiis angulalis = *Asterophora*, b) sporidiis sphaericis = *Onygena*; 3) determinatum, sessile, flocculosum a) fatiscens sporidiis pulveraceis = *Institale* = (Sow. t. 146 nec l. 147) b) dehiscens sporidiis pulpae immersis = *Anixia* + (an hujus loci? Vegetatio historia et Pezizoideus habitus omnino *Geneae bombycinae*, sed nullas venas aut peridiola vidi. (Cfr. quoque *Stephanoma* Wallr., prorsus ignotum). De *Epichysio* Tod. vid. Syst. myc. 4) subeffusum, indeterminatum a) villosum sporidiis laxis = *Hyphelia* (in *H. rosea* sporidia potius peridiola sporidiis referta, ut facile peculiare genus; habitus vero idem eademque differentia in *Perichaena* aliisque); b) crustoso-fragile, glabrum = *Ostracaderma* (morphosi sicca a Myxogastribus, cui simile differt. *Ostracoccum* Wallr. charactere sat convenit, sed videtur lusus *Diderm. valvati*); floccoso-contextum, sporidis nunc sicco-compactis = *Trichoderma*, nunc fluxili-conglutinatis = *Myrothecium*. Accedunt quaedam alia genera mihi dubia, ut *Tipularia* + Chevall etc. — *Myrosporium* Cord. huc ab Auctore ducitur, inquirendum vero an Perichaena l. Licea nondum plene sicca.

Species Scanicae: *Asterophora Lycoperdoides* (variae species absque hymenii inferioris vestigio genus extra dubium ponunt), *Onygena equina*, *corvina*, *faginea*; *Hyphelia rosea*, *bombycina* n. sp. *terrestris*; *Ostracoder-*

ma pulvinatum; *Trichoderma viride*, *flavum*, *Myrothecium Verrucaria*, *inundatum*. — Sporothricha varia etc. nimis affines Trichodermaceis.

VI. MYXOGASTRES. Mucilago primaria abit 1) in unum peridium a) *determinatum* e membrana duplici factum, papyraceum, persistens verrucosum = *Lycogala* (transitus ad Lycoperdineos, ut tria sqq. genera *indeterminata* ad Trichodermaceos); b) simplex, tenue, laeve, floccis reticulatis = *Reticularia*; c) crustoso-fatiscens, strato floccoso-corticatum intus e floccis cellulosum = *Aethalium*; d) crustoso-fragile, nudum, intus plicis adscendentibus loculosum = *Spumaria*; 2) in peridia plura discreta, intus floccis a) vagis (cum *sporidiis nigro-fuliginosis*) surgentibus e peridio nunc duplici, exteriori vel crustaceo = *Diderma*, vel furfuraceo-squamuloso = *Didymium*, nunc simplici vel tenui irregulariter dehiscente = *Physarum*, vel firmiori circumscisso = *Craterium*; b) reticulato-conjunctis in capillitium *nunc* a peridio liberum vel a columella (*alba*) grumosa surgens = *Diachea* vel stylo (nigro) penetranti adhaerens = *Stemonites*, *nunc* innatum peridio vel persistenti dehiscenti = *Dictydium* vel ad demididium evanescenti, superne cribroso = *Cribraria*; c) liberis, in capillitium elasticum (cum sporidiis laete coloratum) intorti, peridio vel circumscisso basi cupulari persistente = *Arcyria* vel toto squamuloso evanescente = *Lachnobolus* vel toto persistente irregulariter apice rupto = *Trichia*, d) paucis liberis (cum sporidiis laete coloratis capillitium haud formantibus = *Perichaena* e) nullis, sporidiis haud fuliginosis = *Licea*; f. in cirrhum elasticum junctis = *Cirrholus*. +

Species Scanicae ultra 100. Tribus acutissime limitata morphosi gelatinosa, in *Pheloniti* Chev.! (Liceae subscripta; *Cylichnium* Wallr. idem omnino est) et Cirrholo nondum observata, sed tota facies hujus gregis.

Fam. LXXXIX. HYPHOMYCETES.

CHAR. Sporidia conidiis heterogenea; nullo thalamio l. peridio contexto recepta; primo gradu et immediate explicantur intra l. e floccis; nunc ex-

terna, nunc interna; tum articulo floccorum inflato (peridiolum, quando innatum: spora quando liberum, secedens, vulgo fugax) vulgo recepta. Flocci sporidiiferi erecti vel convergenti-intricati, in *Sepedoneis* nulli. *Mycelium floccosum, centrifugo-expansum, conidiis adspersum, interdum vero deficiens; in* Dematieis *conidiis nudis caret, sed conidia in stroma saepe compacta. Sporidia evolutionis gradu admodum variant.*

Ulvaceis manifeste inter Algas respondent, ut a systematicis alteram tantum observantibus familiam fines alterius semper invadantur. Ulvacearum more etiam in continuas et articulatas distribui possent; et haec analogia ad genera singula facile saepius extenditur. Cum vero altior adsit fructificationis inter Hyphomycetes metamorphosis ex hac dispositionem sumimus; licet multo magis indifinita et vaga sit quam in familiis hujus classis praecedentibus, quare tribus praecedentium contiguae magis et arbitrariae. [Coniomycetes ad Hyphomycetes exacte sese habent ut Diatomaceae ad Ulvaceas. Differentia posita est in diversa sporidiorum morphosi et vegetatione libere evoluta floccosa Hyphomycetum.] Dignoscuntur tribus *sporidiis* 1) receptis stromate verticali flocсoso, floccisque inspersis = CEPHALOTRICHEI: 2) congestis in capitulo terminali discreto absque floccis = STILBINI: 3) inclusis peridiolo persistente = MUCORINI: 4) inspersis floccis tubulosis articulatis mucedineis, a floccis mycelii conidiiferi vulgo diversis — MUCEDINES: 5) adhaerentibus fibris solidis opacis continuis l. obscure annulatis rigidis; si mycelium adfuerit, vel stroma e conidiis compactum vel floccosum absque conidiis = DEMATIEI: 6) e matrice enatis, absque floccis sporidiferis, sed mycelio floccoso tectis l. cinctis = SEPEDONEI. [In Dematieis quibusdam sporidia intra fibras, vulgo e stromate, oriuntur, sed fibrarum indole mox a Sepedonieis dignoscuntur.]

In his plantis observandum praecipuum est, ut caute separentur mycelia aliorum Fungorum ab Hyphomycetibus typice evolutis et autonomis. *Myceliis inspersa sunt conidia* a sporidiis Hyphomycetum non discernenda. De his

rationibus et quibus criteriis discerni possunt videas in Syst. Myc. III.

I. CEPHALOTRICHEI. Stroma 1) e floccis contextum siccum a) apice e floccis heterogeneis intortis capitatum = *Cephalotrichum*; b) clavariaeforme, floccis simplicibus, *nunc* patentibus sporidiiferis sursum undique tectum = *Isaria;* nunc apice tantum liberis, sporidiis latentibus = *Anthina*; c) chordaeforme, strato farinaceo sporidiorum = *Amphichorda ;* + d) rotundato-lobatum, undique floccis racemose sporidiiferis ramosis tectum = *Peribotryon* + : 2) conglutinatum subgelatinosum, a) rigescens difforme e fibris intricatis conglutinatis, apicibus fibrarum in sporas mutatis = *Scorias* + b) molle persistens e floccis intricatis, extus nudum, sporidiis demum secedentibus = *Dacrina* (varie figuratum, sed etiam rotundatum ut in *Merosporio minuto* Corda, quod omnino hujus generis; ipsi copiose legimus); c.) mucilaginoso-fluxile collabescens = *Ceratium.*

Transeunt ad Hymenomycetes, inter quos cum Clavarieis olim jungebantur. Affines porro Auricularini infimi ascis privati v. c. *Hypochnus*, sed vegetatione tota expansa et hymenii, licet incompleti, rudimento facile differunt. *Periola* inter Sclerotiaceos differt sporidiis e conidiis enatis nec floccis inspersis. A Dematieis stromate a conidiis facto, tota facie recedunt. Species Scanicae 23; inter Isarias addendae novae: *I. carnea* (Pers. ex icon. nec ad spec. Fungus aridus, siccus, ceterum Ceratii l. Hydni facie, colore rubello l. carneo-fuscescente. Clavulae primo discretae hydnoideae, dein in centro coalescunt tuberculoso-contiguae, conjunctae in caespites primo orbiculares 2-3 lin. latos, dein confluentes, irregulares; mediae erectae, reliquae undique divergentes et ambitus longiores radiantes, omnes simplices, absque stipite distincto. Tota superficies pilis brevibus sporidiiferis pubescens. Ad ligna putrida Betulae) et *I. ramealis,* minima, erumpens, fasciculata, candida undique e pilis apice monosporis pubescens — in ramulis *Corni masculae.* Montagne.

II. STILBINEI. Capitulum (floccis intertextum = *Cephalotrichum*-vide supra) nullis floccis intertextum, 1) discre-

tum, nudum, totum, e sporidiis conglobatis a) siccum = *Chordostylum*, b) gelatina involutum, stipite flocoso = *Ciliciopodium* (vix a Stilbo separandum, at vegetatio hujus et *Chordostyli* omnino Isariae), stipite laevigato = *Stilbum*: 2) calyculo dimidiato columellatoque, a) stipite contiguo rigido = *Calyssosporium* Cord. +, b) stipite septato = *Hemiscyphe* C. + (an mucorina peridiolo circumscisso, at sequens genus simillimum): 3) e columella solida nuda diffluens = *Leucina* (= Sporocybe albida; stipes continuus): 4) vesiculare, sporidiis extus emergentibus a) stipite solido = *Periconia* +; b) stipite tubuloso continuo = *Phycomyces* +, c) stipite septato = *Ascophora*. Ceterum summum genus in sqq. tribubus prope accedit nempe *Pilobolus* (et Hydrophora) Mucorinorum, *Aspergillus* Mucedinum et *Sporocybe* Dematiorum.

Stilbum propriae tribus typum sistere jam in limine Syst. Myc. indicatum, sed propter unum alterumve genus distinguere non decuit, jam vero pluribus observatis separare necesse fuit Mucorinos gymnosporos [*Stilbinos*) ab angiosporis (*Mycorinis* veris). A se invicem differunt ut Discomycetes et Pyrenomycetes. Illis respondere Stilbinos jam testatur locos Stilbi inter Elvellaceas apud Persoonium. — *Doratomyces* Corda mihi dubium est; habitus Cephalotrichi, sed nulli in icone observantur flocci sporidiiferi; a *Leucina*, cui charactere accedit, toto habitu, colore et sporidiorum indole diversum nec sporidia ita capitata et conglomerata ut in *Sporocybe*. Stipes striatus Cephalotricho quoque potissimum respondet. Species in Scania lectae ultra viginti; pluresque Stilborum leviores species hactenus neglectae. *Atractium* Lk. Stilbo subscripsimus.

III. MUCORINI. Sporidia 1) cum peridiolo conglobata in globulum farctum a) terminalem vel dissilientem ex apice flocci clavato-ventricoso = *Pilobolus* — vel contiguum adhaerentem apicibus flocci aequalis = *Hydrophora*; b) lateralem, nunc in medio inter duo peridiola opposita in unum coalescentium = *Syzygites*, nunc in centro peridiolorum discretorum = *Azygites* +: 2) discreta intra peridiola a) in apice ramorum lateralium persistentia = *Melidium* +; b) circa apices clavatos aggregata, floccis vel ut in antecedentibus contiguis = *Cephaleuros* +, vel ut in omnibus sequen-

tibus articulatis = *Aërophyton* +; c.) terminalia *) geminata in flocco simplici, ore orbiculari aperta = *Didymocrater* +, **) discreta in stipite bifido, operculo deciduo tecta = *Diamphora* +, ***) discreta, vage dehiscentia = *Mucor* (Rhizopus, Thelactis, Thamnidium etc. nullo pacto separanda); d) in mycelio decumbente sessilia. = *Eurotium*. (Ab hoc plura separari possent, sed bene novimus nova Mucedinum genera plerisque esse taediosa.)

In infimo puncto v. c. *Eurotio* cum Pyrenomycetibus v. c. Erysiphe confluere videntur, at licet analogia sit manifesta, limites firmi et stabiles adsunt. Plura huc ex Auctorum sententia referenda genera mihi animalis naturae videntur, ut *Atractobolus ubiquitarius* Tod. (in alia nova analoga *planta* genus persistere potest), *Ascophora* P., *Caulogaster* Corda, *Crateromyces* Corda. Etiam *Coccosporium* Cord., quale saepe in Torulis vidi, mihi visum fuit quoad »sporidia» ova Molluscorum terrestrium. Species Scanicae vix 20, plurima insigniora enim genera tropica. — Inter Mucorinos et sqq. media sunt genera sporis i. e. peridiolis incompletis fugacibus, liberis et a filo discretis, his sine dubio ex affinitate adscribenda.

IV. MUCEDINES. Sporidia 1) in soros definitos collecta a) in apice floccorum clavatorum = *Aspergillus*; b) intra floccorum apice fissorum penicillum = *Penicillium*; c.) circa apices floccorum attenuatos vel floccos = *Botrytes* (primitus spora vulgo recepta): 2) intra sporas a) inter floccos coacervatos = *Physospora*, b) in ramulis discretis lateralibus = *Stachylidium* (sporae fugaces, sporidia spargentes conissantes): 3) discreta, floccis inspersa a) septata = *Dactylium*; b) didyma = *Trichothecium*; c) simplicia = *Sporothricum*; d) infarcta = *Acremonium*: 4) concatenata a) supra floccis discretos in penicillum = *Monilia* b) in floccos moniliformes et a floccorum metamorphosi orta = *Oidium*; c) intra floccorum tubum = *Sporendonema*: 5) enata ex apicibus floccorum tumentibus in sporidium loculosum, medio massa grumosa farctum = *Bactridium* +; 6) in gelatina floccos conglutinante nidulantia = *Haplotrichum* Eschw. nec LK. [Bactridia et ultimum Sporendonema etiam conglutinata, fructificatione differunt.)

Respondent Trichodermaceis Gasteromycetum, ad quos Sporotricha, Oidia etc ita abeunt, ut limites saepe deficere videantur. Generum synonyma in Syst. Myc. exposita; repetendum modo me in *Stachylidiis* v. c. St. diffuso et bicolore in ejusdem individui diversis statibus observasse et sporas *Sceptromycetis* Cord. et sporidiorum glomerulos *Botryosporii* C. Hujus generis insuper videntur tam *Oncocladium* Wallr. quam *Sporodina grandis* Wallr. — Mire redit singulum genus in seqq. tribu; primo igitur obtutu sub *microscopio* aliter has tribus limitare sine dubio malles (et hoc e diversa sporidiorum explicatione varia ratione facillimum foret), sed variis tentatis viis certissimus sum praesentem *Neesianam* maxime esse naturalem, ut nudis oculis semper palpabilem, cum tota vegetatione et historia conspirantem. Species Scanicae ultra 80.

V. DEMATIEI. Sporidia 1) in soros definitos collecta a) circa apicem fibrarum simplicem = *Sporocybe* (*Dendryphion* Wallr. est Sporocybe byssoides) b) inter apices definite partitos = *Actinocladium;* c) circa fibras vage ramosas, primo conglutinata = *Myxotrichum*: 2) intra sporas vesiculosas a) heterogeneas, ad basin intra fibras = *Ospriosporium* Corda (apud nos copiose ad asseres pineas hieme), b) homogeneas laterales deciduas = *Oedemium*; 3) discreta adspersa vel immixta fibris (subsimplicibus), a) septata = *Helminthosporium* [*Sarcopodium* Corda, Exosporium Lk. ex parte etc. sunt Helminthosporia sterilia]; b) didyma = *Polytrinchium* c) simplicia = *Dematium* (nec separem *Echinobytrion* C.) d) infarcta = *Arthrinium;* 4) concatenata in a) floccos spirales = *Helicomyces* b) in ramulos moniliformes variosve = *Cladosporium* [*Azosma* Cord. saepe vidi sed pro lusu Cl. herbarum sumsi; huc observ. Syst. Myc. III. p. 360 post Helm. simplex; catenae sporidiorum hujus et sequentis cum sporidio singulo Helminthosporii; hoc vero non in sporidia solvitur, sed est asci experimentum, sporidiola hinc fovens, quae in Cladosporio, Macrosporio etc. desiderantur) c) in clavas celluloso-septatas stipitatas = *Macrosporium* (= *Stemphylium* Wallr., *Septosporium* Corda) 5) ex apicibus floccorum articulatorum decumbentium turgescentibus

in sporidium loculosum intus grumosum = *Cometella* Schwein.! (= Macrosporium caricinum) 6) inter floccos fasciculato-conglutinatos, simplicia = *Gliotrichum* (= Aseimotrichum Corda) — *Dacrinae* genus, bene observante Corda, Arthrinio analogum etiam hoc loco citandum.

Tribus vasta, centralis, in genera aegre cohibenda; nisi singulam speciem primariam ut genus censere malles. Cavendum ne e stromate genera fingantur. Restant nonnulla genera a Cel. *Corda* proposita mihi minus nota hinc supra haud recepta, nempe *Mydonotrichum*, quod ab *Helminthosporio* differre videtur ut *Myxotrichum* a Dematio, et *Colletotrichum* quod ex icone *Ospriosporo* valde simile sed addito perithecio foret Vermicularia. His porro comparandum *Urosporium* Fingerh. in Linn. 1835. Species in Scania lectae valde numerosae.

VI. SEPEDONIEI. Sporidia 1) sporidiolis farcta, globosa, pellucida = *Sepedonium* (Mycelio laneo primo obtextum): 2) sporis inaequalibus opacis recepta = *Tuburcinia* (flocci fugaces): 4) in acervos conglutinata a) globosa = *Collarium*; b) fusiformia = *Fusisporium*; c) oblonga, apiculata, septata = *Epochnium*: 4) laxa, libera a) didyma — *Scolicotrichum* b) simplicia, obtexta floccis contiguis = *Psilonia*; 5) matrici innata, a floccis septatis obtecta, erumpentia = *Aleurisma* b) numquam erumpentia, a floccis nudis in maculam contextis discreta = *Dendrina* c) demum laxa, sporis raris intertexta = *Sporisorium* +, quod quasi Ustilago floccis aucta.

Transitum ad Conio mycetes Entophytos sistunt tam manifestum, ut genere saepe juncta fuerint. Differunt tantum mycelio flocoso. E charactere in Systemate cum Sporodesmieis locum facile commutarent, vegetatio vero hoc loco servat. Species Scanicae circiter 30 hactenus observatae.

Fam. XC. CONIOMYCETES.

CHAR. Sporidia e conidiorum metamorphosi nata, nullo recepta thalamio l. peridio, ne quidem floccis. *Fungi parasitici, a succis plantarum, nulla mediante*

mycelio, immediate nutrita, intra plantas vivas mortuasve nati, vel mere cellulae liberae vel contextu omnino vesiculoso, accedente rarissime in summis vegetatione floccosa. Ubi adsunt sporidiola haec cum conidiis identica fiunt, eis tantum exceptis quae e gonidiis plantarum perfectiorum enascuntur et strictius exanthematibus adscribendi.

Coniomycetes Diatomaceis Algarum respondent et his saepe ita similes, ut non nisi loco natali discerni possint. Ut vero Diatomaceae in infimis punctis cum Infusoriis confluunt, Coniomycetum singula tribus ad Exanthemata descendit. Ridiculum sane videretur, si quis ex illo Diatomacearum nexu omnes Algas pro animalibus declararet; magis vero absurdum ob pares rationes omnes fungos exanthemata dicere. Ut Diatomacearum formationes amphibolae, sic etiam Coniomycetum; infimae ex organis plantarum perfectiorum natae, aliae per anamorphosin aliorum fungorum. Cum *Hyphomycetibus* ceterum ubique collidunt, sed character essentialis in sporidiorum origine possitus est. Hoc invento de *Sclerotiaceorum* loco nullum dubium. Qui agnoscunt *Fungos absque sporidiis* eos parum sane observarunt.

Conidia A) in stroma primitus compacta, e minori l. majori parte mutanda in sporidia heterogenea 1) in superficie tenuissima *hymenina* inter se discreta (nec conglutinata) parcius et tardius secendetia = SCLEROTIACEI (stroma carnoso-corneum, persistens, superficiale l. liberatum); 2) in *discum* crassum coacervata stipatave conglutinata, evidentiora, quo jam nexus cum Discomycetibus indicatur = TUBERCULARINEI (stroma paucis discretum, plurimis confluens gelatinosum, erumpens); 3) sub epidermide matris cum stromate *nucleiformi* conglutinata, sola liberata et effusa = STILBOSPOREI (stroma subgrumosum, innatum, saepe evanescens: B) cum sporidiolis similaria, immediate mutantur in sporas, nulla alia praecedente vegatione ut stromatis aut mycelii, 4) vesiculosas, absque ordine conglutinatas l. aggregatas, sporidiolis = gonidiis farctas = ILLOSPOREI [superficiales); 5) moniliformi-concatenatas l. in sporidium septatum con-

cretos = SPORODESMIEI (suberumpentes) 6) cum gonidiis plantarum vivarum identicas, sub quarum epidermide nascuntur, mere exanthematicae = Hypodermii s. *Entophyti* (innati).

Infimae hae plantae neque intelliguntur neque in in tribus vel systema rediguntur sine attentione ad perfectiores familias, a quibus descendunt, et inter quas omnes partes et affinitates in tanta simplicitate obscurae plenius explicatae et declaratae.

I. SCLEROTIACEI. Contextus 1) intus longitudinaliter tubulosus; sporidiis a) apice secedentibus, minimis, fugacibus = *Acrospermum* (ob formam verticaliter elongatam, cellulae in tubulos continuos elongantur) b) in ambitu toto stipatis, adnatis, majoribus = *Dermosporium* Lk! (cellulae subtetragonae in tubulis septatis concatenatae): 2) in ambitu floccosus, floccis a) intertextis sporidiisque tenuissimis = *Pyrenium* (superficies laevigata, nudo oculo glabra; vegetatio Fusisporiorum proxima); b) setosis, sporidiis majoribus stromati instratis = *Periola* (superficies hispida vel tomentosa, non cum indumento floccoso secedente Sclerotiorum nonnullorum comparanda; est *Chaetostroma* Corda, et *C. isabellina* prorsus *Periola tomentosa*, conferas icones) 3) in ambitu farinaceo-fatiscens = *Aegerita*; 4) in ambitu strato gelatinoso diffluente obductum = *Acinula* (cfr. Myxarium Wallr.): 5) totus similaris compacte vesiculosus, cellulis ambitus mutatis a) in sporas adnatas emersas = *Epicoccum* (verum jam habeo a Montagne aliisque) b) in sporidia innato-secedentia = *Sclerotium* (cfr. v. c. *Sclerot. durum*, cellulae ambitus duplo majores in sporidia manifeste secedunt) c) gelatinoso-compactus, cellulis immixtis = *Phylloedium*. Appendix: *Spermoedia* meo sensu semina morbosa.

Manifestissima sunt omnia allata genera, nec non limites a Tubercularinis. Magis obliterantur versus Hymenomycetes, quorum infimum gradum omnino si sunt. Sic Cel. Corda *Sclerotiaceis* adscribit *Typhulam* = *Cnazonariam* et *Pistillariam* = *Scleromitram* sed in his semina, non nuda, in strato hymenino nidulantur, immo in Typhula vegetatione insuper longe diversa re ipsa ascis, obsoletis licet, recepta. Potius huc duceres Tremellinos, sed hi differunt non tantum substantia gelatinosa et vegetatione,

sed praecipue *callo hymenino*, ut sporidia numquam nuda ut in omnibus Coniomycetibus. Hoc modo *Agyrium* numquam cum Aegerita confundi potest multo minus cum *Tubercularia*, vel *Dacrymyces* cum simillimo *Fusario*. In *Dacrymycete* certissime vidimus ascos lineares, sporidiis seriatis globosis; in *Agyrium* nullum adest stroma discretum, sporidia (potius gonidia!) in interna gelatina similari nidulantur, extus callo hymenino sterilescente obducitur. Hinc forsan seductus cum eo-Sphaeriarium prima stamina confundit Wallroth; ad *Tubercularias* pejus sane a Sprengelio ducitur. Est vero aliud genus inter Sclerotiaceos, Tubercularinos et Tremellinos medium, quod solum e Tremellinis ad Coniomycetes duci posset, nempe *Naematelia*. Stroma in hac adest prorsus Sclerotiaceum, obductum strato crasso gelatinoso persistente, immixtis floccis et conidiis parvis, in ambitu vero cingitur ascis l. potius sporis magnis, immersis, sporidiis farctis, ut suadente habitu inter Hymenomycetes recipiendum. Reliquae Tremellinae cum Coniomycetibus confundi nequeunt. Sclerotiaceae 45 circiter in Scania lectae.

II. TUBERCULARINI. Sporidia 1) in stratum omnino discretum supra receptaculum proprium heterogeneum a) floccosum simul compacta, nunc simplicia = *Tubercularia*, nunc fusiformi-septata = *Volutella*, b) mere vesiculosum, sporidia [nunc peripherica supra gelatinam natantia vesicularia = *Naematelia* = vide *Tremellinos* et observ. supra factas, recedit enim ab hac grege disci natura quam sporis uniseralibus ut in Dermosporio! nunc] coacervata, simplicia, diffluentia = *Pactilia* [sporidia conidiis vesiculosis minora; typus *P. mycophila*, sporidiis globosis minutis e stromate capitato diffluentibus, in Polyporo adusto, sola quantum innotuit species stipitata inter plures sessiles): 2) in stroma similare l. spurium conglutinata [globosa, callo hymenino obducta, numquam superfecialia = *Agyrium*, vide Tremellinos) a) fusiformia = *Fusarium*; b) concatenata, in cylindros truncata, simplicia = *Blennoria* c) in floccos moniliformes concatenata, stromate in discum conglutinata = *Seriella*; d) clavata, septata, pedicellata, verticaliter constipitata = *Coryneum* (a quo *Seiridium*, etiam septatum! plenius observatum nullo modo differt, nisi apiculo pellucido) e) didyma = *Dicoccum* (speciem stromate

manifesto, licet similari vidimus) f) simplicissima globosa = *Schizoderma*. Appendix exanthematicum in fructubus *Strumella*.

Admodum respondent *Discomycetibus*, ut limites saepe deesse videantur. Sic *Volutella* utroque loco citanda, licet vera non nisi sporidiis a Tubercularia differat. Sed etiam Tuberculariae magnam cum Discomycetibus v. c. *Ditiola* indicant affinitatem. *Coryneum* ex altera parte est Sporidesmium, ex altera vero formis mediis cum Stictibus confluit. Cfr. Syst. Myc. III. p. 475. Si quis *Naemateliam* et *Agyrium* hoc loco quaereret, hoc loco essentiales horum generum differentias indicavimus. Species in Scania 26 circiter distinctae; ne *Schizoderma* definita careat specie hoc loco citanda: *S. salicinum*, sporidia minutissima globosa pellucida copiosissima conglutinata in discum convexum ex albofusco nigrum, epidermidi *Salicis Capreæ* innatum.

III. STILBOSPOREI. Sporidia 1) infarcta a) fusiformia, simplicia colorata = *Fusidium* b) in ascos perfectos, sporidiis seriatis, mutata = *Sphaerotheca* Cord. (pulchrum genus! ipsi vidimus; *Splanchnonema* Cord. vero certe ad Pyrenomycetes pertinet, forte cum Saccothecio jungendum); c) septata vel pedicellata fasciculata = *Prosthemium* vel discreta absque pedicellis = *Stilbospora*; d) didyma, *Didymosporium*; e) in figuras determinatas concreta = *Cheirospora*; f) rotunda simplicia = *Melanconium*: 2) vacua simplicissima a) fusiformia = *Cryptosporium*; b) globosa = *Papularia* (sporidia inclusa, pustullae non dehiscentes) — Appendix exanthematica *Nosophlaea*, a Cryptosporio Cordae vero diversissima.

Grex adeo naturalis, ut omnia fere genera nudo l. modice armato oculo haud discernenda. Primo genere excepto omnia colore atro gaudent. Pyrenomycetibus oppido respondent, ut a multis sub Sphaerinis collocata vel proxime saltim collocata, nec satis constat an potius alius eorum status. Differentia non in defectu perithecii, sed in veri thalamii, quare cellulosas Naemasporas vel nucleo perfecto instructas Septorias absque dubio ad Pyrenomycetes refero. Species in Scania circiter 20 observatae. *Melanconium disseminatum* ad Illosporieos pertinet.

IV. ILLOSPORIEI. Sporae s. vesiculae 1) in gelatina fluxili immersae, liberae, vacuae = *Diaphanium* (spec. novae): 2) conglutinatae a) in acervulos e gelatinoso fatiscentes, interdum solitariae = *Illosporium* (laete colorata); b) in corpuscula variae figurae, saepe venosa, sclerotioridea compacta, plerumque rigida, sed in vesiculas facile tota solvenda = *Coccopleum* (laete colorata; typus *Sclerotium subterraneum* Tode, et, licet idem ut a se lectum enumerat Wallroth, e descriptione non potest non esse Coccospora Wallr.) c) in tubercula grumoso-mollia = *Myriophyta* [color ater, specc. nov.) 3) discretae l. coacervatae tantum, a) superne exesae, sporidiis conglutinatis = *Sclerococcum*; b) dehiscentes, sporidia libera = *Clisosporium* (= *Coccularia* Corda; *Tuburcinia* praeter vegetationem innatam et floccos parum differt); c) sponte dehiscentia vel angulata sporidiis distinctis = *Thecaphora* Fingerh. vel rotundata sporidiolis obscuris = *Conisporium* d) simplicia, sporidiolo subsolitario = *Achitonium* Kunz. — et hujus appendix in fructificatione plantarum videtur *Sorisporium* Rudolphi.

Tribus nova a generibus ut heteroclitis vel dispersis l. neglectis, vere naturalis. A Gasteromycetibus, quibus respondent infimo gradu, differunt ut analogi Mucorini, et ab his peridiolo adhuc imperfectiori ut spora dicatur et defectu omnis vegetationis propriae l. floccosae. Conidia, quae cum sporidiis identica, explicantur mox in vesiculam novis sporidiis gonidiisque farctam. Situs semper superficialis, liber; sporae haud concatenatae etc. horum elementa a reliquorum mox distinguunt. Numerus Scanicarum nimis incertus.

V. SPORODESMIEI. Sporidiorum catenae 1) in tuberculum a) extus conidiis coloratis adspersum compactae = *Conoplea* (singula sporidia simplicia. *Dichosporium* Nees idem videtur genus, aliter observatum); b) extus nudum conglutinatae = *Phragmotrichum* (Genus eximium, sed character valde dilatandus, nisi e singula specie novum formetur genus; sic in Scl. exs. 1833 editis videre liceat *Phrag. acerinum* sporidiis oblongis, in *Phr. populino* desideratur quoque, ex analogia Toulae, isthmus; sed in omnibus singula sporidia septata l. cellulosa.) 2) liberae et discretae a) moniliformes, fa-

cile secedentes in sporidia didyma = *Alternaria* (Nees reformat.) vel simplicia = *Torula* (in utroque genere articuli isthmo distincta occurrunt); b) moniliformi-subcontiguae, articulis vel sporidiolis farctae = *Xenodochus* vel sporidio solitario = *Aregma*, c) septatae tantum vel cellulosae = *Sporidesmium;* d) continuae, e massa sporacea serie longitudinali intus notatae = *Entomyclium* Wallr. — Appendix: *Spilocaea*. [Transitus ad Hypodermios,] punctum, in quo tam *Sporodemiei*, quam *Coniosporei* confluunt.

Transitum sistunt manifestum ad Hyphomycetes; sed affinitas et defectus omnis systematis vegetativi floccosi hoc loco servant.

VI. HYPODERMII s. ENTOPHYTI. Sporidia 1) subseptata cauda l. pedicello adnata a) gelatinaque conglutinata in sporangium vel nudum expansodifforme = *Gymnosporangium* vel verticale clavariaeforme = *Podisoma*, b) matrici, sine gelatina = *Puccinia:* 2) libera, didyma = *Dicoeoma*: 3) simplicia, libera a) supra stroma liberum coacervata = *Epitea;* b) intra pseudo-peridia apice regulariter dehiscentia = *Aecidium,* c) sub epidermide plantarum primo cohaerentia eaque lacera effusa = *Uredo* 4) simplicissima, absque sporidiolis, laxa, libera = *Ustilago*. Appendix: *Protomyces* Unger.

Phylleriaceas e Fungorum et vegetabilium autonomorum censu excludendas esse jam pridem monui.

INDEX FAMILIARUM ET GENERUM
recedentium
Secundum Systema Sexuale.

I. MONANDRIA.

MONOGYNIA.

HIPPURIS. Stamen supra germen. Stigma simplex. Semen nuculare, calyce obsoleto tectum. — p. 157.
SALICORNIA. Stamen calyci insertum. Stylus bifidus. Semen calyce utriculat. — p. 135.

DIGYNIA.

Callitriche. Bracteae 2, petaloidae. Fructus 4-coccus. — p. 156.
Obs. Ambigue *Monandra* sunt varia perianthio nullo — in Monoecia recepta.

II. DIANDRIA.

MONOGYNIA.

* *Flores completi.*

VERONICA. Corolla rotata, limbo inaequaliter 4-partito. Capsula bilocularis. — p. 36.
LYCOPUS. Corolla tubulosa, inaequaliter 4-loba. Fructus 4-partitus. — p. 30.
PINGUICULA. Corolla ringens, calcarata. Caps. bivalvis. — p. 46.

HOLOSTEUM. Sepala et Petala 5. — p. 98.

TETRANDRIA.

MONOGYNIA.

* *Flores completi superi.*

DIPSACEAE. Flores capitati, monopetali, involucrati. Fructus monospermus. *Genera p. 16.*

RUBIACEAE. Flores discreti, monopetali, calyce' obsoleto. Fructus dicoccus. *Genera p. 18.*

CORNUS. Flores discreti. Corolla 4-petala. Drupa 2-locularis — p. 49.

** *Flores completi, inferi.*

EVONYMUS. Corolla 4-petala. Capsula 4-cocca. — p. 50. (Ad species exoticas genus pentandrum).

PLANTAGO. Corolla monopetala, scariosa. Stamina alterna, longissima, primo induplicata. Capsula circumscissa. — p. 47.

Gentiana. Corolla 1-petala. Stamina alterna, inclusa. Capsula bivalvis. — p. 43. spec. n. 250.

CENTUNCULUS. Corolla 1-pet. Stamina opposita; Caps. pr. p. 44.

Cruciferae, siliquosae, duo minora stamina subinde excludunt. v. c. n. 345, 346, 365, 374.

*** *Perianthio simplici.*

CONVALLARIA. Perianth. corollinum. Bacca. — *p. 173. sp. 831.*

Parietaria. Perianth. calycin. 4-fidum. *Polygama.* p. 141.

ALCHEMILLA. Periant. calycin. duplice serie 8-fidum p. 117. — Stamina interdum vage depauperata et *styli variant duo.*

TETRAGYNIA.

SAGINA. Sepala, et petala obsoleta, 4. Capsula 1-locul. 4-valvis, placenta centrali. — p. 91.

RADIOLA. Sepala 4, fissa. Petala 4. Carpella 4, bilocularia, in capsulam 8-locularem juncta. — p. 84.

BULLIARDA. Sepala et petala 4. Carpella 4, libera, polysperma. — p. 97.

PENTANDRIA.

MONOGYNIA.

** Corolla monopetala supera.*

*** Corolla monopetala infera.*

**** Corolla polypetala irregularis, calcarata.*

centrali. Filamenta apice juncta. Petala 4. Stigmata 5. — p. 75.

**** *Corolla polypetala regularis.*

RHAMNUS. Bacca supera, loculosa, drupacea, loculis monospermis. Petala cum staminibus *oppositis* fauci calycis inserta. p. 95.

RIBES. Bacca infera, unilocularis, placentis duabus parietalibus polyspermis. Petala cum staminibus *alternis* calycis fauci inserta. Stylus bifidus. — p. 95.

HEDERA. Bacca calyce adnato coronata, 5-locularis, loculis 1-spermis. Petala cum staminibus alternis disco epigyno inserta. — p. 51.

***** *Perianthio simplici.*

GLAUX. Perianthium coloratum (sed in australioribus corolla simul adesse fertur). Capsula unilocularis 5-valvis, placenta centrali. — p. 45.

DIGYNIA.

* *Corolla monopetala.*

CYNANCHUM. Folliculi 2, seminibus comosis. — p. 43.

CUSCUTA. Capsula circumscissa, bilocularis, loculis dispermis. *Herba aphylla.* — p. 23.

** *Corolla polypetala.*

UMBELLIFERAE. Carpella 2 calyce inclusa, demum secedentia. *Flores umbellati l. capitati.* — p. 52.

*** *Corolla obsoleta l. nulla.*

CHENOPODIEAE. Petala o. Stamina hypogyna. *Stipulae o*. p. 130.

HERNIARIA. Petala obsoleta filiformia (vulgo stamina sterilia). Stamina perigyna. *Stipulae minimae.* — p. 119.

ULMUS. Perianthium coloratum. Samara monosperma. *Arbor.* — p. 145.

TRIGYNIA.

VIBURNUM. Corolla 5-fida. Stigmata sessilia. Bacca infera monosperma. *Inodorum.* — p. 17.

**** Floribus in spadice aggregatis.*

ACORUS. Spatha o. Perianthium squamulosum. Capsula 3-locularis. — p. 180.

CALLA. Spatha monophylla. Perianthium o. Stamina indefinita. — p. 179.

DIGYNIA.

Persicaria. Perianthium corollinum. Achaenium lenticulare. *Sectio Polygoni.* — p. 128. Spec. 681—685.

TRIGYNIA.

RUMEX. Perianthium hexaphyllum, biseriale, calycinum. Achaenium triquetrum. — p. 125.

HEXAGYNIA.

SCHEUCHZERIA. Perianthium calycinum aequale. Capsulae apice discretae. — p. 174.

TRIGLOCHIN. Perianthii folia 3 interiora petaloidea. Capsulae circa columnam verticillatae. — p. 175.

POLYGYNIA.

ALISMA. Perianthii folia 3 interiora petaloidea. Capsulae indehiscentes. — p. 175.

HEPTANDRIA.

MONOGYNIA.

TRIENTALIS. Corolla plana. Capsula vesicularis, indehiscens. — p. 44.

Lysimachia. Corolla tubulosa. Caps. valvata. — Spec. 254.

OCTANDRIA.

MONOGYNIA.

EPILOBIUM. Petala 4. Capsula infera, 4-locularis, seminibus papposis. — p. 93.

Oenothera. Petala, Capsula prioris. Semina nuda. — p 93.

VACCINIUM. Corolla 4-dentata. Bacca infera. — p. 123.

ERICA. Corolla 4-dentata. Capsula supera. — p. 124.

DAPHNE. Perianthium simplex, corollinum. Drupa monosperma. — p. 138.

TRIGYNIA.

CUCUBALUS, Calyx 5-dentatus, reticulatus, basi saccatus. — p. 85.

SILENE. Calyx 5-dentatus, striatus, basi constrictus, — p. 86.

STELLARIA. Sepala 5. Petala bipartita. Capsula 6-valvis. — p. 88.

ARENARIA. Sepala 5. Petala integra. Capsula 6-valvis. — p. 90.

HALIANTHUS. Sepala 5. Petala integra, glandulis nectariferis magnis cum staminibus alternantibus. — p. 90. (*Folia plana*)

ALSINE. Sepala 5. Petala integra, glandulis obsoletis. Capsula trivalvis. (*Folia filiformia*). — p. 90.

PENTAGYNIA.

LYCHNIS. Calyx 5-dentatus, membranaceus. Capsula 1-locul. — p 85.

AGROSTEMMA. Cal. 5-lobus, coriaceus. Capsula pr. — p. 85.

MALACHIUM. Sepala 5. Petala bipartita. Capsula 5-valvis, valvis bifidis. — p. 88.

CERASTIUM. Sepala 5. Petala emarginata. Capsula cornuta, 10-dentata. — p. 89.

SPERGULA. Sepala 5. Petala obovata, integra. Capsula 5-valvis. — p. 90

SEDUM. Calyx 5-partitus. Petala lanceolata, acuta. Capsulae 5. — p. 97.

DODECANDRIA.

MONOGYNIA.

LYTHRUM. Calyx 12-dentatus. Petala 6. Capsula 2-locul. supera — p. 95.

ASARUM. Perianthium 3-fidum. Capsula 6-locul. infera. — p. 139.

DIGYNIA.

AGRIMONIA. Calyx 5-fidus, lappaceus. Petala 5. — p. 121.

TRIGYNIA.

RESEDA. Petala 4-6, inaequalia, lobata. Capsula unilocularis, ore trifido aperta. — p. 68.

POLYGYNIA.

RANUNCULEAE. Carpella indehiscentia monosperma. — p. 71.

HELLEBOREAE. Carpella dehiscentia polysperma. — p. 74.

DIDYNAMIA.

GYMNOSPERMIA (rectius Schizocarpia).

LABIATAE. Corolla labiata. Nuces 4, nudae. — p. 25.

ANGIOSPERMIA (rect. Syncarpia).

PERSONATAE. Corolla personata l. ringens. Capsula supera, 1-2 locularis. — p. 34.

VERBENA. Corolla irregularis, 5 fida. Pericarpium superum, membranaceum, 4 nuces cingens. — p. 31.

LIMOSELLA. Corolla campanulata, subaequaliter 5-fida. Capsula supera unilocularis, placenta centrali. — p. 46.

LINNAEA. Corolla campanulata. Fructus *inferus*, demum monospermus. — p. 20.

TETRADYNAMIA.

SILICULOSAE. — p. 66.
SILIQUOSAE. — p. 61.

MONADELPHIA.

PENTANDRIA.

Lysimachia. Corolla monopetala. Capsula 1-loc. — p. 44. Sp. 255.

GRUINALES. Petala 5. Fructus 5-locul. — p. 82.

DECANDRIA.

GRUINALES. Ut supra.

Leguminosae. Corolla papilionac. Legumen. — p. 100.

POLYANDRIA.

MALVACEAE. Petala 5, ungue cohaerentia. Capsulae verticillatae. — p. 81.

DIADELPHIA.

HEXANDRIA.

FUMARIEAE. Sepala 2, minima. Corolla 4-petala, irregularis, calcarata. — p. 69.

OCTANDRIA.

POLYGALA. Sepala 2, colorata, bracteis tribus connatis calyculata. Corolla monopetala, irregularis, in nostris labio cristato. — p. 38.

DECANDRIA.

LEGUMINOSAE. Corolla papilionacea. Legumen. — p. 100.

POLYADELPHIA.

POLYANDRIA.

HYPERICUM. Calyx 5-partitus. Petala 5. — p. 79.

SYNGENESIA.

POLYGAMIA *aequalis.*

CICHORIACEAE. Flosculi omnes lingulati. — p. 19.

CYNAREAE. Flosculi tubulosi, intra involucrum rigidum ventricosum, saepius spinosum. Semina papposa. — p. 13.

EUPATORIACEAE. Flosculi tubulosi, intra involucrum laxum, cylindricum, muticum. Semina papposa — p. 8.

BIDENS. Flosculi tubulosi. Semina setis rostrata. — p. 3.

POLYGAMIA *superflua.*

SENECIONIDEAE. Flosculi disci tubulosi, radio uniseriali aut o. Semina erostrata. — p. 2.

Tussilago. Flosculi disci tubulosi, radio multiseriali. Semina erostrata. — p. 9. spec. 60.

Bidens. Semina setis rostrata. — p. 3.

POLYGAMIA *frustranea*

CENTAUREA. Flosculi radii oblique infundibulif. — p. 15.

POLYGAMIA *necessaria.*

FILAGO. Flosculi tubulosi. Involucrum duplex. — p. 6.

MONOGAMIA.

Jasione. Corolla 5-partita, supera. — p. 22.

Solanum. Corolla 5-fida, infera. — p. 33.
Viola. Petala 5. — p. 77.
Impatiens. Petala 4. — p. 75.

GYNANDRIA.

DIANDRIA (Monandria Rec.)

ORCHIDEAE. Perianthium irregulare, 6-partitum. — p. 162

HEXANDRIA.

ARISTOLOCHIA. Perianthium cucullatum, limbo integro labiato. — p. 139, 392.

DODECANDRIA.

Asarum. Perianthium aequaliter trifidum. — p. 138.

MONOECIA.

MONANDRIA.

ZOSTERA. Stamina et Pistilla alternantia in spadice unilaterali, spatha foliacea vaginata. — p. 184.

ZANICHELLIA. Flores discreti, apetali. Styli et carpella libera subquaterna. — p. 184.

CALLITRICHE. Flores discreti. »Petala» (bracteae) 2. Styli 2. Carpella 4, conjuncta. — p. 156.

Euphorbia. Flores compositi; flosculi nudi pedicellati; femina solitaria centralis. Fructus tricoccus — p. 123.

DIANDRIA.

Lemna. (Herba acaulis, natans) — p. 157.

TRIANDRIA.

CAREX. Spicae squamis imbricatae. Semen perianthio utriculatum. — p. 181.

TYPHA. Spicae cylindricae, spatha decidua involucratae. Utriculus monospermus, perianthio setoso quasi papposus — p. 179.

SPARGANIUM. Spicae globosae, nudae. Perianthium squamulosum. Capsula. — p. 180.

AMARANTHUS. Perianthium scariosum, 5-partitum. Capsula monosperma. — p. 131.

Rhamnus. Flores completi. Bacca 4-locularis, supera. — p. 95, spec. 526.

PENTANDRIA.

Salix. Perianthium o. Ut supra. Spec. 726.
HUMULUS. Flores subamentacei, perianthio proprio. Nux. — p. 141.

HEXANDRIA.

Rumex. Perianthium 6-phyllum, biseriale. — p. 127. spec. 676, 677.

POLYANDRIA.

POPULUS. Flores amentacei, squamis laceris. Capsula bivalvis. — p. 146.
MERCURIALIS. Calyx tripartitus. Corolla o. Fructus dicoccus. — p. 124.
HYDROCHARIDEAE. Flores spathacei. Calyx tripartitus. Petala 3. Capsula infera, 6-locul. — p. 168.
Caryophylleae petalis 5 hypogynis. *Spec. variae.*
Rubus, petalis 5 perigynis. Spec. 620.

MONADELPHIA.

CONIFERAE. Staminum columna squamis involucrata. — p. 151.

POLYGAMIA.

MONOECIA.

Gramineae, floribus glumaceis 2-3-andris, p. 194. *Spec. variae.*
PARIETARIA. Calyx 4-fidus. Stam. 4. — p. 141.
ATRIPLEX. Calyx hermaphrodit. 5-fidus pentander, flor. femin. bilobus compressus, connivens. — p. 132.
HALIMUS. Calyx prioris, sed femin. lobi conduplicati divergentes. — p. 133.

DIOECIA.

FRAXINUS. Flores nudi. Stamina 2. — p. 142.
ACER. Flores completi. Stamina 8. — p. 50.

CRYPTOGAMIA.

FILICES.

FILICES. Frondescentes (structura Endogenearum), capsulis e frondis metamorphosi ortis. — p. 214.

Obs. Variorum generum characteres pro diversa systematum interpretandi ratione in ipso libro et in hac indice diverso modo de industria expositi. Sic etiam *Euphorbia* secundum utramque interpretationem indicata.

INDEX ALPHABETICUS.

ADDENDA.

P. 11. n. 67. HIERACIUM *boreale.* Scaniae occidentalis certa civis. Descriptio Hieracii *Linn. It. Scan.* p. 304 ob folia amplexicaula et involucra squarrosa huc quoque pertinet. Traduntur hujus et affinium plures formae in *Herb. norm. fasc. II.* una cum *H. Lawsonii* Smith, in Smol. occid. hoc anno copiosissime lecto.

P. 78. n, 424. VIOLA *persicifolia.* Tam ab hac quam *V. lactea* insuper certe diversa est *V. stricta* Fl. Dan., quae *V. nemoralis* Kütz. in Linnaea et vera *V. Ruppii* Allion. exclus. vero nomine, in adjacente Blekingia prope Carlskrona lecta et pro *V. elatiori* missa a Prov. *Wessberg.*

P. 100. II. b. HEDYSAREAE. Legumen in loculos articulosve transversim divisum et saepius articulato-diffractum. Huc referatur *Ornithopus*, calyce elongato tubuloso, legumine compresso multiarticulato.

571. b. ORNITHOPUS *perpusillus* L.

Speciem cum saburra ad Skepparkroken introductam finxi, 3-4 exemplaria tantum legens (vide Fl. Scan. p. 109), hinc in Flora Scanica omisi, sed ex ocul. *Ringii* observatione certissime indigena est, qui hoc anno in campis et pascuis marinis inter Nybrohusen prope Ystad et Kabusa multis locis maxime abundantem detexit. Vide *Herb. normal.* Fasc. II.

P. 115. n. 625. POTENTILLA *procumbens.* Circa Röstånga etc. vere luxuriantem legit Stud. *Lilja* ex *Ahnfelt* in litt. Et hanc innumeris locis se in Scania occidentali collegisse retulit Cand. *Ringius.* Vide Herb. normal. fasc. II.

P. 121. n. 653. b. PYROLA *umbellata* L. pedunc umbellato. In fagetis circa Baldringe. *Areschoug.*

P. 126. EUPH. *Esula.* Copiose ad Kabusa. *Ringius.*

P. 139. n. 703. b. ARISTOLOCHIA *Clematites.* L.

Cum aggeres Helsingborgenses, in quibus lecta erat, destructi sint, plantam exstinctam finxi, sed Cl. Cand. *Rin-*

gius me certiorem fecit eandem multis locis circa Helsingborg perennare et luxuriare.

P. 145. n. 721. BETULA *alba* L. foliis duplicato-dentatis abrupte acuminatis, squamis ament. ♀ lunatis e lobis lateralibus recurvatis, medio (in viva] inflexo-adpresso. — *Masurbjörk* Rusticorum.
Stolones et surculi vegetiores resinoso-verrucosi, hinc *B. verrucosa* Ehrh. Lignum sequentis longe praestat.

721. b, B. *glutinosa* Wallr. foliis inaequaliter serratis crenatisque (numquam acuminatis), squamis amenti ♀ cuneatis, lobis lateralibus adscendentibus, medio (in viva) reflexo squarroso. *Björk*, *Svallbjörk* Rusticorum. Cum praecedente et in omnibus regionibus silvatico-montanis longe copiosior. Stolones et surculi fruticum pubescentes, hinc *B. pubescens* Ehrh., sed arbor adulta s. arborea glaberrima. Singulis partibus a primis foliis ad semen a praecedente distinctissima, sed in paludosis Smolandiae folia saepe orbiculata obtuse serrata, amenta subsessilia, ut verear ne in B. *humilem* Hartm. transeat. Folia vulgo cordata l. ovata, in hujus forma pendula cuneata; prioris deltoidea, in forma pendula rhombea. Semina *B. albae* elliptica, *B. glutinosae* obovata. Utramque videas in *Herb. norm fasc. II.*

P. 148. n. 735. SALIX *lanceolata*. Mas, hactenus Botanicis ignotus, in Kullen aeque frequens ac femina. Lib. Bar. *Gyllenstjerna.*

P. 159. n. 779. CHARA *flexilis*. Haec et *gracilis* laevissimae sunt, sed in specimin. e Gottlandia a Cl. Mag. *Noreo* communicatis intercurrunt *hispida*, facie *Charae hispidae*, ad *Ch. papulosam* Wallr., meo sensu, omnino referenda.

P. 171. n. 819. ORNITHOGALUM *stenopetalum*. Duplex adest, utrumque constans et jam bulbis diversum. Utrumque videre liceat in *Herb. Norm. II.*

P. 201. n. 992. POA *sudetica*. Ad Belteberga. Lib. Bar. *Düben* ex Lindbl. in litt.

P. 219. n. 1064. BOTRYCHIUM *Lunaria.*

* *cordatum*, fronde cordata subintegra, spica subsimplici. Plura specimina misit Lib. Bar. *Gyllenstjerna.*

P. 234. n. 1162. b. MNIUM *rostratum*, foliis oblongis mucronulatis crenato-serrulatis.
In humidis umbrosis; Dahlby hästhage: *Dybeck*.

P. 247. n. 1226. d. FISSIDENS *Osmundoides*, caule simplici, foliis apiculatis, seta terminali, capsula ovata erectiuscula, operculo e basi convexa subulato.
In turfosis ad Bosarp. *Ahnfelt*.

Errata Typographica

vel lapsus calami, correctura e variis lecta, excusata rogamus. Sequentia sensum turbant obfuscantve et necesse corrigenda: p. 39 l. 4 ab inf. lege: *cristatum* (loco arvense) — p. 52, 53 lege CAMPYLOSPERMAE — p. 58: l. 3 ab infra, lege: *mono*sperma (ut rite dicitur p. 49) — p. 104: l. 11. lege: MEDICAGO (loco M.) p. 130 l. 4. lege: glandulosis. — p. 180. l. 6. lege: CALLACEIS (vulgo *Aroideis*). — p. 211. l. 22. lege: *Trit. intermedium* — p. 214. l. 23 lege: pauperrima — p. 345 l. 5 ab inf. lege jove. — p. 364 l. 28 leg. *Sclerot. durum*. — l. 32 leg. sunt (loco suto) — l. 34 lege: sistunt, loc. sunt. p. 372 l. 17 unilocularis inseretur post bivalv. in linea 16.
